


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [1] - -


Leibn. Marg. 158

Marginalien S. 15, 25, 30, 64, 73, 125

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [2] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [3] - -

Serenissimi Principis ac Domini

D. Joannis Friderici Ducis

Brunsuicensium et Lyneburgensium

Domini sui clementissimi

Bibliotheca

librum hunc consecravit

Herman. Corvinus?

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [4] - -

HERMANNI CONRINGII

CENSURA DIPLOMATIS QUOD LUDOVICO IMPERATORI

fert acceptum

COENOBIUM LINDAVIENSE.

Qua simul res Imperii & Regni Francorum Ecclesiasticæ ac Civiles, seculi cumprimis Carolovingici, illustrantur.



HELMESTADII
Typis & sumptibus HENNINGI MVLLERI
Academiæ Juliæ Typographi.
CIↃ IↃC LXXII.

Cum privilegiis perpetuis.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [5] - -

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

SVMMA PRIVILEGIORVM.

CAutum est interregni tempore Privilegiis Serenissimorum Potentissimorumque S.R.I. Vicariorum, ne quis unquam libros Hermanni Conringij curâ scriptos vel editos, citra ejus heredumque consensum, intra limites Vicariatuum inprimat, aut alibi impressos divendat: pœna delinquentibus dicta amissionis omnium ejusmodi librorum & solutionis decem marcarum auri. Prout latiùs definitur ipsis Privilegiorum tabulis.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [6] - -

LIBERAE URBIS IMPERIALIS

LINDAVIÆ

NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS
ET PRVDENTISSIMIS

CONSVLIBVS AC SENATORIBVS,

totique inclutæ reipublicæ,

omnigenam felicitatem
precatur

HERMAN. CONRINGIVS.

SExtus jam decimus annus agitur, quum missis huc & grandi opere Heideriano & Cœnobialibus Vindiciis, rogatus sum sententiam, de controversa Diplomatis illius auctoritate, quod Illustre in Urbe

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [7] - -

Veſtra ſitum Cœnobium, quaſi à Ludovico Imperatore ante octingentos annos conditum, eſſe aliquamdiu voluit pro norma potiſſima ſuæ iniquæ cauſſæ. Perluſtravi tunc quæ iſthuc facere viſa ſunt, & expendi eo quo par erat ſtudio omnia: nec dubitavi, probatis ab ampliſſimo Heidero veſtro diſputatis, etiam ipſemet Diploma illud falſi & impoſturæ, rejectis quamlibet argutis & ſpecioſis Hyperaſpiſtæ Cœnobitici ad Heideriana reſponſionibus, jam tum condemnare. Quum rationes ſententiæ illius meæ charta comprehendere inque lucem edere itidem poſtularer, etiam iſtum laborem haud defugere juſtum exiſtimans, propediem me illud facturum fui pollicitus. Quin & otium aliquod tunc nactus incœpi calamum operi admovere. Verum ille ſtatim denuo manu eſt excuſſus: & ea tempora me deinceps exceperunt, ut de illo quidem nomine expungendo tantum non deſperaverim. Quoties tamen vel libros traditos aſpexi, vel accepi literas Veſtras promiſſam operam expoſcentes, commotus fateor ſum animo, cumq; meis laboribus & moleſtiis quaſi expoſtulavi, quod fidem præſtare pro hiberent. Proxi-

mo

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [8] - -

mo tandem Februario nonnihil præter ſolitum nactus liberioris otii: non ſine arcanâ delectatione, quod tandem aliquando alieno me ære, ut ſic dicam, ſolvere, & virum hac etiam in re bonum agere liceret, fidei datæ cætera (quod ſine jactantia dixerim) ſi quis alius ſervantiſſimus, tempus vacuum cœpi argumento huic impendere. Ex eo horis ſucciſivis denique nata eſt hæc Diplomatis Cenſura, quod illa quæ antehac conſcripſeram pridem periiſſent. Spero autem vel nunc promiſſis ſtanti, longæ nimium moræ culpam Vos condonaturos: præſertim quandoquidem & deprecor, & ſimul juſtiſſimis excuſationibus haud equidem ſum deſtitutus. Sed & à Cœnobialibus Vindiciis nihil hactenus fuit periculi Heiderianæ adverſus Diplomatis exiſtimationem inſtitutæ diſputationi. Saltim non apud eos, qui Carolovingici ævi rerum ſunt gnari, quique procul odio & amore utrinque agitata juſto examine arbitrari haud gravati ſunt. Recte enim quidem ac prudenter S. Auguſtinus. *Res falſa & inanis, niſi corrigatur, habet nonnunquam fidem: multique ſunt homines judicii parum firmi, qui nihil audiunt leguntve, quod non credant*

niſi refutatum ſciant. Igiturq; agnoſco etiam ipſemet, multos ex vulgo ſequius indubie ſuſpicatos de mota Diplomati à primo Heidero integritatis controverſia, eosq; in Cœnobii partem factos eſſe pronos tantùm quod viderint ejus Hyperaſpiſtica, etſi non inſpexerint multo minus quâ æquum eſt curâ legerint. Aſt *vanas populi voces audiendas non eſſe*, pridem eſt ſapientibus notum; & in vita ſatis eſt, hiſce ſolis non diſplicere: ab omnibus ſane probari fruſtrà exſpectaveris. In ipſo præterea Cæſareo foro ita ſacrum illud σόφισμα Cœnobialis Hyperaſpiſtæ de Ludovici Germanici Imperatorio titulo, ut & alia ejus callida effugia excepta ſunt, ut Cauſſidici Cœnobii ne quidem hiſce amplius fidere fuerint auſi, & Auguſti judices tanquam vana iſthæc omnia ſpreverint. Tametſi igitur juſto tardius ego nunc faciam officium, absque tamen inclytæ Urbis Veſtræ detrimento eſt ſaltim hactenus ſilentium meum. Imo hujus mei operis nec impoſterum ego alium fructum fore arbitror, quàm uti juſtiſſima libertatis Veſtræ cauſſa undequaque, etiam in populo, omnem iniquam ſuſpicionem effugiens, optime audiat. Enimverò

rò Diploma iſtud ſi non unicè ſaltim præcipuè eſt, quantum judico, in id confictum, circa confinia (niſi fallor) duodecimi & tertiidecimi ſeculi, quo tempore Urbis Veſtræ felicior priſtino ſtatus invidos Cœnobii oculos cæpit urere, ut ſpecioſo antiqui juris prætextu partæ non ita pridem libertati vis fieret, & in Brigantini vicem Cœnobium Urbi imperaret. Plane quemadmodum immanis ille equus olim in Trojæ *fabricata eſt machina muros*. Nec ſanè deeſt, fateor & ego, color juris: ſi Diploma à Ludovico ſit Imperatore conditum, in univerſam inſulam, adeoque & in Urbem Veſtram Cœnobio ſaltim quondam imperium competiiſſe. Saltim, ajo, quondam. Ineptus namque eſt & iniquus Cœnobii conatus, obtentu illius Diplomatis vincere velle, etiam omni pòſt tempore hucusque jus illud priſcum fuiſſe atque eſſe integrum. Quis enim ignorat, ut aliarum omnium rerum ita & jurium magnam eſſe viciſſitudinem? Ac proinde neutiquam fas eſſe, ſola veterum tabularum vi priſca quæque ſibi vindicare, ſi non eorundem poſſeſſio manſerit reliqua. Liquidiſſimè autem non ſemel jam du-

dudum in magno veſtro Heideriano opere eſt demonſtratum, ea quæ ſcuto Diplomatis munitum ſibi arrogat in Urbem Veſtram Cœnobium, ab aliquot jam ſeculis extra poſſeſſionem ejus fuiſſe. Imò quod caput eſt, ab omni retro memoria, Cœnobio in Veſtram inclutam Urbem nec minimum fuiſſe prætenſi dominii. Eâ ſane de cauſſa ſperato effectu caruit hactenus Diplomatis commentum: carebit etiam poſthac, quamdiu quidem recto & æquo ſua manebit auctoritas. Multo minus autem poteſt ergo pro normâ rerum Diploma, quamvis nævo omni deſtitutum, etiam nunc admitti. Haud tamen extra ſuſpicionem poſſit eſſe Urbs Veſtra, fateor, fraudati per injuriam Cœnobii priſco ſuo in univerſam inſulam imperio, ſi quidem Diploma ſeſe recte habeat. Et vero ea in re videre eſt deceptos viros quoque doctos & ſapientes. Ut igitur non extra culpam duntaxat ſed opinionem quoque culpæ inclyta Urbs Veſtra ſit, intereſt uti in omnium conſcientiam veniat jactati adeo Diplomatis falſitas. Hoc unicum ſane hinc exſpectari poteſt: nihil autem præterea, ſi ex vero quidem rem æſtimemus. Nec Hyperaſpiſta Cœnobiticus

quâ

quâ aliâ parte nocere vobis potuit, quàm majorum veſtrorum integræ famæ læſione, quamvis ex voto illi ſucceſſiſſet Diplomatis defenſio. Quemadmodum autem in univerſum viri cujuslibet boni eſt, omni ſtudio etiam in id eniti, ut quantum fieri poteſt, ne quidem in ſuſpicione vivat ullius ſceleris: ſic fortunata undiq; Urbe Veſtra dignam rem agitis, quodd e majoribus etiam Veſtris aliquid ſiniſtri quenquam opinari haud permittatis. Et vero ingente omnium rerum felicitate illuſtrem Veſtram Urbem Deus beavit; quando ſine omni in Germania noſtra exemplo ſedem illi dedit in divite inſula, & quidem eo loco, ut omnium rerum copia non ex vicinia duntaxat Brigantini lacus, ſed ex Helvetia & Suevia, omniq; adeo veteri Vindelicia & Norico, imo etiam ex Italia, ad vos abunde prompteque affluat, & viciſſim in omnes illas aliasq; terras frequentiſſimis commerciis veſtris devehatur: quando item inclytam civitatem Veſtram aliquot jam ſeculis evexit ad eminentem illam liberarum Imperii Urbium dignitatem: cumprimis verò dum religioſa pietate populum Veſtrum omnem inſtituit, & prudẽte Senatu tranquille hactenus moderatur. Magna

ſane hæc ſunt divinæ in Vos benignitatis documenta. Quibus acceſſit haud leve illud, quod in mediis feralis belli Germanici fluctibus, nulla Vos hoſtilis violentia populata ſit; quodque Cœnobiales injuriæ, quæ potentia aliorum ſubnixæ ingens minabantur malum, pace & lege publica iterum ſint compreſſæ, priſtino Vobis reddito in ſubditos imperio. Tantam igitur felicitatem turbari calumniis, obtentu commentitii Diplomatis ſparſis, indignum utiq; fuerit. Me ſane læſa innocentia veſtra nunquam non commovit; hiſce proximis menſibus præcipue calcar addidit, & ſtimulavit ad defenſionem eo majore cura & diligentia inſtituendam, quo major Cœnobialium fautorum fuit de Hyperaſpiſtici libri robore jactantia. Non dubito autem, poſt Heiderianam præclaram hoc etiam in argumento præſtitam operam, Diploma omne ita jam confoſſum abs me eſſe, ut impoſterum nunquam ſit orcinum caput iterum erecturum. Non enim quidem veſtigia omnia Cœnobitici Hyperaſpiſtæ ſecutus ſui, ac proinde non niſi quædam tetigi eorum quæ prolixe in libro à pagina ſeptima decima usque ad nonageſimam quartam variis appendicibus

cibus ſunt agitata ; præterii tamen illa duntaxat ideo, quoniam à negotio Diplomatis plane divagantur, indecens autem ſit in parergis occupari, præſertim ſi illa jam agitare nullum operæ fuerit pretium. Sunt autem meo quidem judicio, tantùm non omnia iſthæc, præterquam quod ad Diplomatis defenſionem nihil faciant, frivola & nullius momenti. Si placuerit tamen Cœnobialibus, non ſolius Diplomatis cauſſa pœnitere, habebunt fortè & hi illorum conatus propediem quo in ruborem adigantur. Cæterum in Diplomatis cenſura, quod mihi negotii nunc ſolum eſſe datum credidi, & Heideriana argumenta plæraque (quædam enim neglexi, ut minus Hyperaſpiſtæ Cœnobiali faſtidii creem) vindicavi pariter roboravique, & complura nova ex meâ, ut ita loquar, pharetra deprompſi. Vltra illa autem quidquam adferre, fruſtra arbitror futurum. Quoniam verò omnia in Veſtræ inclutæ civitatis exiſtimationem, Veſtroque inſtinctu elaboravi, Vobis cumprimis, ceu par eſt, illa nunc offero dedicoque. Sed & confido haud ingratum futurum hoc quicquid eſt exigui quamvis muneris, ſaltim argumento, & meo in Civitatem Ve-

ſtram ſtudio. Quo nemini temere cedere ætatem omnem equidem allaborabo. Deum interim ſupplex venerabor, uti quemadmodum hactenus ita porro felicitate omnigena illuſtrem rempublicam Veſtram pergat proſequi.

Helmſtadii in Acad. Julia XII Julii
Anno CIↃ IↃ C LXXII.

INDEX

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [16] - -

INDEX CAPITVM.

CAPUT I. *Historia & status controversiæ. Heideriana de Diplomate Cœnobii Lindavienſis ſententia approbatur. Nec tamen fas eſſe, ut propterea Cœnobium illud cuiquàm ſuccenſeat: ſed componere ſeſe illud debere ad exemplum Romanæ Curiæ.* Pag. 1

CAPUT II. *Diploma Ludovicianum proponitur: quale illud ab ipſomet Hyperaſpiſta publicato eſt libro exhibitum.* 3

CAPUT III. *Varia Ludovici Pii Imperatoris ſacra Diplomata, ad quæ Cœnobiale erit examinandum.* 11

CAPUT IV. *Diplomata complura Ludovici Germaniæ Regis, filii Pii Imperatoris, quem Cœnobialis vindex vult eſſe conditorem controverſi Diplomatis, propoſita, uti cum iis poſſit illud Lindavienſe comparari.* 25

CAPUT V. *Nec Ludovicum Pium, nec Ludovicum Lotharii filium, qui ſoli ſeculo Chriſtiano nono Imperatores audierunt, adeoq; nullum Ludovicum Imperatorem, Cœnobiale Diploma condidiſſe. In nonnullis tamen referre illud Ludovici Pii diplomata, cumprimis ea quæ anno Imperii XXVI ſunt lata, ac proinde etiam hoc ipſo commiſſum falſi crimen prodere.* 65

CAPUT VI. *Ludovicum Pii filium nec fuiſſe nec audiſſe, vivo quidem Lotharii filio Ludovico, Imperatorem: propterea q; Diploma illud Cœnobiale non eſſe Ludovici illius, aſtruitur contra Hyperaſpiſtam.* 78

CAPUT VII. *A nonnullis ſcriptoribus Germanicum*

Ludovicum Pii filium Imperatorio cognomento esse quidem appellatum, sed per errorem, & demum à seculo usq; undecimo. In eodem errore autem hæsisse ipsum quoq; Diplomatis Cœnobialis fabricatorem: ac proinde illud aliquot demum post Ludovicum, cujus nomine est promulgatum, seculis esse confictum. 103

CAPUT IIX. *Præterquam quod non Germanici sed Pii Ludovici, atque adeo alieno Sigillo & Manus signo, Diplomati Lindavienſi sit subscriptum, falsò referre illud, se conditum anno Ludovici Germanici vicesimo sexto, aut Dominico octingentesimo sexagesimo sexto, ostenditur certissimis indiciis. Quoniam scilicet illo anno, Comes Palatii non Adalbertus sed Ansfridus: Archicapellanus non Hugo sed VViegarius: hujus Vicarius non Hirminritus sed Albertus Subdiaconus: nec Podami Ludovicus versatus: Indictio item non secunda sed quarta decima, fuerit.* 122

CAPUT IX. *Contra quam Diploma dicit de Adalberto unico conditore Cœnobii, demonstratur fuisse tres conditores: interque eos neminem Adalbertum appellatum aut Comitem Palatii fuisse.* 132

CAPUT X. *Famam de Adalberto conditore Cœnobii unice natam esse ex Diplomate. Quæcunq; autem de illo sive Hyperaspista sive alii scriptores referunt, haud niti ullo aliquo veteris ævi testimonio, sed meras esse gerras aut inanes conjecturas: in universum & sibi mutuo, & ipsi etiam Diplomatis fabulæ illa adversari.* 146

CAPI-

CAPITIS X Pars Altera. *Examen septem de Adalberto perque eum condito Cœnobio narrationum.* 159

CAPUT XI. *Neminem ætate veterum Francorum Regum aut Imperatorum audiisse Comitem SACRI Palatii. Quum tamen in Diplomate ita usurpetur Adalbertus, indicio id certo esse, non illud Diploma confectum seculo Christiano nono: per autem verosimile, ab impostore esse fabricatum post tempora denique Friderici primi Imperatoris. Ingens porro discrimen esse, inter Comites Palatii & Comites Palatinos provinciarum, demonstratur adversus Hyperaspistam & alios.* 185

CAPUT XII. *Circa eos, quorum intercessione privilegium esse datum refert Diploma, duo falsi crimina impostorem commisisse; alterum quasi Imperator Episcopos titulo ILLVSTRIVM appellaverit, alterum quasi intercessorum unus fuerit Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus.* 205

CAPVT XIII. *Falsò in Diplomate asseri, quod jam tum Cœnobium fuerit situm in insula, ibiq; initiò statim constructum: illud enim pòst demum, seculo Christi decimo, in insulam translatum, antehac autem alibi fuisse conditum.* 228

CAPUT XIV. *Falsò in Diplomate affirmari, jam illo tempore Cœnobium esse dictum Lindaugiam. Illud enim nomen aliquot demum pòst seculis, nec nisi rarò, cœpisse etiam Cœnobio attribui: cum fuisset antehac soli insulæ*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [19] - -

insulæ & oppido proprium. Occasione datâ demonstratur præterea adversus calumnias Cœnobialium; oppidum Lindaugiam longè esse Cœnobio antiquius, & quando hoc in insulam confugit tunc oppidum illud in non contemnendo jam fuisse statu, Eschachium quoq; libera tunc fuisse conditione nec Cœnobii imperio unquam obnoxium, in Vrbem etiam Lindaugiam cum ante tum post Eschachiorum in insulam commigrationem nullam Cœnobio jurisdictionem fuisse. 245

CAPITIS XIV Pars Altera. *Calumniæ quædam Cœnobiales de Vrbe Lindavia & Eschachio diluuntur.* 250

CAPUT XV. *Ex iis quæ de postulati Adalbertini persuasiva ratione narrantur, ut & quæ de sacris Precibus constituuntur, Diploma falsi suspectum meritò esse debere.* 279

CAPUT XVI. *Aliorum trium falsi criminum, circa Monetam Ducem & Advocatum commissorum, Diploma convincitur.* 296

CAPUT XVII. *Et formas literarum, & Ziphras in scribendo adhibitas, & subjectum æræ Christi annum, indicare, Diploma longe esse seculo Nono recentius.* 315

CAPUT XIIX. *Diploma perpetuis notis confossum denuò producitur, orco imposterum tradendum.* 324

CAPUT XIX. *Quæ generatim pro Diplomatis fide possint videri facere proponuntur & diluuntur.* 335

CENSV-

CENSVRA DIPLOMATIS QVOD LVDOVICO IMPERATORI FERT ACCEPTVM COENOBIVM LINDAVIENSE.

CAPUT I.

Historia & status controversiæ. Heideriana de Diplomate Cœnobii Lindavienſis ſententia approbatur. Nec tamen fas eſſe, ut propterea Cœnobium illud cuiquam ſuccenſeat: ſed componere ſeſe illud debere ad exemplum Romanæ Curiæ.

QUum inclutæ Imperiali Urbi Lindaviæ, ferente ferali nupero bello Germanico, multæ & ſolito longè graviores controverſiæ fuiſſent motæ, obtentu jurium ejus quod ibidem eſt ſecularis Virginum Illuſtris Cœnobii, Urbs freta cauſæ ſuæ fiducia, publico omnium æquorum hominum judicio res ſuas committere non dubitavit; ac proinde lites omnes grandi volumine, coram univerſa Germania, media inter arma, anno ſeculi hujus tertio poſt quadrageſimum, vulgavit atque expoſuit. Inter alia verò Autor operis, fidem atque auctoritatem illius Diplomatis, quod Cœnobium ante octingentos amplius annos, ab Imperatore Ludovico, ſibi eſſe conceſſum jactitat, acriter impugn avit

pugnavit. Nihil perinde illustrem illum Conventum videtur pupugisse: etsi nulla non magni operis pars caussam Urbis omnem adversus infestos ejus conatus animose tueretur. Nec enim integro illi volumini, aut reliquarum ejus partium alicui, in lucem quidem editum reposuit quidquam: solum verò illud suum Ludovicianum Diploma defendere instituit libro singulari multarum plagularum, magnaque cura conscripto & publicato. Prodiit ille anno quadragesimo septimo Embsii, quod ad Rhenum est non incelebre opidum, vernaculo titulo: Standhaffte Rettung und Beweisung ꝛc.

Neutri scripto autoris nomen est additum, indubie offensæ declinandæ caussa. Fertur tamen, Urbis partes defendisse Danielem Heiderum magni nominis Jurisconsultum: pro fide autem Diplomatis pugnavisse collatitiâ operâ complures quidem, præcipuè tamen Henricum Wangenereck Jesuiticæ sodalitatis clara item famâ scriptorem. Priori narrationi jubet credere scribendi ratio perquam diligens & accurata, inque ea elucens non Juris duntaxat Civilis & Canonici sed omnium, cum primis veterum, Germanici Imperii rerum insolens peritia. Quæ raræ hujus temporis dotes ita exornant commentarium etiam utrumque De Imperialium Urbium Advocatiis, qui indubiè auctorem habent Danielem Heiderum, etsi itidem nomen dissimulent, ut non possit & alterum illud spissum volumen nisi ab optimo illo & doctissimo sene profectum esse. Verum ut de Urbici operis auctore non dubito, ita de patrono Cœnobitici scripti neutram in partem quid possum adfirmare. Non enim mihi Wangenereckianum aliquod visum, unde saltim conjectura me ducat ad illum auctorem sive asserendum sive negandum. Legi enim quidem libellum viri, nomine addito oppositum Scioppianæ Politices Pædiæ: sed argumentum plane est alienum ab omni historia. Legi & alterum librum Ernesti de

Eusebiis

Euſebiis nomine confictum, quem Wangenereckii eſſe fide dignis magnis teſtibus accepi: eſt autem nec ille argumenti Hiſtorici. Cujuſmodi cum ſit quo de jam agimus, hactenus quidem ex iis non licet de hujus auctore quidquam ſuſpicari. In utroque autem libello iſthoc cum deprehenderim ingenium flagrans odio Proteſtantium partium, ſtudioſum ſuæ factionis, iniquum, acre tamen & perinduſtrium, & varia doctum, (id quod oſtendi, niſi fallor, clariſſime, cum libello de Pace perpetua Proteſtantibus danda, tum in Animadverſionibus ad Scioppium,) eaque omnia in Cœnobii libro itidem emineant, nihil video cauſſæ quur non exiſtimem ex eadem pharetra & hunc prodiiſſe. Sed & non omnino ſibi ſimilis ſcribendi ratio videtur probare non unam manum.

Quomodocunq; autem hæc ſeſe habent, in parvo equidem diſcrimine colloco: quoniam non quis dicat ſed quid dicatur æſtimandum eſt. Abſit etiam ut Auctoris ratione habita, alterutri operi vel addam vel detraham quidquam juſtæ laudis. Ingenuè ſanè confiteor, certare pene utrumque ſcriptum inuſitata induſtria promendi ea quæ ad rem faciunt, atque Germaniæ monumentorum veterum ac recentium notitia. Quin & hoc addo, ita à Wangenereckio, ſive quis fuerit alius, cauſſam Cœnobii actam, ut poſſit illa videri plærisque etiam doctorum vero conſentanea. Eo tamen quo par eſt ſtudio omnibus utriusque ſcripti excuſſis, non poſſum equidem non in Heiderianam ſententiam concedere. Quapropter etiam cum invitet occaſio & veri amor, haud dubito illius defenſionem nunc ſuſcipere. Et verò docebo, non duntaxat ὑποβολιμαῖον eſſe illud Ludovici Imperatoris diploma, ſed etiam recentioris fœturæ, trecentos ampliùs annos poſt ævum Carolovingorum denique confictum.

Illam meam operam odium & obtrectationes adverſæ partis ejusque fautorum concitaturam, non equidem dubito.

Haud enim me fugiunt ſeculi mores: atq; adeo quàm immodeſte & iniq; jam tum vir optimus Heiderus ſit exceptus, quantumvis illi ne verbulum quidem acrius excidiſſet; ut mitiora mihi promittere neutiquam liceat. Nec tamen video, juſtam ſuccenſendi cauſſam hominibus illis oppugnatione Diplomatis præberi: ſi quidem alia eis non deſint quibus ſibi poſſeſſa tueantur. Vtut enim hoc Diploma ex priſco ævo unicum Cœnobio ſupereſſe Hyperaſpiſta paſſim ingemiſcat, & dolens conqueratur, à primo Heidero fidem auctoritatemque ejus ſollicitatam, cum antehac fuiſſet habitum ſacroſanctum & collocatum in theſauris; non tamen eſt quod vereatur Cœnobium ſiniſtri quidquam, ſi alia illius prætenſa jura rectè ſeſe habeant, & proinde excidat duntaxat novis auſis huic vano Diplomati ſuperſtruendis. Oportet enim quemlibet contentum eſſe juſtè partis bonis, non autem velle malis artibus alteri quod ſuum eſt eripere, & diteſcere alieno: multò minùs ſecius gerere ſeſe fas eſt ad ſanctimoniæ ſingularis leges adſtrictis cælibum & virginum choris.

Complura porrò ſunt exempla in eodem hærentium luco & Cœnobiorum & aliorum ex omni Cleri ordine, qui inſperatò patefactis ſuarum hactenus cariſſimarum tabularum vitiis, tranquillo animo ceſſerunt veritati. Nolo nunc iis recenſendis impendere operam: ſatis eſt, ſi Cœnobium ad Romanorum Paparum, quibus ut Chriſti Vicariis nihil majus in hoc mundo eſſe pro ſua religione indubiè credit, mores ſeſe componat. Vivo adhuc S. Auguſtino, non dubitaverant illi miſſis ad Africæ Concilia legatis, Sardicenſes Canones pro Nicænis fraudulenter ſubſtituere, eorumque prætextu ſibi tranſmarinas ex Africa appellationes vindicare. Cum autem eſſent convicti falſimoniæ, ejusque rei æternum monumentum Actis Conciliorum ſuorum Africani patres feciſſent inſeri, illa ipſa Acta in Codicem Canonum Romanum Dionyſius

sius Exiguus Romæ transtulit Justiniano Cæsare: ac lecta illa sunt in Codice isthoc Romano & passim Ecclesiis commendata ab ipsismet Papis, tantùm abest ut illi quidem succensuerint productæ in lucem veritati. Octavo seculo iidem Papæ commentitiæ Imperatoris Constantini Magni donationis obtentu, fecerunt per Pipinum, Carolum Magnum, & Cæsarum alios, bonam Italiæ partem sibi dari, & retinent illam hodieque; vix tamen quisquam, Curiæ Romanæ quamvis maxime addictus, veteratoriam fraudem non agnoscit hac tempestate, multò verò maximi apertè detestantur: nec tamen hujus quidquam Curia improbat aut videtur ferre ægre. Sub finem penè sequentis seculi noni, Isidori Hispalensis nomine, ex orco prodiit collectio quædam Epistolarum Romanorum Præsulum â B. Clemente ad Siricium usque, ab impuro quodam, vafro tamen, nebulone conficta. Illas confestim Nicolaus I Papa Episcopos Galliæ ceu genuinos jussit recipere: successores suum Canonici Juris Corpus ex iis potissimùm fecerunt construi, atque ita illias Apostolica sua auctoritate tanquam regiminis Ecclesiastici normam universis Ecclesiis obtruserunt, non minùs per illas quam per alias Bullas suas ordinarias velut ex cathedra detonantes. Fatetur Illustrissimus Parisiensis Archiepiscopus, vir summæ eruditionis pariter & dignitatis, Petrus de Marca *l. tertio de Concordia Sacerdotij & Imperii c. V.* per illas Epistolas *Antiquo juri, universalis Ecclesiæ assensu roborato, successisse jus novum, paulatimq; usu invaluisse per Occidentis provinciæs.* Idem c. 6 §. 4. affirmat, *summum caput in quo Jus novum ab antiquo differt in eo jam constitui, quod suprema potestas, quam in plerisq; causis judicandis synodi provinciales obtinebant, penitus extincta sit & ad solum Pontificem revocata, & ea quæ in canonibus condendis versatur sit adeò imminuta, ut Pontifici soli constitutionum condendarum onus* ex eo *incubuerit.* Ejusdem operis l. 7. c. 20. §. 1. itidem scribit: *Sub secunda Regum nostro-*

rum dynastia novum Jus Canonicum in Ecclesiam Gallicanam aque ac in cæteras Occidentis provincias introduci cæptum est, inventis eam in rem suppositittis veterum Romanorum Pontificum epistolis, in quibus extant quamplurima constituta, prorsus adversa veterum Canonum statutis. Fuit illius fraudis ignara omnis Ecclesia Occidentis per annos pene sexcentos, donec superiore seculo primi Magdeburgenses illam detexerunt. Mussitationes enim Henrici Kalteisen nemo pene attendit. Longe itaque in majore fuerunt auctoritate & diutiùs Epistolæ illæ supposititicæ quàm Diploma Ludovici. Pro earum fide contra Magdeburgenses acerrimè & magna doctrinæ specie pugnavit Franciscus Turrianus Jesuita: quî cum neutiquam meretur comparari Wangenereckius. Tandem verò manus veritati dederunt ipsæmet columnæ Romanæ Ecclesiæ Baronius, Bellarminus, Petavius, Sirmondus, & quisquis hodie est eruditior ipsiusmet Jesuiticæ etiam sodalitatis. Nec tamen fremit propterea Romana Pontificum Curia, non incandescit, sed prudenter dissimulat proditam, quamvis inveteratam & in ipsum monarchiæ suæ fundamentum confictam, falsitatem atque impostura m.

Licebit utique ad ea illustria exempla res suas componere etiam Cœnobio: poteritque illud non minùs contentum esse semel institutis à Wangenereckio vindiciis, perinde atque post Turriani irritos sudores Romana Curia jam acquiescit. Nec enim ego vel verbulo acerbiore irritabo temerè bilem fœminarum, aut eorum qui iis patrocinantur indignationem; sed rationibus duntaxat & rerum testimoniis contendam; ceu fieri par est in palæstra veritatis.

CAPVT

CAPUT II.

Diploma Ludovicianum proponitur: quale illud ab ipsomet Cœnobii hyperaſpiſta publicato eſt libro exhibitum.


QUandoquidem igitur propoſitum nobis eſt, Diploma illud, quod Lindavienſe Cœnobium tantopere commendat & Ludovico Imperatori adſcribit, falſi convincere, ante omnia illud proferendum hîc in medium fuerit. Habetur autem iſtud etiam in Opere Heideriano pag. 724, ſed in nonnullis quoad verba & ſcriptionem & Ludovici imaginem diverſum. Nos vero exprimemus illud, quale initio libri ſui Cœnobialis Hyperaſpiſta exhibuit. Vtrum illud omnibus apicibus conveniat cum autographo, quod ille gloriatur, nec ne, non eſt noſtrum aſſerere: nec enim licet nobis collationem inſtituere. Examinandum itaque illud fuerit, quemadmodum accepimus, & quidem ab ipſomet Hyperaſpiſta. Dabimus verò hic bona fide. Si diſcrepaverit fortaſſis autographum, non nobis ſed Hyperaſpiſtæ imputetur. Habet igitur ſeſe Diploma illud hunc in modum.

IN NOMINE DOMINI DEI SALVATORIS noſtri Ieſu Chriſti Hludovicus Divina repropiciante clementia Imperator Auguſtus. Si locis Deo dicatis quippiam muneris conferimus, & Imperialis munificentiæ morem exequimur, & Divinum per hoc nobis favorem facilius concilianda confidimus. Idcirco noverit Collegium omnium fidelium noſtrorum præſentium videlicet & futurorum: Qualiter Adalbertus fidelis Vaſallus noſter, & Sacri Palatii Comes, præſentibus ſcilicet nonnullis fidelium noſtrorum Princi-

Principibus noſtram adiens celſitudinem, obtulit obtutibus noſtris quoddam Cœnobium Sanctimonialium nomine Lindaugia, ſitum intra lacum VVithſee & conſtructum in honore ſanctæ Dei Genitricis Mariæ. Quod idem Adalbertus pro ſalute & remedio animarum omnium Parentum ſuorum & ſuæ, primò fundavit, omnibusq; ſuis Allodiis augmentavit, & juge Dei ſervitium ibi ordinavit. Sed ne deinceps laudes Divinæ & regulares diſciplinæ ibidem deficerent, dignitatem noſtram per interventum fidelium noſtrorum Illuſtrium Rabani ſcilicet ſanctæ Moguntinæ Æccleſiæ Metropolitæ: nec non Salomonis videlicet Conſtantienſis Æccleſiæ præſulis, poſtulavit: quatenus pro redemptione animæ noſtræ nec non parentum noſtrorum eidem monaſterio aliquid muneris conferremus, & eandem libertatem & Iuſtitiam, quam Conſtantienſis habet Æccleſia in omni regulari Iure concederemus. Cujus rationabili & ut credimus, divinitus illi inſtinctæ petitioni libenti animo aſſenſum præbentes, decrevimus ita fieri, & ſecundùm Dei Iudicationem ac fidelium noſtrorum ſuggeſtionem hoc noſtræ authoritatis præceptum juſſimus inde conſcribi. Per quod decernimus atq; omnino jubemus, quatenus prænominatus ſacer locus habeat, poſſideat, quidquid ex libera hæreditate præfati fidelis noſtri fiſcus noſter ſperare debeat, in tributis, in monetis, in teloneis, navigationibus, ac liber ſalvus ac quietus ſine cujuslibet perſonæ contradictione vel moleſtatione prorſus permaneat, & in diſpoſitione Abbatiſſæ ejusdem Monaſterii


sterii consistat. Statuimus quoq; per ejusdem auctoritatis municionem, ut nullus publicus Iudex, neq; Dux, neq; Comes, aut quislibet ex Iudiciaria potestate Æcclesias, Curtes, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorato Monasterio præsenti tempore subjacentes, vel quæ deinceps in jus & Dominium ejusdem Monasterii divinæ pietatis augmento pervenerint, ad causas audiendas, vel freda exigenda, vel paratas faciendas, aut homines etiam tam ingenuos quam & servos, super terram ejusdam Monasterii commanentes distringendos nec ullas redibiciones vel bannos, aut illicitas occasiones requirendas, seu ullum publicum placitum habendum ullis temporibus ingredi, vel ea, quæ supra memorata sunt, exigere præsumat: aut censuales homines sive familiæ, in quibuscunq; locis sint constituti, parere habeant; & coram nullo Comite regant, aut bannum persolvant, aut sæculare negotium habeant, nisi coram Abbatissa vel ipsius Monasterii Advocato. Idem autem Advocatus bis in anno, semel in Æstate, secundo in hyeme placitum habeat, sed ultra 12 equos nullum adducat, & tunc honestè procuretur. Quicquid placitando adquisierit, duæ inde partes erunt Abbatissæ, tertia Advocati. Nullum domus Dei servientem sine Abbatissæ vel ipsius consensu ad judicium cogat. Nullum de familia sine justa sociorum suorum deliberatione dampnet vel coherceat. Nullum subadvocatum vel exactorem sine Abbatissæ permissione sibi constituat. Nihil privati muneris vel servitii à quolibet loco, sive Curte sive acella ruris, quasi ex debito & statuto sibi jure exigat. Mansiones seu pernoctationes

tiones undiq; in locis ejusdem Monaſterii, frequentare caveat. Quod ſi ultra ſtatutum noſtrum alicubi placitare voluerit, ipſe de tertia ſui parte ibidem ſibi contingente provideat, quod ad ſumptum habere debeat. Niſi forte aliqua de cauſa ab Abbatiſſa illuc vocetur, à qua tunc decenter ſibi exhibeatur quod oportet. Proinde ſi quisq; Advocatus hæc ſtatuta obſtinata audacia tranſgreſſus fuerit, niſi ſane reſipuerit, ſexaginta libras auri optimi, triginta palatio noſtro, triginta ſupradicto monaſterio perſolvat, & ipſa advocatia cum cæteris commodis in perpetuum careat. Nos quoque ſupradicti fidelis Vaſalli noſtri petitionibus & voluntati per omnia ſatisfacere cupientes, firmiſſima largitate conſtituimus: Vt quando divina vocatione Abbatiſſæ præfati Monaſterii ex hac luce migraverint, quamdiu ipſæ ſanctimoniales inter ſe tales invenire potuerint, quæ ipſam congregationem ſecundum regulam ſuam bene regere prævaleant, eligant. Sin autem, firmiſſimam licentiam alias eligendi Dominas cum Conſenſu Regis vel Imperatoris habeant. Si quis autem homo cujuslibet poteſtatis exiſtens, auſu temerario contra hoc privilegium agere præſumpſerit, aut præfatum Vener. Monaſterium, vel aliquas pertinentias ejus beneficiali cauſa cuiquam homini concedere temptaverit, niſi reſipuerit & his noſtris inſtitutis adquieverit, nomen & memoriale illius de libro vitæ ſubtractum maneat in æternum maledictum. Hæc autem ſuperius comprehenſa, pro emolumento animæ noſtræ, ad idem Monaſterium contulimus: quatenus Abbatiſſa ejuſque conſorores nec non Canonici Sanctiſſimæ Virginis Mariæ ibi famu-



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [31] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [32] - -

famulates ſtipendium neceſſarium habeant, & pro nobis alacrius Dei miſericordiam exorare procurent. Et ut hæc noſtra imperialis authoritas pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, Annuli noſtri impreſſione adſigniri juſſimus.

Hactenus Diplomatis verba ipſa. Quoniam vero Defenſor fidem ſuam probaturus ſubſcriptionem illius fecit ſingulari tabula ænea exprimi, operæ judicavimus pretium futurum, ſi idem etiam à nobis fiat; præſertim quia præbet illa ipſa tabula non unum magnum falſi documentum. Quantùm verò per artificem licuit, noſtra hæc optime refert illam quam produxit Cœnobii Hyperaſpiſta.

CAPUT III.

Varia Ludovici Pii Imperatoris ſacra Diplomata, ad quæ Cœnobiale erit examinandum.

POſſit jam ſtatim Cenſura Diplomatis Cœnobialis inſtitui: in rem tamen videtur fore; ſi præmittamus ex illo ævo, quo Cœnobiale illud conditum creditur, petita alia quoque nonnulla, & quidem de quibus dubitari non poteſt eſſe genuina. Utique enim neceſſum eſt, ut illius ævi moribus ſit Cœnobiale quoque conſentaneum, ſi etiam illud fuerit bonæ notæ. Quod ſi ſanè à reliquis diverſæ hoc plane fuerit formæ, non poteſt non vel eo ipſo falſitatis eſſe ſuſpectum. Reperiuntur autem illa Diplomata in variis ſcriptis diſperſa. Quæ omnia conſulere, ſive per negotia ſive per librorum defectum, non licet univerſis, quorum tamen judicio omne hoc ſubmitti optamus. Eapropter ipſi nos voluimus illa potius non ſine labore colligere, quam vel aliis eſſe moleſti, vel morari juſtam controverſiæ exiſtimationem.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [33] - 11

Omnia tamen ex Carolino ævo diplomata congerere, neque exigit hoc institutum, neq; non nimis fuerit operosum. Eoque vix tangemus nunc quidem alia, quàm quæ itidem versantur circa Cœnobiorum dotationes, aut Imperatorias Regiasq; dotationum confirmationes. Nec tamen vel illa etiàm omnia, sed sola ista quæ Ludovicus Pius Imperator, ejusque filius Ludovicus Germaniæ Rex, conscribi fecerunt. Atque hæc quidem, quoniam Hyperaspista Cœnobii etiam suum illud Ludovico isti Germaniæ Regi fert acceptum. Illa autem, quandoquidem res docebit, solum Ludovicum Pium Imperatorio nomine in Germania audivisse; & reperiri in Diplomate isthoc Cœnobiali nonnulla, quæ uni illi Pio Imperatori possunt convenire.

Dabimus vero utriusque Ludovici Diplomata seorsim, ne fiat confusio; utque appareat eo rectius, quæ fuerit ab unoquovis observata scribendi ratio. Et nunc quidem producemus primùm Ludovici Pii Imperatoris Privilegia, quo & temporis simul dignitatisque habeatur ratio.

Quoniam vero Diplomatum ejusmodi alia aliis magis sunt integra, initium faciemus ab iis, quæ reliquis sunt perfectiora: deinceps alia subjungemus. Omnium autem Pii Imperatoris Diplomatum, quæ quidem typis edita venêre in manus nostras, integerrimum est unicum illud quod simul ex more illius seculi non tantum habet signum nominis subscriptum sed etiam appressam imaginem. Debet illud orbis inusitatæ industriæ Ferdinandi Episcopi & Principis Paderbornensis, Monasterienssisq; hodie Coadjutoris: literatissimi profectò sine exemplo Principis, & summi tempestatis hujus universæ præcipuè autem Germaniæ nostræ ornamenti. Conscripsit scilicet ille ediditq; cum alia fœcundi ingenii æterna volumina, tum in patriæ & diœceseos suæ decus, ante hosce tres annos nomine dissimulato unum edidit, titulo: *Monumenta Paberneu-*

Paderbornensia ex Historia Romana Francica Saxonica eruta & notis illustrata: propediem novâ editione auctius & illustrius proditurum. Illius operis fini cum alia adjuncta sunt Diplomata, tum hoc quod jam exhibebimus, retentâ quam Illustrissimus Princeps præmisit inscriptione.

Privilegium Ludovici Pii Imperatoris Caroli Magni filii Paderbornensi Ecclesiæ datum IV Non. April. Anno VIII Imperii, qui est annus Christi 822.

In Nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi Hludowicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei ejusque in eis locis sibi famulantes beneficia potiora largimur præmium apud Dominum æternæ remunerationis nobis rependi non diffidimus. Igitur notum esse volumus cunctis fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris quia venerabilis vir Baderadus Episcopus Ecclesiæ quæ est constructa in honore sanctæ Mariæ semper Virginis & sancti Kiliani in loco qui dicitur Paderbrunno missa petitione deprecatus est ut prædictam sedem cum omnibus ad se juste & legaliter moderno tempore pertinentibus vel aspicientibus sub nostra tuitione & immunitatis defensione cum rebus & mancipiis constitueremus quod ita & fecisse omnium fidelium nostrorum cognoscat industria. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in Ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones memoratæ Ecclesiæ quas moderno tempore infra ditionem imperii nostri legibus possidet vel quæ deinceps in jure ipsius loci voluerit divina pietas augeri ad cau-

ſas judiciario more audiendas vel freda exigenda aut manſiones vel paratas faciendas aut fidejuſſores tollendos aut homines ipſius Eccleſiæ contra rationem diſtringendos nec ullas redibitiones vel inlicitas occaſiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat vel ea quæ ſupra memorata ſunt penitus exigere præſumat. Sed liceat memorato Epiſcopo ſuisque ſucceſſoribus res prædictæ Eccleſiæ cum omnibus quas poſſidet quieto ordine poſſidere & noſtro fideliter parere imperio. quicquid vero fiſcus exinde ſperare potuerit totum nos pro eterna remuneratione prædictæ Eccleſia ad ſtipendia pauperum & luminaria concinnanda concedimus qualiter melius delectet clericos in eadem ſede degentes pro nobis conjuge & prole noſtra Domini miſericordiam exorare & ut hæc auctoritas per futura tempora melius conſervetur manu propria ſubter firmavimus & anuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.

Signum  *Hludovvici ſereniſſimi Imperatoris*



Hirminmarus Diaconus ad vicem Fridagiſi Abbatis recognovi

Data quarto Non. April. anno VIIII Imperii domni Hludovvici piiſſimi auguſti Indictione XV. actum aquis grani palatio regio. In dei nomine feliciter amen.

Addu-

Adducto Diplomati sappar fortassis est illud quod Erpoldus Lindenbrogius ex Tabulario Hamburgensis Ecclesiæ depromptum, primo loco collocavit inter Hamburgensia Diplomata, addita *Scriptoribus Rerum Germanicarum Septentrionalium vicinorumq; populorum diversis* suâ cura Francofurti seculi hujus nono anno editis. Addita enim sunt cum integra subscriptio, tum sigilla duo: alterum referens personam Imperatorio paludamento indutam cum mitra coronata, & altera manu avem, forte aquilam, sinistra globum cum imposita cruce: alterum ædem sacram exprimens. Verumtamen argumentum Diplomatis planè est alienum ab eo quod nunc agimus. Conceditur enim illo Diplomate, seu potius injungitur, Sacri Evangelii prædicatio, per omnes gentes Septentrionales, Danos, Suecos, Norwegos, Grunlandos, Halingalandos, Islandos, Scritovindos, ut & per Orientales, ad mare scilicet Balthicum habitantes populos. Quapropter etiam sigilla planè sunt diversa ab eo more, qui obtinebat tum temporis in obsignandis Diplomatibus aliis, de quibus nunc nobis res est. Hinc nullum etiam fuerit pretium operæ, illud quidem Diploma integrum hoc loco exhibere. Dabimus tamen ejus & initium & finem, cum sua quidem inscriptione, verum sine sigillis.

Cui visum tamen fuerit tanti, aut placuerit pium hoc antiqui ævi monumentum lustrare, quod utique saltim sanctitas argumenti probo cuivis propemodum mandat, poterit illud eo quem indicavimus loco reperire. Nos manebamus nunc intra limites nostri instituti. add. p. 321

In Nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi. Hludovvicus divina favente & propitiante clementia Imperator Augustus. Si specialibus cujusque

jusque fidelium nostrorum necessitatibus prospectius subveniendum esse Imperialis auctoritas monstrat, quanto magis ad debitam generalitatis providentiam æquum dignumq; pertinet, ut Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ, quam Christus pretioso sanguine redemit, eamque nobis tuendam regendamque commisit, piam ac sollicitam in cunctis oportet gerere curam, & ut in ejus prospectu vel exaltatione congruam exhibeamus diligentiam novis ad ejus necessitatem vel utilitatem atq; dignitatem pertinentibus rebus, nova imo necessaria & utilia provideamus constituta. &c.

Et ut hæc autoritas sui vigoris perpetuam obtineat firmitatem, manu propriâ subter eam firmavimus, & sigilli nostri impressione signare jussimus.

Signum Hludo  *vvici piissimi Imperatoris*

Hirminmarus Notarius ad vicem Theodonis recognovi.

Data Idus Maii Anno XXI Imperii Domini Hlodevvici piissimi Augusti, Indictione XII.

Actum Aquisgrani in Palatio Regio, in Dei nomine feliciter, Amen. Anno Domini Jesu Christi DCCC XXXIV.

Adjun-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [38] - 16

Adjungere æque integra alia Ludovici Pii Imperatoris diplomata non possumus: nec enim hactenus quidem in manus nostras inciderunt. Cogimur igitur contenti nunc esse binis illis. Addemus tamen duo ejusdem Piissimi Imperatoris diplomata, sed nulla subscriptione aut signo, multo minus Imperatoria imagine munita. Quoniam nihil sit caussæ quare de illorum fide dubitemus.

Accepimus autem illud quod proxime subsequitur ex farragine Privilegiorum, quam Historiæ Episcoporum Vltrajectensium addidit Wilhelmus Heda: juxta editionem, quæ Vltrajecti anno 1642 curante Arnoldo Buchelio Jurisconsulto prodiit simulque doctissimis illius notis est illustrata. Continetur verò in rebus Episcopi septimi Rixfridi p. 45.

In Nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi. Ludovicus divina ordinante providentiâ Imperator Augustus. Imperialem celsitudinem decet prædecessorum suorum pia facta non solum inviolabiliter conservare, sed etiam censuræ suæ authoritate confirmare. Vnde noverit industria seu sagacitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam & futurorum, quia Rixfridus venerabilis vir, Veteris Trajecti Ecclesiæ Episcopus, quæ est constructa in honore S. Martini Confessoris, vel cæterorum sanctorum, detulit mansuetudini nostræ, quasdam authoritates constitutionum, qualiter Dominus & genitor noster Carolus, bonæ memoriæ piissimus Imperator Aug. & avus noster Pipinus & antecessores eorum, ad ipsam Ecclesiam concessisset omnem decimam, de mancipiis, terris, ac de teloniis, vel de negocio, vel de omni re, undecunque ad partem

Regiam Fiscus telonium exigere aut accipere videbatur, & ut homines ejusdem Ecclesiæ sub mundiburdo & tuitione ipsius Ecclesiæ existerent, nec non & in ripis in Doreſtado, ut nec bannum aut fredum, aut conjectum, quod ab ipsis Verscot vocatur, contingere aut exactare præsumeret, & quisquis ex negotiatoribus in eorum ripas intrare voluisset nullam contentionem ex hoc fecisset eis, nec mansiones in eorum domibus sine permissu eorum accipere auderent, nec eorum res dum vixerint auferre, aut post mortem eorum contingere, nec ullo modo eis in aliquâ re calumniam generare quis præsumeret, qui in illa decimâ parte, vel sub mundiburdo Ecclesiæ S. Martini consistunt; videlicet ut sicut illi de illis novem partibus aliquid accipere vel usurpare nec velint nec possint, ita & procuratores Reip. de eadem decimâ parte accipere aut visurpare ad Fiscum non præsumant. Qualiter Præsul ipsius Ecclesiæ, cum omni Clero & populo sibi subjecto alimoniam ministrare, & luminaria in eadem sede continuare, atque gentiles qui ad Christianitatem convertuntur alere & docere possit. Ob firmitatem tamen hujus rei postulavit à nobis prædictus Episcopus, ut paternum sive prædecessorum nostrorum Regum morem sequentes, ejusmodi nostræ authoritatis præceptum, ob amorem Dei & reverentiam S. Martini, circa ipsam Ecclesiam fieri censeremus. Cujus petitioni libenti animo aurem accommodare placuit, & per hanc nostram authoritatem confirmare, ut omnem decimam, tam de mancipiis, quam de terris, aut de telonio, aut de negotio, vel unde-

undecunq; ad partem Regiam jus Fisci censum exigere debet, vel de omnibus quæ suprà scripta sunt, præfata Ecclesia libero in perpetuum jure possideat. Et ne quis contingere aut injustam interpellationem facere præsumat, sed sicut à Domino Imperatore, & avo nostro, & antessoribus Regibus, à nobis per hanc authoritatem constitutum est atque confirmatum, ita omni tempore inviolabiliter conservetur atque custodiatur. Quatenus ipsos servos Dei, qui ibidem consistunt cum eorum Pontifice, & illos quos à gentili ritu ad Christi veram converterunt fidem, pro nobis, conjuge, proleque nonostrâ, & omni populo Christiano, jugiter misericordiam Dei exorare delectet. Et ut hæc authoritas melius ab omnibus credatur, & diligentius conservetur, manu propriâ subscripsimus, & annuli nostri impressione signari fecimus. Signum Ludovici Serenissmi Imperatoris. Data XVII Kalend. Aprilis anno XI, Christo propitio, Imperii Domini Ludovici piissimi Augusti, indictione secunda. Actum Aquisgrani Palatio Regio. In Dei nomine feliciter Amen. Helisachar recognovit.

Hactenus Diploma Vltrajectinum. Subjungemus jam & aliud, Gandensi celebri quondam Flandriæ Monasterio concessum ab Ludovico Pio Imperatore: & quidem quale illud *Codici* suo *Donationum Piarum* pag. 55. inseruit Aubertus Miræus.

IN NOMINE DOMINI DEI ET SALVATORIS nostri Iesu Christi. LVDOVICVS divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si erga loca divinis cultibus

mancipata, propter amorem Dei, ejusque in eisdem locis sibi famulantes, beneficia oportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus.

Idcirco noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumq; præsentium scilicet ac futurorum, solertia, quod vir venerabilis EINHARDVS, Abbas ex monasterio, quod dicitur Ganda, quod situm est in pago Brachbatense, constructum in honorem S. Petri, principis Apostolorum, ubi etiam S. BAVO confessor Christi corpore requiescit, detulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis Domini & genitoris nostri CAROLI, bonæ memoriæ, præstantissimi Imperatoris, in qua continebatur insertum, qualiter ipse ob amorem Dei, tranquillitatemque fratrum in eodem monasterio degentium, semper sub plenissima defensione & immunitatis tutione illud habuisset.

PRO firmitatis namque studio, postulavit nobis prædictus EINHARDVS Abbas, ut paternæ auctoritati, firmitatis gratia, nostram quoque supperadderemus auctoritatem. Cujus petitioni libenter assensum præbuimus, & banc nostram auctoritatem, erga prædictum monasterium, ejusque rectores, immunitatis atque tuitionis gratia fieri decrevimus. Per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judicaria potestate, in Ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterii, quod moderno tempore in quibuslibet pagis ac territo-

territoriis, infra ditionem noſtri Imperii, juſtè ac legaliter poſſidet, vel quæ deinceps in ipſius ſancti loci commodum voluerit divina pietas augeri, ad cauſſas audiendas, vel freda exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius monaſterii, tàm ingenuos quàm & ſervos, ſuper terram ipſius commanentes, diſtringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ ſupra memorata ſunt, penitus exigere præſumat. Sed liceat memorato Abbati ſuisque ſucceſſoribus res prædicti monaſterii, tùm omnes fredos conceſſos, ſicut in præcepto Domini & genitoris noſtri continetur, ſub immunitatis noſtræ defenſione quieto ordine poſſidere, & noſtro fideliter parere imperio. Quatenus ipſos ſervos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & conjuge, proleque noſtra, atque ſtabilitate totius Imperii noſtri, à Deo nobis conceſſi atque conſervandi, jugiter Domini miſericordiam exorare delectet.

Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, & à fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris verius certiusque credatur & diligentius conſervetur, manu propria ſubterfirmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Data Idibus Aprilis, anno Chriſto propitio Imperii noſtri ſexto, Indictione XII Actum Aquisgrani palatio Regio. In Dei nomine feliciter, Amen.

SIGNVM LVDOVICI Sereniſſimi Imperatoris.

Præter illa porro quatuor fortassis nihil est causſæ cur & alia nunc addamus. Superpondii tamen vice adhuc annectemus duo, quæ itidem esse genuina non equidem dubitamus: modò ab alienâ manu fuerit in utroq; illa nota numeri 1; ut & illud 21 in posteriore diplomate. Nec enim, ut primum sese Ludoviciani nominis Pius Imperator diceret, passa est temporum illorum consuetudo; & Zifræ aliquot pòst seculis denique in usum transierunt. Vtrumque vero hoc diploma debetur Wigulæo Hund, sive potius ejus illustratori Christophoro Gewoldo: referturq; numero secundo & tertio, inter diplomata Cœnobii Bajoarici Altahæ inferioris, *Tomo Altero Metropolis Salisburgensis* pag. 10 & 11. Ad cujus posterioris finem recte notavit Gewoldus pro 21 scribendum *12 ut notæ numeri transpositæ sint.*

In Nomine Domini Dei et Salvatoris Iesv Christi. Hludovicus I divina ordinante providentia Imperator Augustus. Notum sit omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis vel Agentibus, præsentibus scilicet & futuris. Qualiter vir venerabilis Teutpaldus Abbas ex monasterio, quod est constructum in honore S. Mauritii martyris in loco qui dicitur Altaha, ad nostram veniens præsentiam indicavit nobis, quod per defensionem domini & genitoris nostri Caroli Imperatoris, usque in præsens tempus res & homines memorati monasterii quietæ, absque cujuslibet injusta interpellatione, resedissent. Petiitque ut nos eum cum rebus & hominibus supradicti monasterii similiter sub sermone tuitionis nostræ susciperemus. Quod nos libenti animo fecimus. Idcirco has literas

firmiter

firmitatis noſtræ ei conſcribere juſſimus, per quas jubemus atque præcipimus, ut nullus noſtrum aut juniorum noſtrorum, neque ipſum Teutpaldum Abbatem neque homines ſuos, per quaslibet injuſtas occaſiones vexare, aut calumniam quamlibet ingerere præſumat, neque de rebus ſuis aut monaſterii ſui ad dominium ejus legitimè pertinentibus abſtrahere vel minuere, vel parvum tollere muniatur. Sed liceat illi in monaſterio ſuo & in poſſeſſionibus ſuis, ad eum legitimè pertinentibus, quiete absque perturbatione reſidere, & nobis ac filiis noſtris deſervire. Et ſi talis cauſa contra illum aut contra homines ſuos exortà fuerit, quæ absque gravi & iniquo diſpendio in patria illius definiri non poſſit, liceat illi & ſuis poteſtatem habere ad nos veniendi, ut in noſtra præſentia cauſa, quæ contra illum vel ſuos exorta fuerit, juſtum & legitimum terminum accipiat. Et ut hæc auctoritas noſtris ſucceſſorumque noſtrorum temporibus firmiorem valeat obtinere vigorem, manu propria ſubtus firmavimus, & de annulo noſtro eam juſſimus ſigillari.

Signum  Hludovici Sereniſſimi Imperatoris. Sigebertus ad vicem Fredegiſi Abbatis.

Data V. Cal. Auguſt. anno Chriſto propitio Hludovic piiſſimi Auguſti octavo, Indict. XIV. in Dei nomine. Amen.

IN

In Nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Iesv Christi. Hludowicus I divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si petitionibus fidelium nostrorum justa petentium aurem serenitatis nostræ libenter accommodamus, & regium morem exercemus, eosque proculdubio devotiores in nostro habebimus obsequio. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, industria, quia nos petenti cuidam Vasallo fideli & familiari nostro Patagero concessimus ad proprium quandam villam juris nostri prope fluvium Enisa, in Comitatu Geroldi Comitis, quæ dicitur Granesdorff, quæ est sita in parte Sclavanorum, cum omnibus appenditiis suis, & de nostro jure in jus & donationem præfati viri semper habendum contulimus. Hanc itaque villam cum toto ædificio, domibus, mancipiis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, sylvis, aquis, aquarumvè decursibus, molendinis, adiacentiis, pérviis, exitibus & regressibus, mobile & immobile, quæsitum & adhuc inquirendum, totum & ad integrum, quantumcunque ad prædictam villam pertinere videtur, cum omni integritate eidem à præsenti die concedimus homini, & de jure nostro in jus & potestatem ejus liberalitatis nostræ conferimus gratiam; ita videlicet, ut quicquid ab hodierno die & tempore, ipse & successores ejus de prædictis rebus & mancipiis, vel his quæ ad eos pertinent jure potestativo facere vel judicare voluerint, per hanc nostræ auctoritatis largitionem libero in Dei nomine perfruantur arbitrio faciendi quicquid elegerint.

elegerint. Et ut hæc auctoritas largitionis noſtræ per curricula annorum Deo protegente inviolabilem atque inconvulſam obtineat firmitatem, manu propria ſubtus firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Datum XII Kal. Ianuar. Anno Chriſto propitio 21 Imperii Domini Hludovici piiſſimi Aug. Indict. 3. actum in loco Aquisgrani palatii. in Dei nomine Amen.

Præter hæc lectu perquam dignæ ſunt Pii Imperatoris chartæ duæ, quas cum Annalibus Francorum aliisque Carolovingici ævi monumentis edidit Pariſiis, is cui multum adeo debet res literaria Petrus Pithœus, anno ſuperioris ſeculi poſt octogeſimum octavo. Quandoquidem autem neutra tangit res ſacras ſed Hiſpanorum, qui ex patria profugerant, tutelam, utraque etiam careat ſigillis & ſignis ſubſcriptis, ac proinde nunc quidem non poſſit eſſe nobis uſui, nolumus iis huc adferendis operam aliquam impendere.

CAPUT IV.

Diplomata complura Ludovici Germaniæ Regis, filii Pii Imperatoris, quem Cœnobialis Vindex vult eſſe conditorem controverſi Diplomatis; propoſita, uti cum iis poſſit illud Lindavienſe comparari.

POſt tabulas primi Ludovici Imperatoris, meritò quis exſpectaverit eas quas conſcribi fecit, is qui verè fuit Ludovicus id nominis ſecundus Imperator: quoniam non primo ſed ſecundo ſolet Cœnobium Diplomatis ſui fabricam attribuere. Verum illius nullum Diploma, quod in Germania quidem ſit conditum, hactenus lucem vidit. Sed &

Vindex Cœnobiticus jam tum de hoc Ludovico secundo Imperatore dedit manus. Idcoque non est etiam, quare ejus quædam Diplomata ex Italia, ubi imperavit, huc trans Alpes nos advocemus.

Potuissemus autem labori etiam meritò parcere in Ludovici Germaniæ Regis Diplomatibus sacris congerendis. Verùm huc coëgit nos Vindicis Cœnobialis inexspectata industria. Vtpote cum ille non dubitaverit omni studio probare, huic Germaniæ Regi, quem vult Imperatorem etiam esse dictum, Diploma illud Cœnobiale deberi. Collegimus itaque etiam hujus Diplomata, quæcunque potuimus reperire. Atque adeo omnia illa nunc dabimus fide optimâ. Idque ideo majore numero, ut deinceps Cœnobialis Privilegii fides atque auctoritas eò rectius ab unoquovis possit explorari.

Hic verò Ludovicus, vivo adhuc patre, fuit solius Bajoariæ Rex constitutus, patrem Imperatorem agnoscens superiorem. Post ferale prælium Fontiniacense divisione rerum Pii inter fratres tres facta, Germaniæ omnis, quæ cis Rhenum nobis est, potitus mutato titulo Rex Franciæ Orientalis audiit. Iterum creta hæreditate Lotharii, sui ex fratre nepotis, trans Rhenum quoque vim regni extendit. Tandem Ludovico secundo Imperatore, altero ex fratre nepote defuncto, jus nactus est occupandæ Italiæ & Imperatorii nominis. Hinc non unius sunt formæ quæ diversis temporibus condidit Diplomata. Nihil autem est causſæ, quare etiam nos nunc temporis illam seriem observemus. Ex re potius videtur futurum, si illa quæ maxime sunt integra primo loco collocentur, in reliquis autem rigidus ordo non habeatur.

Quapropter exordium faciemus ab illo diplomate, quod Monumentorum Paderbornensium volumini itidem nunquam

quam satis laudatus Princeps inseruit. Etsi enim vultum Ludovici hujus nostri non exprimat, sicut Pii Imperatoris imaginem caput præcedens exhibuit, non tamen ullum aliud hactenus publicam lucem vidit quod integritate præstet, aut cui hoc debeat haberi secundum.

In Nomine Sanctae et Individuae Trinitatis. Hludowicus divina favente gratia Rex. Si liberalitatis nostræ munere loca Deo dicata & necessitates ecclesiasticas per petitiones pontificum atque sacerdotum nostro relevamus munimine atque tuemur juvamine id nobis & ad mortalem vitam temporaliter transigendam & ad æternam obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter noverit sagacitas seu utilitas omnium fidelium sanctæ dei ecclesiæ nostrorumq; tam præsentium quam futurorum qualiter venerabilis Episcopus fidelisque noster Batheradus nomine veniens in procerum nostrorum præsentiam obtulit obtutibus nostris præceptum domni ac genitoris nostri Hludowici serenissimi Imperatoris quod ipse facere jussit per petitionem præfati venerabilis Episcopi ad locum qui vocatur Paderbrunno constructum in honore sanctæ Mariæ semper Virginis & sancti Kiliani in quo præcepto continebatur emunitas atque defensio seu tuitio domni Imperatoris genitoris nostri supra prædictum locum sed pro integra firmitate ac securitatis studio præfatus venerabilis Episcopus Bateradus deprecatus est mansuetudinem nostram ut ipsam defensionem atq; tuitionem per nostræ mansuetudinis præceptum renovare dignaremur cujus petitioni ob amorem

domini mei Iesu Christi & reverentiam prænominati venerabilis Episcopi seu animæ nostræ remedium libenti animo assensum præbentes tale auctoritatis præceptum ad ipsum sanctum locum fieri decrevimus. Quatenus sub quali defensione domni genitoris nostri fuit ita deinceps sub nostra tuitione & immunitatis defensione cum omnibus ad se juste & legaliter pertinentibus permaneat. Præcipientes ergo jubemus ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones memoratæ ecclesiæ quas moderno tempore infra ditionem regni nostri legibus possidet vel quæ deinceps in jure ipsius loci voluerit divina pietas augeri ad causas judiciario more audiendas vel freda exigenda aut mansiones vel paratas faciendas aut fidejussores tollendos aut homines ipsius Ecclesiæ contra rationem distringendos nec ullas redibitiones vel illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat vel ea omnia quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato Episcopo suisque successoribus res prædictæ Ecclesiæ cum omnibus quæ possidet quieto ordine possidere & nostro fideliter parere imperio. Quicquid vero fiscus exinde sperare potuerit totum nos pro æterna remuneratione prædictæ Ecclesiæ ad stipendia pauperum & luminaria concinnanda concedimus quatenus melius delectet clericos in eadem sede degentes pro nobis conjuge proleque nostra domini misericordiam exorare. Hæc quippe auctoritas ut pleniorem in Dei nomine obtineat rigorem,

gorem & à fidelibus sanctæ Dei eccl siæ ac nostris verius credatur & diligentius observetur manu propria nostra subter firmavimus & annuli nostri impressione designari jussimus.

Signum  Domini Hludovvici Serenissimi regis

VValto Subdiaconus ad vicem VVitgarii Cancellarii recognovi.

Locus annuli regalis vetustate deleti.

Data XI. Kal. Junii anno Christo propitio XVII regni Hludovvici serenissimi regis in Orientali Francia regnantis. Indict. VI. actum Frankonofurt palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Quod huic præcedenti par sit integritate, nullum diploma hactenus equidem vidi. Proximum tamen locum videtur heic mereri eiusdem Ludovici illud Diploma, quod exhibuit Christophorus Guillimannus commentario de Episcopis Argentinensibus cap. v.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE Trinitatis. Ludewicus favente gratia Dei Rex. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis aliquid conferimus beneficii, & necessitates Ecclesiæ Dei per petitiones religiosarum personarum relevamus munimine, atque imperioso tuemur juvamine: id nobis ad mortalem vitam temporaliter peragendam, & ad æternam feliciter adipiscendam profuturum esse liquido confidimus. Ex quo noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum sollers discretio, quod nobilis atque venerabilis sanctimonialis Abbatissa Basilla sancti Stephani infra muros Argentoratenses sive Strasburg, nostram adiens majestatem præsentavit obtutibus nostris authorabiles emunitatis firmitates prædecessorum nostrorum Regum & Imperatorum, Qualiter prædictus locus Sancti Stephani, à Duce Alberto fundatus erat, & per constitutionem Childerici regis emunitus, & per Pipinum Majordomum locupletatus & munitus crescebat, & per munificentiam Lotharii Imperatoris primi & conjugis Irmengardis ditatus pollebat, ac demum etiam auctoritatem Domini & genitoris nostri Ludewici bonæ memoriæ piissimi Augusti, in quâ continebatur insertum, quod non solum idem genitor noster, verum etiam prædecesso-

il accuratius edidit Schilterus ad Königshovii chronicon p. 978 Wenck Hess. Geschichte Urkundb. p. 137

deceſſores ejus reges Francorum videlicet, apud locum jam dictum, beato Stephano & congregationi Canonicorum quatuor ſacerdotum & ſanctimonialium triginta cum neceſſariis miniſtris dedicatum, ſub ſuo munimine ac defenſione cum omnibus ſibi ſubpertinentibus, tammancipiis quam prædiis, tam infra civitatem quam foris conſtitutis, eorum emunitatum auctoritatibus hactenus ab inquietudine totius judiciariæ poteſtatis eadem munita & defenſa fuiſſet Abbatia. Pro hujus itaque firmitate rei exoravit prædicta Abbatiſſa Baſilla, ut paternam ſeu prædeceſſorum noſtrorum Regum clementiam ſequendo, hujuſcemodi noſtræ emunitatis præceptionem, ob amorem Chriſti & reverentiam ſancti loci, circa idem monaſterium fieri cenſeremus. Cujus poſtulationibus facilem tribuimus aſſenſionem & hanc noſtræ majeſtatis paginam erga ipſum locum immunitatis & tuitionis cauſſâ, pro divini cultus amore & animæ noſtræ remedio fieri decrevimus. Per quod præcipimus atque jubemus, ut ſalvo per omnia honore ſui ſacroſancti præſulis, nullus judex publicus, vel quilibet ex judiciaria poteſtate, loca aut agros, vel quaſcumque reliquas poſſeſſiones, quas ab antiquo vel moderno tempore in quibuslibet territoriis vel pagis vel Comitatibus infra ditionem noſtram juſtè & legaliter memorata tenet vel poſſidet Abbatia, vel ea quæ poſtmodum in jure ipſius monaſterii voluerit divina pietas augeri, ad cauſſas audiendas, vel freda, vel tributa vel thelonea exigenda, ad manſiones, vel paratas faciendas, aut fidejus-

fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos quam servos super terram ipsius commorantes injustè distringendos, nullas redibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris vel futuris temporibus, ingredi audeat, nec ea, quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat, sed liceat memoratæ Abbatissæ suisque successoribus auctoritate Episcopali, vel dispensatione illius quem ex numero fratrum ipsius loci constituerit œconomum, ipsam sedem, cum omnibus sibi subjectis & rebus vel hominibus ad se pertinentibus, sub tuitionis atque emunitionis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere, & pro nostro fideliter exorare imperio & incolumitate nostrâ & conjugis atq; prolis. Nec liceat alicui sub prætextu advocatoriæ occasionis, sibi vel in hominibus vel quibuslibet rebus vel possessionibus eorum aliquod jus vendicare, nisi quem pro aliquâ, sicut aliquando fieri evenit, necessitate, ipsa Abbatissa cum congregationis voto, per consilium Antistitis apud palatium expostulaverit, qui nec palemundum vel aliquas exactiones exercere præsumat. Si quis vero temerarius contra hanc nostræ constitutionis auctoritatem venire prætemptaverit, prædictæ Ecclesiæ quinque libras auri fiscoque regio decem auri purissimi persolvere cogatur, & insuper offensam regiam incurrat. Vt autem hæc auctoritas plenioremin Dei nomine vigorem obtineat, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, verius & certius, perpetuo

tuo tempore, credatur, propriâ manu ſubtus ſignavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.

Datâ II Idus Septembris. Anno Chriſto propitio XXII Domini Ludowici ſereniſſimi regis in Alſatia indictione quarta. Actum Strasburg palatio regio in Dei nomine feliciter Amen.

Signum Ludowici Sereniſſimi Regis



Otgarius ad vicem Grimoldi Archicancellarii recognovit.

Hactenus & illud Argentinenſe Diploma. Non poſſumus verò non monere, videri errorem commiſſum in nota numerali annorum regni in Alſatia. Potitus enim tunc ibi eſt rerum Ludovicus Indictione III, & anno regni in Orientali Francia quidem LXII, ſed in Alſatia II.

Hæc duo autem Diplomata omnium, quæ Ludovico Pii filio debentur & hactenus viderunt lucem, ſunt integerrima. Nunc alia adducemus, & quidem primùm ea quæ Wigulejus Hund numerosè inſeruit Metropolis ſuæ duobus prioribus Tomis: eo tantùm obſervato ordine, quod præcedere debeant illa quæ vivo patre Imperatore condidit filius Diplomata adhuc Bajoariæ Rex, ſubſequi autem quæ patre jam defuncto in Orientali Francia regnans conſcribi fecit. De quibus in univerſum hoc monendum eſt, in quam multis illa mendoſa eſſe, quamvis indubiè à Ludovico hoc ſint profecta. Dabo

ego omnia prout accepi, nulla instituta mendorum correctione, quoniam nostrum hoc institutum talem operam non postulat. I

In Nomine Domini Nostri Iesv Christi Dei omnipotentis. Ludovicus divina favente gratia Rex Bajoariorum. Si igitur erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, eorumque in eisdem locis sibi famulantibus beneficia oportuna largimur præmium nobis apud Dominum in æterna beatitudine recipere confidimus. Proinde notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque, præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis Gozbaldus sacri palatii nostri summus Capellanus, & Abbas Monasterii quod dicitur Altaha, quod est constructum in honore S. Mauritii martyris Christi, adiens excellentiam nostram innotuit clementiæ nostræ, qualiter postquam terra Avarorum ex parte ab avo nostro Domino Carolo Imperatore capta fuisset, ipsius permissu atque consensu quædam res in ipsa marcha ad jus regium pertinentes eidem monasterio collatæ fuissent, quas etiam usque nunc prædictum possedit monasterium. Sed quia auctoritas traditionis exinde minimè apparebat, deprecatus est idem Gotsbaldus Abbas, ut nostræ auctoritatis largitionem atque confirmationem eidem daremus monasterio, per quam ipsas res imposterum prædictum monasterium ejusque rectores, absque cujuslibet impedimento aut contradictione, tenere & dominari potuisset. Cujus deprecationem propter divinum amorem & reverentiam ipsius sancti loci libenter annui-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [56] - 34

nuimus, & ipsas res perpetuò possidendas solenni datione eidem concessimus monasterio, id est locum, qui nuncupatur VVachanna, qui terminatur à fonte rivuli, qui vocatur Mystrica, usque ad eum locum ubi ipse Danubium influit, ac deinde tendit sursum in ripam Danubii usque in Bochbach, & ultra Bochbach mansum unum, & inde juxta Bochbach sursum usque in verticem montis, qui nuncupatur Ahornica, nec non & alium locum nuncupatum Accusbach juxta ripam Danubii, cujus mensura est in longitudine milliarium unum & in latitudine similiter, nec non & campum unum qui continet mansum unum, quem interjacet causa Frisingensis Ecclesiæ. Has itaque res, cum mancipiis, domibus, ædificiis, vineis, terris, sylvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, quantumcunque infra terminia prædicta de eisdem rebus continetur, totum & ad integrum, in jus & dominationem prædictæ Ecclesiæ perpetualiter ad habendum conferimus. Ita videlicet, ut quicquid de ipsis vel in ipsis rectores vel ministri supra memoratæ sedis ob utilitatem & commoditatem ipsius Ecclesiæ facere vel judicare voluerint, liberam habeant in omnibus potestatem faciendi quicquid elegerint. Et ut hæc auctoritas largitionis atq; confirmationis nostræ per curricula annorum inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subtus firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Adalleod. Diacon. ad vicem Gozbaldi recognovi. Datum prid. Non. Octobr. anno Christo propitio decimo septimo Regalis Imperii Domini Ludovici serenissimi Aug. an. V. regni

noſtri, Indict. nona. Actum in Regenſpurch civitate. In Dei nomine feliciter Amen. Signum Domini Ludovici Sereniſſimi Regis



Nemini non manifeſtum eſt, monogrammum appoſitum neutiquam convenire cum duobus prioribus Ludovici Germanici, ſed planè idem eſſe cum ſigno quo uſus eſt Pius pater. At verò cum ſigna illa docere debuerint quonam auctore ſint condita Diplomata, utique filius ſaltim vivo patre debuit diverſo & ſibi proprio ſigno uti non autem paterno. Ac proinde per errorem à Gewoldo ſive Hundio ſignum hoc Pii Imperatoris eſt poſitum: quemadmodum ab illis infiniti alii errores ſunt commiſſi.

II

In Nomine Domini Noſtri Ieſv Christi, Dei omnipotentis, Hludovicus divina largiente gratia Rex Bojariorum. Si petitionibus fidelium noſtrorum, quas auribus noſtris inſinuaverint, libenter annuimus, & eas in Dei nomine ad effectum perducimus, & Regium morem decenter implemus, & illos in noſtro ſervitio promptiores reddimus. Iccirco comperiat induſtria atque utilitas omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum. Quia Erchanfridus, Diaconus & Capellanus noſter, nec non propinquus ſuus Baturicus, obtulerunt obtutibus noſtris quandam chartam præſtariam; in qua continebatur, qualiter Baturicus Epiſcopus præſtitiſſet eis, ad uſum meritum, quasdam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [58] - 36

quasdam res ex ratione Monasterii sui sancti Emmerani, quas olim idem Erchanfridus, ex suo proprio eidem largitatis munere contulerat Monasterio, nec non & alias ex ratione ejusdem Monasterii, eis ad usum meritum diebus vitæ eorum concessisset: Quæ sunt utræque res in villa, quæ dicitur Hroochinga, quæ alio nomine Folinchoua vocatur, & in alio loco, quæ dicitur Buochusa, cum mancipiis, casis, domibus, ædificiis, terris, pratis, pascuis, sylvis, aquis, aquarumque decursibus, cum omnibus, quæ in prædictis locis, tàm ex prædicti Erchanfredi donatione, quomodocunque, & ex ratione ejusdem Monasterii habere videbatur, nec non & in alio loco, qui dicitur Alinchoba, hobam unam, & in Cailonesbach hobam unam. Et deprecatus est excellentiam nostram, ut super hanc præstariam, confirmationis nostræ præceptum fieri juberemus, per quod diebus vitæ eorum firmius & quietius, absque alicujus contrarietate, ipsas res tenere & possidere valerent. Quorum petitionibus libenter annuimus, & hanc autoritatem confirmationis nostræ eis fieri jussimus, per quam præcipimus & jubemus, ut diebus vitæ eorum ipsas res teneant & possideant. Et nullus quilibet Ecclesiasticæ dignitatis præditus, aut alius quilibet eis, de ipsis rebus, ullam inquietudinem aut contrarietatem facere præsumat. Sed liceat illis, sicut diximus, diebus vitæ eorum usu fructuario ordine tenere & possidere, & post eorum amborum discessum, cum integritate, in potestatem & dominationem prædicti Monasterii revertantur. Hæc verò autoritas præceptionis

ptionis noſtræ, ut firmior habeatur, & à fidelibus noſtris meliùs conſervetur, annuli noſtri impreßione ſubter juſſimus aßignare.

ADALLEODVS Diaconus, ad vicem Gauzbaldi recognovi. Data 15. Calend. Septembris. Anno Chriſto propitio 18 Imperii Domini Hludovici, Sereniſſimi Aug. & Anno 6. Regni noſtri, Indictione 9. Actum Reginesburgch, in Palatio noſtro, in Dei nomine feliciter Amen.

III

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE Trinitatis. Ludovicus divina favente gratia Rex. Si liberalitatis noſtræ munere, de beneficiis divinitus nobis collatis, locis ſanctorum quiddam conferimus, id nobis, procul dubio, ad æternæ remunerationis præmia capeſſenda profuturum liquidò credimus. Proinde noverit omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcilicet & futurorum induſtria; quia nos, pro mercedis noſtræ augmento, conceſſimus Eccleſiæ Patavien. quæ eſt conſtructa in honore ſancti Stephani prothomartyris, ubi etiam ſanctus Valentinus confeſſor Chriſti corpore requieſcit, cui præſenti tempore venerabilis Vir Reginarus Epiſcopus præeſſe videtur, quasdam res proprietatis noſtræ quæ ſunt in provincia Avarorum, in loco qui dicitur Kirchbach, id eſt, Eccleſiam unam conſtructam, cum territorio, ad manſos centum faciendum & plus, quarum terminia ſunt, ab ipſo loco pergens per unam ſemitam usque ad locum qui dicitur Tumus, & inde per circuitum usque ad prædictum Kirchbach, & deinde uſque ad Markam Theotherii,

therii, & inde usque sursum Cynnenberg. Has itaque res, cum prædicta Ecclesia, cum vineis, terris, cultis & incultis, pratis, sylvis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, adjacentiis, perviis, & exitibus, & regressibus, totum & ad integrum, quemadmodum Rathodus Comes Annonicor Episcopo ipsas res consignavit, ita prædictæ Ecclesiæ pœnitentialiter concessimus, & de nostro jure in jus & ditionem ejus, liberalitatis nostræ munere conferimus, ita videlicet, ut quicquid rectores & ministri supradictæ sedis de ipsis rebus, jure Ecclesiastico, facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi, tantum scilicet, ut dum Annocor Episcopus, atque Anno Nepos ejus, advixerint, ipsas res tenere & usare faciant, & nullus eis ipsas abstrahere præsumat, & post illorum discessum cum integritate ad eandem Ecclesiam revertantur. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ per curricula annorum inviolabilem atq; inconcussam obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, & annuli nostri impressione signare jussimus. Signum Ludovici gloriosissimi Regis. Adalleodus Diaconus ad vicem Grimaldi recognovi. Data XIV Kal. Maji, Anno Christo propitio, III Regni Domini Ludovici Regis in Orientali Francia indiction. XIV lectum Ostrenhova, palatio Regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

IV

LVDOVICVS DIVINA FAVENTE GRATIA REX Bajoariorum. Cùm regalis excellentia unius fidelis rationabilem petitionem ad effectum perducere satagit, non solum ipsis

ipsius, sed etiam cunctorum fidelium suorum animos ad fidelitatem debitam sinceriſsimè conservandam promptiores devotioresque efficit. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & Deo dispensante successoribus nostris, qualiter petente ac suggerente Gosbaldo venerabili Abbate & fideli nostro, complacuit nobis propter suum devotiſsimum erga nostræ mansuetudinis obsequium, quasdam res proprietatis nostræ, quæ sunt in villa quæ vocatur Ingolstat, & quas præfatus vir hactenus in beneficium habuit, ei deinceps ad proprium per nostræ largitionis munificentiam concedere. Id sunt Ecclesiæ duæ, curtis dominicata, cum cæteris ædificiis de superpositis, de terra arabili jornales centum triginta, de pratis ubi possunt colligi de fæno carradæ quadringenta. Mancipia infra curtem inter pueros & fœminas genecias, numero viginti duo. Mansi serviles vestiti ad eandem curtem aspicientes viginti duo. Sint mansorum duodecim. Vnde etiam pro firmitatis ac majoris securitatis studio præsentem auctoritatem largitionis nostræ fieri jussimus, per quam memorato Abbati rem superius nominatam cum suis pertinentiis, campis scilicet, sylvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, molendinis, mobilibus atque immobilibus, servis quoque vel ancillis, & quicquid ad eandem curtem, justè & legaliter pertinere dinoscitur, & nostri juris atque potestatis jure proprietatis est, totum & ad integrum, quod ille sicut præfati fuimus, in beneficium habuit, largimur, de potestate nostra in ejus transfundi-

fundimus dominationem jure proprietario ad habendum, ita ut ab hodierna die nulla persona nostris vel successorum nostrorum temporibus, aliquam ex his præsumat ei afferre inquietudinem, sed per hoc nostræ donationis præceptum hoc cum quiete tenere liceat. Et inde quicquid elegerit vel facere voluerit, liberam in Dei nomine in omnibus habeat faciendi potestatem. Et ut hæc auctoritas nostræ largitionis inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subtus eam firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Datum XV. Cal. Septembr. anno VII regni Domini Ludovici Regis in Orientali Francia, indictione IV. Actum Heilicobrunno palatio regio, in Dei nomine feliciter Amen.

V

In Nomine Sanctae et Individuae Trinitatis. Ludovicus divina favente gratia Rex. Si petitiones præsulum sanctæ Dei Ecclesiæ juste & rationabiliter aures serenitatis nostræ petentium ad effectum perducimus, hoc nobis procul dubio ab æterna renumeratione præmia capessenda profuturum liquido credimus. Quapropter notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque præsentibus scilicet & futuris, qualiter Vir venerabilis Gotsbaldus VVirtzburgensis Ecclesiæ Episcopus, nostram adiens serenitatem, postulans ut fratribus in Monasterio S. Mauritii martyris Christi vocabulo Altaha consistentibus, qui nunc sub ejus regimine Deo famulari noscuntur, post illius transactæ mortalis vitæ terminum, si talis frater inter illos inveniri poterit, qui fratris officio idoneiter & rationabiliter

nabiliter fungi valeat, eum eligendi noſtra eis licentia tribueretur. Cujus petitioni aurem manſuetudinis noſtræ accommodantes hoc ita perdonaſſe per præſentem autoritatem noſtram omnium fidelium noſtrorum cognoſcat magnitudo, ita tamen ut præfatum eſt, ſi talis ſecundum regulam S. Benedicti aptabilis & idoneus, tàm in moribus quàm in ſcientia ſeu cæteris bonis ornatus ad ſervitium Dei omnipotentis ibi invenitur, per præfati venerabilis Epiſcopi petitionem & amorem aſſenſum præbemus, ut eos melius delectet pro nobis proleq. noſtra & pro ſtatu totius regni noſtri Domini miſericordiam attentius exorare. Et ut hæc noſtræ largitionis auctoritas majorem obtineat vigorem, manu propria noſtra ſubtus firmavimus, & annuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus. Datum 8. Idus Martii, Anno propitio Chriſto, 14. regni Domini Ludovici glorioſiſſimi Regis in Orientali Francia, indictione 12. Actum Regenſpurg civitate Regia, in Dei nomine feliciter Amen.

VI

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE Trinitatis. Ludovicus divina faventegratia Rex. Si petitionibus præſulum ac ſervorum Dei juſtè & rationabiliter petentium aures ſerenitatis noſtræ accommodamus, hoc nobis proculdubio à remuneratore omnium in æterna beatitudine credimus adfuturum. Quapropter noverit omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorumque præſentium ſcilicet & futurorum induſtria, quia vir venerabilis Gotzbaldus V Virzburgenſis Epiſcopus, nec non & rector monaſterii

cui

cui vocabulum est Altaha, nostram adiit celsitudinem, deprecans, ut sibi nostræ munificentiæ præceptum fieri juberemus, ut ubicunq; invenire posset aliquas res & mancipia, quæ à nobilibus hominibus aptius & congruentius suo monasterio commutare valeret, nostræ benignitatis auctoritate sibi successoribusque suis & advocatis eorum licentia commutandi tribueretur. Et contra quæ à parte illius monasterii dantur his, qui cum eis commutare voluerint, ratam & stabilem perpetuo commutationem fieri, hac auctoritate nostra decerneremus. Cujus petitioni, quia justè & rationabiliter inde nostram mansuetudinem hortatum est, sicut unicuiq; fidelium nostrorum rationabiliter petentium aurem benignitatis nostræ accommodamus, ita istius petitionem ad effectum dignum duximus, statuentes, ut deinceps quicquid pro utilitate jam dicti monasterii præfatus Episcopus successoresque illius & advocati illorum commutaverint, in mancipiis cæterisque rebus, sylvis, seu etiam territoriis, per hanc nostræ benevolentiæ concessionem firmum & inconvulsum perpetuò permaneant. Et ut nulli liceat illam commutationem infringere vel irrumpere, aut infestare, sed, ut diximus, quicquid pars altera alteri dederit stabilitatem & incontaminatum futuris temporibus consistat. Illud tamen omnimodis præcipientes, ut cum maxima cautela & diligentia consideretur, ne pejus aut deterius vel minus in ullo isto negotio parti & potestati præfato monasterio ex illa commutatione proveniat. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas firmiorem

miorem atque diuturniorem obtineat vigorem, & à cunctis fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ noſtrisque melius credatur, & diligentius conſervetur, manu propria noſtra ſubtus firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Data XI Cal. Aprilis. Anno Chriſto propitio 19. regni Domini Ludovici glorioſiſſimi Regis in Orientali Francia. Indict. 14. Actum Ratiſpona civitate, in Dei nomine feliciter Amen.

VII

In Nomine Sanctae et Individuae Trinitatis. Ludovicus divina favente gratia Rex. Si liberalitatis noſtræ munere res ſanctæ Dei Eccleſiæ & loca divinis cultibus mancipata per adpetiones fidelium noſtrorum noſtro relevemus juvamine, atque regali tuemur munimine, præmium inde nobis apud Dominum æternæ remunerationis procul dubio rependi non diffidimus. Proinde noverit omnium fidelium noſtrorum tàm præſentium ſcilicet quàm & futurorum induſtria, qualiter vir quidam Otgarius, quem nos quidem ad Monaſterium nomine Altaha quod in honore S. Mauritii martyris Chriſti eſt conſtructum Abbatem eſſe ſtatuimus, obtulit obtutibus noſtris non ſolùm auctoritatem emunitatis beatæ memoriæ Caroliavi noſtri Auguſtiſſimi Imperatoris, ſed & Taſſilonis quondam Ducis in Ducatu Bajoarico ſuper eadem re literas oſtendit, in quibus continebatur inſertum, quod præfatum monaſterium ſub ſuo nomine & defenſione cum cellulis & locis ſibi ſubjectis rebus & hominibus & omnibus illic pertinentibus hactenus ab inquietudine judiciariæ poteſtatis munitum atq; defenſum firmiſſimè fuiſſet. Vnde etiam

etiam prorei firmitate suggessit vir prænominatus clementiæ nostræ, ut paternum seu prædecessorum nostrorum Regum videlicet morem sequentes, hujusmodi nostræ emunitatis præceptum ob amorem Dei & reverentiam ipsius sancti loci circa ipsum monasterium conscribere juberemus. Cujus petitioni libenter acquiescentes hoc emunitatis nostræ præceptum erga ipsum monasterium gratia tuitionis & defensionis, ac pro divini cultus amore nec non & animæ nostræ, conscribi decrevimus, per quod firmiter & omnibus modis imperamus, ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate, aut ullus ex fidelibus nostris, tàm præsentibus quàm & futuris, neque Comites, neque Centenarii, neque exactores in Ecclesias aut loca vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem regni nostri justè & legaliter tenet ac possidet, vel etiam in ea, quæ injure ipsius monasterii voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel facienda freda & tributa exigenda, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quàm servos, sclavos & accolas super terram ipsius commanentes, nec justè nec injustè distringendo, & nullas redhibitiones vel mansiones aut paratas faciendas aut illicitas occasiones requirendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea quæ supra commemorata sunt, ullo unquam tempore exigere præsumat, sed liceat memorato Viro suisque successoribus res prædicti monasterii cum omnibus rebus sibi subjectis & hominibus

minibus, tàm ingenuis quàm servis, cujuscunque sint nationis, atque omnibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, sub tuitionis atque emunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine & vulgari appellatione quieto ordine ac tranquilla securitate possidere. Et advocati ipsius Ecclesiæ omnem causam inquirendam & discutiendam ipsi dijudicent, & finiant, & quicquid de præfatis rebus Ecclesiæ jus fisci exigere poterat in integrum prædicto Viro Otgario suisque successoribus concessimus, scilicet ut perpetuo tempore ei ad peragendum Dei servitium augmentum & supplementum sint. Et ut hæc auctoritas emunitatis per futura tempora à cunctis fidelibus nostris melius conservetur veriusque credatur subtus eam manu propria nostra firmavimus, & impressione annuli nostri assignari jussimus.

Signum Hludovici  *Serenissimi Regis*

Hildebrandus Subdiaconus ad vicem Grunoldi Archicapellani recognovi. Data XI. Kal. Maii anno XXV. regni Hludovici Serenissimi Regis, in Orientali Francia regnantis, Indictione V. Actum in villa Potamo, in Dei nomine feliciter Amen.

Signum sive monogrammum præcedens non Germanici sed Pii est Ludovici. Quæ igitur paulo ante monuimus, hîc quoque locum habent.

IN

IIX

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE Trinitatis. Ludovicus divina favente clementia Rex. Si loca divinis cultibus consecrata nostro relevemus juvamine, & augmentum illis in rebus transitoriis impendimus, hoc nobis procul dubio profuturum esse liquido credimus. Quapropter notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque præsentibus scilicet & futuris, qualiter nos ob petitionem Eginulfi fidelis nostri quasdam res proprietatis nostræ, quas quondam Reginbertus & Reginolf pater suus servus noster possidens incolebat, ad Monasterium quod vocatur Altaha, cui Otgarius Abbas & rector præesse constituitur, ad proprium dedimus datumque in perpetuum mansurum esse volumus, quicquid Reginbertus prædictus & Reginolf pater suus servus noster de nostro jure habere visus fuit. Sunt autem ipsæ res in conjacentibus terminis prope monasterium Altaha in pago Quinzingouue situm in territorio quod est inter Sweinaha & Monasterium Altaha contiguum. Sed pro integra firmitate petiit præfatus Otgarius nostræ auctoritatis præceptum super hac re sibi conscribi, cujus petitioni libenter annuimus, & hoc præceptum nostræ donationis scribere jussimus, per quod præcipientes imperamus, ut res superius comprehensæ, jure firmissimo in potestate ejusdem Otgarii successorumque ipsius perpetualiter sine ulla contradictione inconvulsæ permaneant. Et quicquid inde elegerit faciendum, plenariam deinceps & liberam faciendi potestatem habeat. Et ut hæc auctoritas nostræ largitionis firmiorem

miorem obtineat vigorem, veriusque credatur atque diligentius conservetur, manu propria nostra subtus eam firmavimus, & sigilli nostri impressione assignari jussimus. Data 15. Cal. Septembr. Anno Christo propitio 25 regni Ludovici serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis. Indictione 5. Actum in civitate Ratispona, in Dei nomine feliciter. Amen.

IX

In Nomine Sanctae et Individuae Trinitatis. Ludovicus divina favente gratia Rex. Si enim ea quæ fideles regni nostri pro eorum oportunitatibus nos deprecati fuerint, implere studuerimus, non solum regium morem decenter implemus, verum etiam eos procul dubio fideliores & devotiores in nostro efficimus servitio, & ad æternam vitam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum solertia, qualiter Bribinus fidelis Dux noster veniens in procerum nostrorum præsentiam postulavit serenitatem nostram, ut de rebus proprietatis suæ, quas ei in proprietatem concessimus, liceret ei partem aliquam ob memoriam ejus dare ad S. Mauritium, & ad Monasterium nostrum Altaha, cui tempore illo Abbas Otgarius præesse videbatur & rector, cujus petitioni libenti animo assensum præbentes decrevimus ita fieri. Dedit itaque Bribinus fidelis Dux noster cum consensu & licentia nostra ad præfatum Monasterium S. Mauritii martyris Christi de sua proprietate in suo Ducatu quicquid habuit ad Salapin-

lapingiti infra terminos istos. In Orientem ultra Salam fluviolum usque in Slougenzim Marchan & Stresmaren, & sic sursum per Salam usque ad VValtungespach, & sic inde usque in Hrabagisreit, & ad Chiristetin. Postea verò prædictus fidelis Abbas noster Otgarius deprecatus est celsitudinem nostram, ut easdem res per nostræ auctoritatis præceptum confirmassemus. Cujus petitioni ob honorem Dei & S. Mauritii militis Christi & bonum illius servitium libenti animo assensum præbuimus, & hoc ei nostræ auctoritatis præceptum fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus, ut sicut prædicti termini in prædictis locis diffiniti sunt, ita deinceps ad jam dictum monasterium per hoc nostræ auctoritatis præceptum ipsæ res nullo inquietante Deo auxiliante perpetuis temporibus consistant in proprium. Et ut hæc auctoritas nostræ largitionis firmior habeatur, & per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, & diligentius observetur, manu propria nostra subtus eam firmavimus, & annuli nostri impressione roborare jussimus. Data 10 Cal. Martii. Anno Christo propitio 28 regni Domini Ludovici Serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis. Indictione 8 actum Regenspurg civitate regia. In Dei nomine feliciter.

X

In Nomine Sanctae et Individuae Trinitatis. Ludovicus divina favente gratia Rex. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii, & necessitates Ecclesiasticas nostro releva-

mus juvamine, atque regali tuemur munimine, id nobis & ad mortalem vitam temporaliter transigendam, & ad æternam feliciter obtinendam profuturum liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum solertia, qualiter venerabilis Abbas noster Otgarius adiit celsitudinem nostram, humiliter implorans, ut quasdam res proprietatis nostræ ad monasterium quod vocatur Altaha constructum in honore S. Mauritii in proprium concedissem. Nos itaque petitioni ipsius libenti animo assensum præbuimus, & concessimus quasdam res proprietatis nostræ ad monasterium Altaha, id est villam quæ vocatur Nawawinida juxta rivulum Trebinam. Admonuit etiam celsitudinem nostram prædictus Abbas, qualiter Dominus Avus noster Carolus licentiam tribuit suis fidelibus in augmentatione rerum Ecclesiasticarum Dei in Pannonia carpere & possidere hæreditatem, quod per licentiam ipsius in multis locis, & ad istud etiam monasterium factum esse dinoscitur. Fuerunt namque in vestitura prædicti monasterii quædam loca nomine Scalcobach, sicut ipse rivulus fluit in occidentalem partem usque in Dagodeos Marcha, & inde in Orientalem plagam usque in Ryzara Marcha, atque in eum locum quem vocat Cidalaribach in saltu Enisæ fluvii, qui conjacet inter Danubium & Ibysam atque Hurulam in meridianam partem, usque in verticem montis & ad Biugen mansos quinque & quicquid ad prædictas villas pertinet, hoc est in mancipiis, ædificiis, terris, cultis & incultis, vineis, pratis, sylvis, venationibus, pascuis, aquis,

aquis, aquarumve decursibus. Licet itaque fuissent in vestitura prædictæ res ad præscriptum monasterium, tamen ibi non erant confirmatæ per illius auctoritatis præceptum. Qua de re commoniti hos nostræ auctoritatis apices fieri jussimus, per quos decernimus atque jubemus, ut prædictæ res cum omnibus prænominatis ad præscriptum monasterium Altaha in nostra eleemosyna atque in remedio animarum antecessorum nostrorum inviolabiliter perennis temporibus permaneant, nullo contradicente. Et ut hæc auctoritas nostræ largitionis firmior habeatur, & per futura tempora à fidelibus nostris verius credatur, & diligentius observetur, manu propria nostra subtus eam firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus. Data 16. Cal. Iulii, anno Christo propitio 31. regni Domini Ludovici serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis. Indict. 10. Actum Ostermutinga villa regia, in Dei nomine feliciter.

XI

In Nomine Sanctae et Individuae Trinitatis. Ludovicus favente gratia Rex. Oportet igitur nos, qui divino sumus munere quodammodo præ cæteris mortalibus sublimati, ejus in omnibus parere præceptis cujus clementia prælati sumus atq; cujus præcellimus munere, loca uti unquam sibi sacrata per adpetitiones fidelium nostrorum nostro relevare juvamine, atque regali tueri munimine, atque in eis qui ibi Domino famulantur, munificentiam nostræ largitionis clementer impendere quoniam sit nobis & ad mortalem vitam temporaliter transigendam, & ad æ-

ternam feliciter obtinendam profuturum, liquidò credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcilicet & futurorum ſolertia, qualiter venerabilis Otgarius Abbas & vocatus Epiſcopus adiit celſitudinem noſtram deprecans, ut ob mercedis noſtræ augmentum, loca quædam pertinentia ad ſuum Monaſterium Altaha, quæ ille unà cum communi concilio fratrum ad illorum uſus neceſſarios deſervire conſtituit, nec non etiam quæ antea habuerunt, quorum locorum nominà hic ſubtus tenentur inſcripta, per noſtræ auctoritatis præceptum eis perpetualiter habere concederemus. Cujus petitioni ob amorem Domini noſtri IESV Chriſti libenti animo aſſenſum præbentes, ita decrevimus fieri. Conceßimus itaque præſcriptis fratribus conſiſtentibus in Monaſterio Altaha ad illorum uſus neceſſarios res quas antea habuerunt in iſtis locis, quorum nomina ſunt, Buechofen, Heidolfinga, Oparinhuſa, Bogama cum Anſolfinga, Vrbach, & quæ illuc pertinent cum Schellmaha, Müliheim. Nec non etiam eas res, quas venerabilis Otgarius Abbas ibidem ad illorum uſus neceſſarios poſtea per noſtram licentiam adauxit in iſtis locis quorum nomina ſunt, Altdorf cum Niunhuſa & ad VValde, poſt obitum Odali Zulinga, Vſterlinga, Smidaha cum decem vineis ad VVahonne, ad Bouhhæ, poſt obitum Slemari, & loca quæ Richovi & Richardo ad obedientiam commendata ſunt poſt obitum amborum. Et quod Heribertus habuit poſt obitum ejus & conjugis ſuæ, atque tertiam partem ſalis ad ſalinas, & ſi deinceps aliquis res

ſuas

suas ad præfatum Monasterium tradiderit, in prædictorum fratrum redigatur servitium. Has itaque præscriptas res cum omni integritate in prædictorum fratrum servitio perpetualiter per hoc nostræ auctoritatis præceptum plenius in Dei nomine confirmatum permanere concedimus, ea videlicet ratione, ut nullus ex successoribus nostris inde quippiam auferre præsumat, neque Abbas, neque alia quælibet opposita persona, sed absque alicujus molestia vel inquietudine easdem res ad illorum servitium perpetualiter habeant teneant atque possideant. Reliquæ verò res ubicunque sint pertinentes ad Monasterium Altaha sub dominio & gubernatione Abbatis existant, quem ipsi fratres secundum regulam S. Benedicti elegerint. Et ut hæc auctoritas nostræ largitionis firmiter habeatur & per futura tempora à fidelibus nostris credatur & diligentius observetur, manu propria nostra subtus eam firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus, nec non per manus Carlomanni roborari fecimus. Data 15 Cal. Ian. Anno Christo propitio 33 regni Domini Ludovici serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis. Indictione 12. Actum Altaha Monasterium, in Dei nomine feliciter.

XII

Etsi undecim Diplomatibus quæ ex Metropoli Salisburgensi adduximus non audemus fidem detrahere: Quod sequitur tamen est, fateor, multis de caussis suspectum. Adferemus autem etiam illud in medium, ne videamur quidquam voluisse omittere eorum quæ tanto studio in Metropoli ab Hundio & Gewoldo congesta sunt: utque appareat, etiam veteres com-

mentorum auctores non fuisse ausos Ludovico nostro aliud quam Regium cognomentum attribuere.

In Nomine Domini Nostri Iesv Christi, Dei omnipotentis, Ludovicus, divina favente gratia Rex. Oportet igitur nos, qui divina sumus gratia quodammodo cæteris mortalibus sublimati, ejus in omnibus parere præceptis, cujus clementia existimus prælati, atque cujus præcellimus munere, loca utique ipsius sibi dicata ante omnia nostris rebus sublimare atque dilatare. Quoniam hoc procul dubio ad salvationem corporis & animæ nostræ fore creditur. Idcirco oportet nos ob amorem Domini nostri IESV CHRISTI & matris ejus Mariæ, invidiam destruere malignorum spirituum & hominum, quam nolumus manere, quæ est in Ratisbona civitate, inter Ecclesiam sancti Stephani Protbomartyris, ubi modò sedes est Episcopalis, & inter Ecclesiam sancti Emmerani pretiosi Martyris, juxta muros ejusdem civitatis, ubi Cathedra erat Pontificis usque dum pater meus Carolus Magnus, Anno ab incarnatione Domini DCCXCVIII cum authoritate Leonis Papæ destruxit, & cum consensu Adalwini Episcopi ejusdem civitatis, in civitatem statuit, & confirmavit Ecclesiam pretiosi Martyris Emmerani recta ratione ad potestatem Imperatorum sive Regum pertinere, & Rectorem ejusdem Cœnobii, unoque anno Romam persolvere 7 aureos ad altare S. Petri. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum solertia, quod nos confirmamus eandem Ecclesiam cum autoritate Eugenii Papæ, absque omnium hominum

num contradictione, omni tempore permanere in regimine Imperatorum sive Regum. Et eundem censum ad Romam dare, ea videlicet ratione confirmamus, ut neque Dux, neque Episcopus, ullam potestatem habeant intus aut foris: sed totum quod ad eandem Ecclesiam pertinet, in jus & donationem sancti Emmerani Martyris, provisorumque ejus, tradimus atque transfundimus. Et per hoc nostræ auctoritatis præceptum, plenius in Dei nomine confirmatum, nullo inquietante, sed Deo auxiliante, ad servitium sanctæ Mariæ & sancti Petri sanctique Emmerani Martyris Monachorumque ejus, qui ibidem Domino famulantur, omni tempore, absque ullius contradicentis obstaculo, tradita & confirmata permaneant. Et ut hæc autoritas confirmationis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora melius conservetur, cum sigillo Papæ & de annulo nostro subter jussimus sigillare.

Posteaquam adeò multa jam produximus in medium Germanici Ludovici nostri Diplomata, merito possit videri supervacua opera, ulterius iis adducendis immorari. Nihilominus tamen adhuc tria adferemus, satius arbitrati plura quam sit necessum adferre quàm aliqua in parte deficere. Sed & illa tria ejus sunt momenti uti ex iis eximia liceat addiscere.

Ac primo quidem loco exhibebimus Diploma illud quo Ludovicus noster Tigurinum Sanctimonialium monasterium insolita munificentia ornavit, quodque passim solet commemorari in Helvetiorum rebus. Dabimus autem quemadmodum refertur à Martino Magero præclari & operosi voluminis de Advocatia Armata cap. v. pag. 155.

In Nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis. HLVDOVICVS, divina favente clementia Rex.

Rex. Si de rebus terrenis quas sumus divina largitate consecuti ad loca Sanctorum ob divinum amorem regium morem decenter implentes aliquid conferimus, hoc nobis esse profuturum ad æternæ remunerationis præmia capessenda liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque præsentium scilicet & futurorum industria, qualiter nos pro Serenissimi Imperatoris avi nostri Caroli & præstantissimi HLVDOVICI Augusti Domini ac genitoris nostri, nec non & nostra sempiterna remuneratione, ac pro conjugis prolisque nostræ charissimæ perpetua mercede curtim nostram Turegum in Ducatu Almannico in pago Durgaugensi cum omnibus adjacentiis vel aspicientiis ejus, seu in diversis functionibus, id est, pagellum Vroniæ, cum Ecclesiis, domibus, cœterisque ædificiis desuper positis, mancipiis utriusque sexus, & ætatis, terris cultis & incultis, sylvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, adjacentiis, perviis, exitibus & regressibus, quæsitis & inquirendis, cum universis censibus, & diversis redhibitionibus; Insuper etiam forestum nostrum Albis nomine, & quicquid in eisdem locis nostri juris atque possessionis jure proprietatis est, & ad nostrum opus instanti tempore pertinere videtur, totum & integrum ad Monasterium nostrum tradimus quod situm est in eodem vico Turego, ubi Sanctus Felix & Sancta Regula martyres Christi corpore quiescunt. Quod nobis videlicet eo rationis tenore complacuit agendum, ut deinceps imposterum ibidem omni tempore sanctimonialium

lium fœminarum sub regulari norma degentium, vita conservatioque monasterialis, monastico cultu instituta, celebretur, & libentius propter hujus loci supplementum à nobis jam prædictis Martyribus debiti Dei famulatus illic exhibeatur, ac pro nostra debitorumque nostrorum omnium mercedis augmento diligentius ac uberius Domini misericordia exoretur. Volumus etiam ut fidelium nostrorum noverit benevolentia, quod paterna pietate commoniti supradictum monasterium, cum omni integritate, una cum nostra traditione in locis præfatis dilectissimæ filiæ nostræ Hildegardæ in proprietatem concessimus, ut quando, Domino permittente, valent in eodem Monasterio, Domino militante, suoque dominatui subjectam disciplinis regularibus & observatione monasteriali institutione corrigat, & nutriat, locaque ipsa sibimet concessa, quantum vires suppeditent, profectibus & emendationibus augmentando provehat ac emendet. Denique jubentes præcipimus ut nullus judex publicus nec Comes nec quisquam ex judiciaria potestate in locis præfatis vel in cunctis rebus ad eadem loca respicientibus, seu homines tàm liberos quàm & servos qui illic commanere videntur distringere aut infestare nec fidejussores tollendo aut ullas redhibitiones vel fredas aut bannos exigendo, aut alicujus injuriæ vim ullo unquam tempore inferre præsumat, sed sub nostra defensione & immunitatis tuitione cum Advocatis ibi constitutis resillæ securæ per diuturna tempora permaneant. Et ut hæc auctoritas donationis, atque con-

firmationis noſtræ firmior habeatur, & per futura tempora à cunctis fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ noſtrisque præſentibus & futuris verius credatur atque diligentius conſervetur, manu propria noſtra ſupter eam firmavimus & annuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus. Data XII Kal. Auguſti. Anno Chriſto propitio XX regni Domini Hludovici Sereniſſimi Regis in Orientali Francia. Indictione prima. Actum in Regensburg in Dei nomine feliciter.

Si recte habet ſeſe in hoc Diplomate annus regni in Orientali Francia eſt numeratus, conditum illud fuerit anno Dominico octingenteſimo ſexageſimo: ac proinde erraverit Stumphius & Bruſchius in annum ſeculi illius triceſimum tertium, Münſterus in annum 53, Hottingerus in quinquageſimum circiter originem ejus referentes. Sed parum noſtra illud nunc refert. Id meretur notari, quod ex MSS. Chronico Tigurino Bullingeri refert doctiſſimus Heiderus, nec improbavit Vindex Cœnobialis, Sigillum atque adeo imaginem Ludovici noſtri his verbis eſſe circumſcriptum, *Chriſte protege Hludovicum Regem.* Merentur etiam hoc loco adjici, quæ de iſthoc diplomate inſeruit notis ſuis perquam egregiis ad præſtantiſſimum librum Joachimi Vadiani, Bartholomæus Schobingerus Juriſconſultus Sangallenſis, legunturque Tertio tomo Rerum Alemannicarum Goldaſti pag. 110. quandoquidem ſimul exhibent verum Ludovici noſtri ſignum diverſum ab eo quo eſt uſus Pius pater. Verba illius hæc ſunt.

Monaſterium Tigurinum Sanctimonialium conditum & fundatum eſt à Hludovvico ſeniore (nam Calvi filius vocatus eſt Junior) Caroli Craſſi patre, qui curtim ſuam urbis Tigurinæ, ut ipſe

in

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [80] - 58

in litteris fundationis vocat, cum integro jure & omnibus ad se pertinentibus redditibus eos contribuit. Pagum etiam Vroniæ, quæ hodie Vri dicitur, quem & Pagellum vocat, cum mancipiis & jure omni ad præfatum Monasterium contribuit Ludovvicus, ejus primam Abbatissam filiam Hildegardam constituit & præfata omnia concessit. sicut literis fundationis clarè continetur. Pollicitus tuitionem & immunitatis defensionem &c. Mundiburdium. Datæ sunt literæ, Anno XX Regni Orientalis Franciæ in Regenspurg. Signum Hludovvici

POSTEA

Verum hactenus de Tigurino Diplomate. Nunc quasi secundo Rheno ex Alpibus profecti ad Oceanum, qua parte illi Rhenus immergitur, adferemus aliud à Ludovico nostro Vltrajectinæ Ecclesiæ concessum: quale illud productum est à Wilhelmo Heda in actis Hungeri Episcopi XI pag. 55. editionis Buchelianæ. Quod genuinum esse non equidem dubitamus: temporis tamen subscripta nota perquam est corrupta. Annus enim regni XXI Ludovici nostri incidit in Dominicum LXI: illo autem res Vltrajectinæ Ecclesiæ erant in ditione Regis Lotharii Imperatori cognominis filii: qui obiit demum anno Christi DCCCXIX. Et quidem Indictio secunda benè quadrat in tempus illud: vereor tamen ut vel tunc hoc diploma condi potuerit à Ludovico nostro, constat quippe isthoc anno prævaluisse in Lotharii regno Caroli Calvi auctoritatem: nisi fortassis Hungerus fuerit inter eos

qui Carolo ſunt reluctati, ac proinde ab eo privati rebus ſuis. Vix tamen illo rerum ſtatu potuit à Ludovico confirmatio hæc inſtitui, præſertim ægrotante imo penè deſperante de vita. Veroſimilius igitur, ſcriptum hoc diploma anno ſequente, qui erat Ludovici XXX: utpote cum illo demum anno confectum ſit negocium diviſionis regni Lotharii inter Ludovicum noſtrum & Carolum fratrem, atque adeo in jus & ditionem Ludovici Epiſcopatus Trajectinus tranſierit. Operæ fortaſſis fuerit pretium ſaltim illa legiſſe, quæ habent Annales Fuldenſes in Actis anni poſt octingenteſimum ſexageſimi noni & ſeptuageſimi. Nec vero hujus eſt loci hoc cum cura agere.

In Nomine Sanctae et Individuae Trinitatis Ludovicus divinâ favente clementiâ Rex. Cum petitionibus ſacerdotum Dei juſtis & rationabilibus divini cultus amore favemus, ſupernâ nos muniri gratiâ non dubitamus. Noverit interea induſtria ſeu utilitas omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quam & futurarum, quia Hungerus Veteris Trajecti Eccleſiæ Epiſcopus, quæ eſt conſtructa in honorem S. Martini confeſſoris & aliorum Sanctorum, obtulit obtutibus noſtris authoritatem immunitatis domini & genitoris noſtri, bonæ memoriæ Ludovici piiſſimi Auguſti, in quâ erat inſertum, quod non ſolum idem dominus & genitor noſter, verum etiam prædeceſſores ejus Reges Francorum, eidem Eccleſiæ, cui Hungerus ipſe authore Deo præeſſet ſub tuitione & defenſione eorum, cum omnibus ſibi ſubjectis & rebus vel hominibus ad ſe pertinentibus vel aſpicientibus conſiſtere fecerunt, & eorum immunitatem

nitatem auctoritatibus hactenus ab inquietudine judiciariæ potestatis eadem munita atque defensa fuisset Ecclesia, sed pro rei firmitate postulavit à nobis prædictus Episcopus, ut paternum seu prædecessorum nostrorum Regum morem sequentes, hujusmodi nostræ immunitatis præceptum erga ipsam Ecclesiam, immunitatis atque tuitionis gratiâ, ob amorem Dei & reverentiam ipsius loci circa ipsam Ecclesiam fieri censeremus. Cujus petitioni libenter assensum præbuimus, & hoc nostræ authoritatis præceptum fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciariâ potestate, aut nullus ex fidelibus nostris, in Ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem regni nostri justè & rationabiliter memorata tenet vel possidet Ecclesia, & ea quæ deinceps jure ipsius sancti loci divina pietas augere dignabitur, ad causas audiendas aut freda exigenda aut mansiones vel paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos quam & servos super terram ipsius commanentes injustè distringendos, neque ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ superius memoratæ sunt exigere præsumat. Sed liceat memorato Præsuli suisq; successoribus res prædictæ Ecclesiæ cum omnibus sibi subjectis sub tuitionis ac immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere imperio

imperio: atque pro incolumitate noſtrâ conjugis ac prolis ſeu etiam totius regni à Deo nobis collati, & ejus clementiſſimâ miſeratione per immenſum conſervandi, una cum Clero & populo ſibi ſubjecto, Domini immenſam clementiam exorare: & quicquid de prefatis rebus Eccleſiæ jus Fiſci exigere poterat, integrum eidem conceſſimus Eccleſiæ, ſcilicet ut in perpetuo tempore ei ad peragendum Dei ſervitium augmentum & ſupplementum fiat. Hanc itaque authoritatem ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & à fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris diligentius conſervetur, manu propriâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari fecimus. Signum Domini Ludovici piiſſimi Regis, Hardbertus ad vicem Ratelerii recognovi. Datum XV. Cal. Iunii, Anno XXI. Domini & Sereniſſimi Regis Ludovici in Orientali Franciâ regnantis. Indictione ſecundâ. Actum Franconefurd Palatio Regio. In Dei nomine feliciter, Amen.

Agmen omnium Ludovici Germanici noſtri Diplomatum claudat illud quod Commentario poſtumo De Lupodunо Marquardi Freheri Viri Germanicarum rerum peritiſſimi, inter alia monumenta eſt adjectum pag. 26. Non poteſt autem non eſſe nobis illud perquam acceptum, quandoquidem refert & illa verba quibus Sigillum ſive imago Ludovici fuit circumſcriptum, & quæ ſigno aut monogrammo fuerunt adjecta, etſi (quod dolemus) neque imago neque ſignum ipſum fuerit expreſſum. Commendat etiam ſeſe hoc diploma quoniam eopſe anno quo deceſſit Ludovicus (perperam

peram enim in margine ſcriptus eſt A. 870) id eſt Salvatoris noſtri ſeptuageſimo ſeptimo, & quidem non multò ante ejus obitum, loco Monaſterio Laurisheimenſi, ubi eſt ſepultus, proximo conditum. Menſe ſcilicet Majo hoc Diploma eſt exaratum: ipſe Rex autem *V. Kal. Septembris in palatio Francofurt diem ultimum clauſit:* ut habent verba Annalium Fuldenſium.

In Nomine Sanctae et Individuae Trinitatis. Hludowicus divina favente gratia Rex. Notum ſit omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus noſtrisque, præſentibus ſcilicet & futuris, qualiter nos ob noſtræ mercedis augmentum, & pro remedio animæ Domini avi & genitoris noſtri, conceſſimus quasdam res proprietatis noſtræ ad monaſterium LAVRESHAM, quod eſt conſtructum in honore beatorum Apoſtolorum PETRI & PAVLI, ubi etiam requieſcit corpore S. Nazarius, hoc eſt in pago Renenſe ad SENEIM & BICCHVMBACH, cum omnibus ibidem adjacentiis vel pertinentibus, in mancipiis terris vineis pratis paſcuis ſylvis aquis aquarumve decurſibus exitibus & regreſſibus, mobilibus, quæſitum & ad inquirendum, totum & ad integrum ex jure & dominatione noſtra in jus & dominationem præfati ſancti loci tradimus atque transfundimus, ea videlicet ratione, ut ab hodierna die & deinceps, per hoc noſtræ auctoritatis præceptum, plenius in Dei nomine confirmatum in uſus fratrum Domino ibidem famulantium perpetualiter permaneant abſque alicujus contradicentis obſtaculo. Quod ſi nunc Nos easdem res cum conſenſu

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [85] - 63

ſenſu & voluntate dilecti filii noſtri KAROLI *ſtatim commutare poſſumus, hoc omnino deſideramus. Si autem hoc eſſe nequiverit, tunc firmiter præcipimus atque jubemus, ut poſt obitum noſtrum perpetualiter ibi permaneant absque alicujus moleſtia vel inquietudine. Et ut hæc auctoritas largitionis noſtræ firmior habeatur, & per futura tempora à fidelibus noſtris verius credatur & diligentius obſervetur, manu propria noſtra ſubter eam firmavimus, & annuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus. Heberhardus Cancellarius ad vicem Luitherti archicapellani recognovi & ſubſcripſi. Data IIII Non. Majas, Anno Chriſti propitio.* XXXVII *Regni Domini Hludovvici ſereniſſimi Regis in Orientali Francia regnantis Indictione* VII. *Actum Lobotenburc.*

CHRISTE PROTEGE HLVDOVVICVM REGEM.

SIGNVM DOMNI HLVDOVVICI SERENISSIMI REGIS.

& alij Ludovici Germanici Diplomatibus p. 82. p. 84 p. 87. p. 88 - p. 356. p. 360 p. 367

CAPUT

CAPUT V.

Nec Ludovicum Pium, nec Ludovicum Lotharii filium, qui soli seculo Christiano nono Imperatores audierunt, adeoque nullum Ludovicum Imperatorem, Cœnobiale diploma condidisse. In nonnullis tamen referre illud Ludovici Pii diplomata, cumprimis ea quæ anno Imperii XXVI sunt lata, ac proinde etiam hoc ipso commissum falsi crimen prodere.

CUm Diplomata omnia Ludovici Pii & Germanici, quorum alterutri possit forte adscribi illud Cœnobiale, jam adducta sint, nihil est quod amplius Censuram institutam remoretur. Deincepsigitur id præstabimus quod professi jam sumus, atque adeo compluribus firmis argumentis demonstrabimus, Diploma illud esse fictum, commentitium, atque adeo nullius momenti.

Illorum autem PRIMUM meritò omnium esse oportet illud, quod falsò Diploma illud præ se ferat, quasi sit conditum à Ludovico Imperatore, & quidem seculo jam tum Christiano nono. Si sane hoc etiam fuerit evictum, jam erit depugnatum. Vtique enim quem ipsum Diploma suum autorem laudat, de eò cumprimis nihil falsi referre debuit.

Vt constet verò assertionis nostræ ratio, principio tanquam indubitatum atque ab ipsis Cœnobii hyperaspistis concessum ponendum est: duos Ludovici nomine appellatos citra controversiam Imperatores fuisse seculo isthoc nono. Præter illos autem binos alium nullum Imperatorem audiisse, contra Cœnobialem Vindicem proximo capite adstruemus. Illorum alter est Ludovicus Pius filius Caroli Magni, alter

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [87] - 65

hujus nepos Lotharii Imperatoris filius. A neutro illorum Diploma hoc esse, liquidò jam ostendemus: retrogrado ordine à Lotharii filio facientes initium.

Jam tum autem doctissimus Heiderus perspicue adeo probavit, neutiquam hoc Diploma esse LUDOVICI NEPOTIS, ut ipsemet Cœnobialis Hyperaspista tractus fuerit in assensum. Negavit duntaxat, in ipso Diplomate hunc esse laudatum conditorem. Ac proinde *cap. 1.* in sua Responsione, *criminis falsi* statim accusat Heiderum, quod his fuisset usus verbis: Daß Keyser Ludewig der II Keysers Lotharii Sohn und Caroli Magni Vhrenckel/ vermog Buchstablichen inhalts und auffgedruckten Insigels/ gemelten Brieff ertheilet haben soll; non enim vel in textu diplomatis vel in sigillo Cæsario idipsum asseri. Verum ab illa atroci accusatione Heiderum facile absolvit res ipsa. Utique enim ipsum illud Diploma sæpe repetitis vicibus conditorem suum refert Ludovicum Imperatorem, ejusque annum Imperii vicesimum sextum, & Incarnationis Domini DCCCLXVI. Illo autem tempore nemo audiit Ludovici nomine Imperator (quod enim præter hactenus communem sententiam de Ludovico Germaniæ Rege adfert Vindex Cœnobii; id proximo capite demonstrabitur, plane novum simul tamen ineptum esse ἕυρημα) præter Lotharii filium: qui revera unus fuit Ludoviciani nominis Imperator secundus. Nec sequitur, crimen falsi esse commissum ab Heidero, quoniam res ipsa clamet, Ludovico huic fabricam Diplomatis non posse deberi: sed potius arguit imperitiam aut malitiam ejus qui diploma confinxit. Ita verò etiam antehac fuisse creditum ipsimet Cœnobio, certissimum præbet documentum Bruschii in eandem sententiam facta narratio. Nihil enim in suo de Monasteriis opere refert præter ea quæ in singulis monasteriis, dum per Germaniam vagaretur, accepit. Ille vero diserte ita loquitur, ubi de hoc Cœnobio agit pag. 79. I-

79. Idem ille Adalbertus Xenodochii etiam Lindavienſis opulentiſſimi fundator fuiſſe dicitur: qui tandem anno Domini 841 decima die Maji occiſus legitur à copiis Ludovici Regis Germaniæ & Bavariæ, non procul à Lacu Brigantino, dum is à Cæſare Lothario præſidii loco in Rhætia poſitus eſſet, ut prohiberet, ne Caroli Calvi exercitus è Burgundionibus adveniens cum Ludovici fratris agmine jungeretur. Poſtea anno Domini 866 ab Imperatore Ludovico ſecundo, CAESARIS LOTHARII FILIO, datis Privilegiis ac Aſylo inſuper in ſontium refugium conceſſo, confirmatur Adalberti Comitis, Lotharii Cæſaris tam fidelis præfecti & Miniſterialis nova iſta fundatio.

Magna itaq; injuriâ Heidero intentatum eſt falſi crimen: imò hactenus ille vacat utique omni etiam ſuſpicione culpæ. Cæterum ab illo Ludovico Imperatore Lotharii filio non eſſe Diploma, vi rationum à doctiſſimo Heidero adductarum ſuperatus, ipſemet Cœnobialis vindex, ceu diximus jam tum, eſt confeſſus: agnoſcens, illi Ludovico in Germania nihil fuiſſe imperii. Verba ejus hæc ſunt *cap. 2. §. 3.* Die Umbſtänd lauffen gemelten Keyſer Ludewig ſtracks zu wieder / weil er in Teutſchen Landen keine Jurisdiction oder Gewalt gehabt / wie D. H. wol belegt / und man Stiffts ſeiten gern geſchehen laſſet ꝛc. Eapropter non etiam fortaſſis eſt cauſſæ amplius quidquam, quare à nobis hîc verbulum addatur. Quandoquidem tamen poſſit alicui adhuc ſcrupulus aliquis ſupereſſe, paucis ſaltim illum etiam nos hoc loco eximemus.

Igitur ab illo Ludovico hoc diploma non eſſe, primario argumento nobis eſt illud, quod huic Imperatori neque mediate neque immediate jus aliquod regendi in Germania, ac proinde nec in Alemannia, competierit, Privilegium autem ejuſmodi non niſi Regia vel Imperatoria auctoritate poruerit condi. Obſervandum ſcilicet eſt, Ludovicum Pium Imperatorem Bajoariæ quidem Regem conſtituiſſe filium ſuum Ludovicum

dovicum, sibi tamen servata in illum summa potestate Imperatorio titulo: eoque filium Bajoariam rexisse quasi immediate, patrem vero mediate. Id quod luculente apparet ex diplomatibus quæ confici fecit vivo Pio Imperatore filius, Rex adhuc audiens Bajoariæ, quorum duas jam tum præcedente capite exhibuimus. Neutra autem ratione Ludovico Imperatori Lotharii filio quidquam fuit in Germania saltim Alemannica juris. Non Imperatorio: quandoquidem ne quidem ejus parens Lotharius quidquam juris Imperatorii in fratrum Ludovici & Caroli ditiones post institutam divisionem Francici imperii habuit, ac proinde nec in filium potuit transferre. Victus scilicet duobus ingentibus præliis à fratribus Lotharius, proponi victoribus per legatos fecit, teste Nithardo l. 4: *Si vellent illi aliquid supra tertiam partem regni propter nomen Imperatoris, quod illi Pater illorum concesserat, & propter dignitatem Imperii quam avus Regno Francorum adjecerat, facerent. Sin aliter, tertiam tantummodo partem sibi concederent, regeret q. quis q. illorum portionem regni sui prout melius posset, frueretur alter alterius subsidio & benevolentia.* Posterius placuit: ac proinde nullum jus Imperatorium in Ludovici ditiones ut nec in Caroli Calvi Lothario superfuit. Id quod Baronio etiam rectè est observatum, qui proinde scribit ad annum 848: *Nullum Lotharium facultatem habuisse disponendi aliquid in Regno Germaniæ, spectante ad Ludovicum, certum est.* Nos pridem libro *de Germanorum Imperio cap. IX* hoc ipsum demonstravimus, ac proinde nihil nunc addimus.

Porro per institutam illam Francorum imperii divisionem, Ludovico obtigisse etiam ultra Rhenum Alemanniæ illam partem quæ est usque ad Vrsam, jam tum docuimus *Operis de Finibus Imperii Germanici cap. 3.* Saltim monasterium S. Galli in Ludovici ditionem isthac divisione perveniisse, manifestum est ex iis quæ narrat Ratpertus Monachus S. Galli

cap. 7.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [90] - 68

cap. 7 & 8 libri de Origine & casibus monasterii S. Galli: quem librum Goldastus edidit Tomo primo Rerum Alemannicarum: ut & ex illa tabula donationis monasterio S. Galli factæ anno 13 Ludovici Regis in Orientali Francia, quam Joachimus Vadianus vir exactissimi judicii pariter & industriæ *l. 2. de Collegiis Monasteriisq; Germaniæ Veteribus* inseruit, quæque legitur Tomo III Rerum Alemannicarum Goldasti pag. 46. Unde simul liquidum est, omnem lacum Podamicum ejusque oram universam, saltim ab anno 843, quo divisio est constituta, soli Ludovico nullo autem jure Lothario paruisse. At vero Lotharius etiam illam quæ sibi obtigerat partem tertiam tres rursum in partes divisam, filiis totidem, in cœnobium sese recondens anno 855 Prumiense, pleno regendi jure singulis tradito, commisit. Quo factum, ut Ludovicus natu maximus Italiam cum Imperatorio titulo quidem acceperit; nihil tamen juris extra Italiæ fines fuerit consequutus. Et verò hac de causa solet ille in Annalib. Francicis *Imperator Italiæ* audire, & exclamavit olim Gotfridus Viterbiensis: *Vide ad quantum defectum Romanum Imperium devenerit! Scilicet ut in tres partes diviso Regno Francorum, tertiæ partis tertia pars esset Imperium.*

Nec mediate igitur nec immediate Ludovico Lotharii filio, qui Imperatorio titulo tum temporis secundus post Ludovicum Pium audivit, quidquam habuit in Podamici lacus sive insulas sive viciniam juris; ac proinde condere non potuit in Lindavici monasterii, si quod tum fuit, commoda ullum privilegium. Non fert autem etiam annorum numerus, qui in Diplomate continetur, Ludovicum Imperatorem illum secundum. Diplomatis enim subscriptio refert, conditum illud esse anno Imperii vicesimo sexto. At vero Ludovicus hic secundus anno demum 55 cæpit solus audire Imperator & defunctus est improlis anno 876: ac proinde

non nisi in annum usque vicesimum primum imperavit. Jam tum, fateor, anno 843 fecerat illum pater consortem regiminis; sed ab illo initio rara solent, quæ solus edidit monumenta, Imperii annos numerare. Ut taceam, annum vicesimum sextum Imperii, hoc computo observato, fuisse Christi 869: in Diplomatæ autem annum Imperii vicesimum sextum referri in annum Christi 866. Quicquid hujus sit, certo est certius, Diploma cœnobiale à Ludovico isthoc secundo id nominis Imperatore non esse conditum.

LVDOVICO PIO Imperatori plæraque Diplomatis convenire, affirmat Vindex. Quod enim in eo legitur, conscriptum illud anno Christi 866, cum tamen Pius obierit anno 840, existimat esse levis momenti. Illud enim ab aliqua imprudente manu longè post denique adscriptum: idque arguere characterum diversitatem.

Verùm enimverò illam subscriptionem anni Christi reliquis recentiorem esse, non sanè certò indicat diversitas characterum. Enimverò characteres quibus ipsum Diploma scriptum, differunt plurimùm figura sua ab iis quibus constat subscriptio: imo ipsiusmet subscriptionis characterum magna est diversitas: & tamen Vindex omnia illa uno eodemque tempore exarata esse arbitratur. Quod si inspiciundi ipsum autographum facultas nobis esset, fortassis haud difficulter appareat omnium una eademque ætas. Saltim itaque hactenus manet obstaculum: quod non possit Diploma acceptum referri Ludovico Pio, quia ille jam viginti sex annos ante Diplomatis confectionem è vivis excessit.

Sit saltim hactenus itaque hoc argumentum primum; etsi de ejus vi nolimus multum cum adversario contendere. Cæterum adferemus nunc in medium argumentum alterum, idque invicti omninò roboris, quod non patitur Diplomatis autorem Pium Ludovicum. In Diplomate scilicet Rhabanus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [92] - 70

nus appellatur *Sanctæ Ecclesiæ Moguntinæ Metropolitanus*: ille vero demum anno 847, octavo post obitum Pii anno, dignitatem illam Archiepiscopalem est consecutus. Diserte enim Annales Pithœani & Fuldenses Freheri ad annum illum ita loquuntur: *Othgarius Moguntiacensis Episcopus XI Kal. Maji obiit, in cujus locum Hrabanus ordinatus est V Kal. Julii.* Idem multis narrat Serrarius l. 6. Historiæ Moguntiacæ. Vidit hoc argumentum ipsemet Vindex, ejusque vim agnoscens his utitur verbis: An welchem scopulum wolgedachtes Stifft sich nicht begehret zu stossen.

Quicquid ergo sit de priore argumento, sufficit nobis solum illud alterum. Jamque habemus confitentem ipsummet cœnobialem Vindicem, ab Imperatore Ludovico Pio Diploma illud cœnobiale non esse conditum.

QUANTUMVIS autem ita sese res habeat, in Diplomate tamen illo reperiuntur revera nonnulla, quæ non nisi uni Ludovico Pio conveniunt: nonnulla, quæ omniũ commodissime unius illius rebus quadrant. *Primò* enim nomen Imperatorium uni Pio, inter omnes, qui illo seculo Carolino rerũ potiti sunt per Germaniam, competit: ceu proximo capite demonstrabitur. *Secundo* Diplomatis Sigillum est non alterius quam solius Pii illius Imperatoris. Non lac lacti sane similius, atq; Paderbornense quod dedimus primo loco capite tertio, est illi Lindavienſi. Tener ille vultus, qui utrobivis est conspicuus, apparet quoque in Hamburgensi Diplomate, quod cum aliis adjecit Septentrionalium rerum scriptoribus Erpoldus Lindenbrogius: ibique pridem omnium oculis patuit. Non alio teste hic est opus, non alio judice, quàm oculo cujuslibet æqui hominis. Videantur sigilla aliorum id temporis Imperatorum aut Regum: liquidum fiet illorum ab his discrimen, non minùs atque horum Ludovici Imperatoris nomen referentium figura planè consimilis. Signum *Tertio* manus Imperatoriæ subscri-

ſubſcriptum Diplomati cœnobiali ex more illius ævi, utiq; plane eſtidem cum iis quæ Ludovici Pii aliis diplomatibus, cujuſmodi nos tria exhibuimus indubitatæ fidei, continentur. Sebaſtianus quoque Munſterus *Coſmographiæ ſuæ l. 3. cap. 19.* refert quidem duo diverſa nonnihil Imperatoris hujus ſigna, etiam hoc noſtrum tamen producit; à quo alterum perparum differt. Ludovici Germanici manus ſignum ſive monogrammum, ut tum loquebantur, genuinum ter à nobis eſt exhibitum cap. IV, primum Paderbornenſe, alterum Argentoratenſe, tertium Tigurinum, ſed cum Imperatoris Ludovici ſigno neutiquam conveniens. Ludovici Regis Calvi filii ſignum apud Munſterum itidem eſt conſpicere plane diſſimile. Nonnullis in *Hundii Metropoli* Germanici Ludovici diplomatibus ſunt quidem ſigna addita Pii patris: ſed hoc vitio factum, jam tum monuimus capite præcedente.

Cæterum quia Diploma Cœnobiale ſub ſigillo pariter & ſigno Pii Imperatoris eſt editum, & tamen neutiquam Imperatoris illius auctoritate conditum, liquet profectò clariſſime ex hoc veluno, Diploma illud à falſario aliquo & impoſtore confictumeſſe. Alienis enim ſigillis & ſignis tabulas edere falſicrimen eſt lege Cornelia puniendum.

Prius verò quam hunc locum deſeramus, operæ fuerit pretium tollere ſcrupulum, qui haud injuria ſuſpicionem commiſſi falſi poſſit movere, utriq; imagini Pii Imperatoris, ratione diadematis. Videtur enim illud eſſe faſcia laurea. Aſt verò jam tum à Conſtantino Magno usque Imperatores omnes non laureo ſed gemmeo diademate conſtanter ſunt uſi. Quod utique liquidò oſtendunt eorum adhuc ſuperſtites nummi. Secutus hoc exemplum fuit jam olim & Clotharius Francorum Rex: idque nummi ejus referunt. Cujuſmodi Nicolaum Peireſcium, illuſtrem dignitate eruditione & virtute virum, donaſſe Paulo Petavio antiquario

quario celeberrimo teſtatur *l. 2. de Vita Petreſcii* Petrus Gaſſendus. Imo jam Teudomarum, qui ante Pharamundum Francos rexit, gemmeo diademate nummos ſuos ornaſſe, liquet ex Claudii Buteronis Francicorum numiſmatum opere quod cis paucos annos Pariſiis in lucem prodiit. Non laureum ergo ſed gemmeum hoc quoque Pii Imperatoris eſt diadema: & laureæ ſpecies tantùm rudiori manui ſculptoris ſive pictoris tribuenda eſt, dum voluit extantes inſigni magnitudine gemmas exprimere.

Reperiuntur autem in illo Diplomate etiam alia, quæ ex rebus Pii Ludovici itidem eſſe petita ſaltim per eſt veriſimile: etſi non fortaſſis perinde ſit certum atque illud quod de Imperatorio Nomine Sigillo & Signo paulùm ante adduximus. *Primò* enim, conſtat ex Annalibus Francicis, ſive Pithœi, ſive Freheri, Pium Imperatorem anno Chriſti 839 Paſcha celebraſſe ad Lacum Brigantinum. Id verò factum eſſe in Podamo Palatio, videtur diſertè indicaſſe Auctor Vitæ Ludovici quando ait: *Exercitu coacto usq; Bedoniam perrexit.* Mendoſam eſſe vocem illam ſignificavit & Pithœus editor, in margine notans *Hodomiam:* cum *Podomum* aut *Bodomiam* ſcilicet (utroque enim modo in monumentis vetuſtis ſcribitur) eſſet legendum. Jam verò incidit plane illud tempus in Imperii Pii annum viceſimum ſextum, & feſtum Paſchale in menſem Aprilem. Commodiſſime itaque tunc potuit à Pio Imperatore Diploma condi 12 Kal. Maji Podami anno Imperii viceſimo ſexto.

Ubi obiter non poſſumus non monere: Vindicem Cœnobialem *cap. 1. §. 1.* perperam numerare Imperiales Pii annos, ac proinde ἀσύνταϰτα dicere. Incipit ſcilicet annos ab obitu Caroli Magni, qui contigit anno Domini 814 v Kal. Febr. Hinc autem inito computo annus Imperii viceſimus ſextus incidit quidem in Domini triceſimum nonum,

sed ita, ut viceſimus ſeptimus jam inceperit à menſe usque Februario, ac proinde Diploma fuerit conditum menſe Aprili anni Ludoviciani Imperatorii viceſimo ſeptimo. At verò putandum eſt Imperii Ludoviciani tempus ab eo momento, quo Pater Carolus illum fecit conſortem Imperii, id quod Junio circiter menſe anni XIII contigiſſe docent Annales. Et vero non eſt dubitandum, olim ab illo initio numeratos Imperii annos. Hinc Nithardus *l. 1. de Diſſenſionib. filiorum Ludovici Pii* ſub finem de Pio ipſo ſcribit: *Imperiale nomen per annos VII & viginti & per menſes ſex obtinuit.* Author item anonymus vitæ Pii, *Aquitaniæ quidem*, ait, *præfuit per annos triginta ſeptem, Imperavit verò viginti ſeptem.* Hac autem ratione demum menſe Aprili anni Dominici triceſimi noni fluxit adhuc annus Imperii viceſimus ſextus.

Secundò jam conſtat ex Hamburgenſi Diplomate capite tertio adducto, anno viceſimo primo Imperii in Pii aula verſatum Hirminmarum Notarium. Meminit ejusdem ex Doubletio & Mallinchrotus eximii operis *de Archicancellariis & Cancellariis Imperii* pag. 14, agens de Pio Ludovico. Nono anno Ludovici Hirminmarus Diaconus recognovit Diploma Paderbornenſe; eundem jam anno ſexto Diploma Eginharti recognoviſſe, legitur in Chronico Laurishamenſi apud Freherum Tomo I ſcriptor Germanicorum. Gewoldus l. de Sacri Rom. Imp. Septemviratu cap. 6. recenſens complures Diplomatum Cæſareorum ſubſcriptiones, decimam hanc habet: *Signum Hludovvici piiſſimi Imperatoris. Herinmarius ad vicem Theodmari recognovi. Data Id. Maji anno XXI Imperii Dn. Hludovvici piiſſimi Auguſti Indict. XII Actum Aquisgrani in palatio Regio. In Dei nomine feliciter Amen. Anno Domini Jeſu Chriſti DCCCXXXIV.* Etſi vero hæc perquam ſit mendoſa, perinde atque tota illa farrago ſubſcriptionum nihil ad id facit quod pro-

probari debebat, etiam hinc tamen comparet, Hirminmari nomen: mutatum licet à librario in *Herinmarius*, ut Theodonis in *Theodmari*. Quicquid sit; manifestum est, ultimis regiminis Ludoviciani annis Hirminmarum Notarii sive, ut nunc loquimur, Secretarii munere functum. Jam vero, quantum conjicere est, idem illud Hirminmari nomen etiam in hoc cœnobiali Diplomate reperitur. Obscurior sanè est scriptio, ac proinde jampridem lectum fuit *Hirminritus*. Prout tamen nunc subscriptio est ære expressa, merito dubites hoc an illud vocabulum obtinere debeat.

Si *Hirminritus* legendum fuerit, jure dixeris à fabricatore Diplomatis aberratum esse in legenda *Hirminmari* voce. Perinde atque erravit in voce *Hugonis*. Anno scilicet sexto vicesimo Imperii sui usque ad obitum, usus est Ludovicus Druogone Archicapellano, qui Epifcopus simul Metensis & frater ejus erat: id quod ex anonymi scriptoris libro de Vita Ludowici & Annalibus Francicis ad annum DCCCXL manifestum est. Illud *Druogonis* nomen Diploma mutavit in *Hugonis*. Quod factum est culpa impostoris illius, qui Diploma cœnobiale conficiens, usus aliquo vero Ludoviciano Diplomate, cum scripturam non assequeretur, ex *Druogone* fecit *Hugonem*.

Quo lector sine omni molestia possit judicare, vera esse quæ diximus, nempe Sigillum pariter & Signum quod habet Diploma, planè esse LUDOVICI PII Imperatoris: & ibi quoque reperiri Hirminmari Notarii nomen, *Druogonem* autem commutatum esse in *Hugonem*: Podamum item & annum vicesimum sextum Imperii in Diplomate esse memoratum; oculis omnium hoc ipso in loco exhibemus, & Diplomatis subscriptionem qualem Cœnobialis Hyperaspista edidit, & Sigillum Signumque Ludovici Pii Imperatoris, ex Paderbornensi monumento repetitum.



POST

Conſtat *Tertio* ex Annalibus Francicis Pithœi atque Freheri: anno 39 atque adeo viceſimo ſexto Imperii Ludoviciani, in expeditione Pii Imperatoris contra filium Ludovicum, fuiſſe in comitatu, & magna polluiſſe auctoritate, quendam Comitem dictum Adalbertum. Ita enim Annales: *Imperator poſt peractam Nativitatem Domini & Theophaniæ VII Id. Ianuarii cum exercitu navigio Rhenum tranſiit, obvios habens Saxones, partem minis partim ſuaſionibus Adalberti Comitis adductos.* Ejusdem Adalberti conſilio inductum Ludovicum patrem, Franciæ Orientalis regimine Ludovicum filium anno præcedente 38 deſtituiſſe, non obſcurum collectu eſt ex verbis Annalium ad annum 841: *Adalbertus Comes & incentor diſcordiarum occiditur.* Multo magis id liquidum eſt ex Nithardi *l. 2 p. 454. edit. VVechel.* ubi de Othgario Moguntino & Adelberto hoc verba faciens ait: *Habebat uterq; Hludovicum ad mortem usq; exoſum.* Item pag. ſeq. de Adalberto ipſo: *Erat eo in tempore ita prudens conſilio ut ſententiam ab eo probatam non quilibet mutare vellet.* Hunc porro Adalbertum Comitem fuiſſe Palatii, non obſcure fortaſſis colligere eſt ex eo, quia Druogoni Archicapellano, primario miniſtro aulico in Eccleſiaſticis, hic conjunctus eſt

à Pio

à Pio Imperatore, primus scilicet minister in negotiis secularibus; ut tum erat aulæ Francicæ constitutio, de qua post latiùs differendi occasio dabitur. Ita sanè loquuntur Annales ad annum DCCCXL: *Imperator de Aquitania infecto negocio redire compulsus, Druogonem Archicapellanum & Adalbertum Comitem cum aliis multis præmisit, ad tuendum littus occidentale Rheni fluminis.* Adalbertum itaque Comitem Palatii fuisse anno vicesimo sexto Imperii Ludoviciani, & una cum Pio Imperatore vixisse ad Lacum Brigantinum in Podamo Palatio, non est fortasse cur dubitemus.

At illo tempore, h. e. anno Christi DCCCXXXIX, non fuisse confectum illud Diploma quod Cœnobium jactitat, jam tum demonstratum est. Et tamen illa tria quæ modò adduximus in tempus istud anni post octingentesimum tricesimi noni quàm optimè conveniunt. Itaque ea quæ subscriptionem, ut & quæ Adalbertum tanquam Palatii Comitem attinent, illa ajo omnia ex istius temporis historia ab impostore esse petita, perquam sanè est verisimile. Imo cum nullum sit dubium amplius, Pii Signum & Sigillum veteratoria arte huic Diplomati cœnobiali esse additum, non est etiam fortè cur dubitemus, illa quæ modò diximus tria à falsaria manu Diplomati Cœnobiali inserta esse.

Et verò justissima est suspicandi causa, Diploma aliquod, impetratu Adalberti Comitis Palatii, à Pio Imperatore anno Imperii sexto vicesimo, quo tempore in Podamo Palatio versabatur, fuisse confectum, eoque usum impostorem in rem suam, atque adeo ad Diploma Lindavense fabricandum.

Diploma autem cœnobiale vel solis hisce argumentis jam est falsi convictum.

CAPUT VI.

Ludovicum Pii filium nec fuisse nec audiisse, vivo quidem Lotharii filio Ludovico, Imperatorem; propterea que Diploma illud Cœnobiale non esse Ludovici illius, astruitur contra Hyperaspistas.

NEc Lotharii filium nec Pium Ludovicum condidisse Cœnobiale Diploma, demonstravimus. Quin imò habemus assentientem ipsum Diplomatis istius Hyperaspistam. Hactenus itaque confecta res est. Sed novum quid commentus est Vindex ille; nempe deberi Diploma Ludovico Pii & filio & in Germania successori. Hunc enim etiam Imperatorem fuisse & audiisse, hujusque rebus Diplomatis omnia convenire. Qui ante illum aperte hoc asseruerit, fortè nemo reperitur. Nemo certe illud conatus est orbi persuadere. Hic autem magno id studio agit, à *§. usq; 4. ad capitis primi finem.* Quantumvis autem traxerit ille fortassis nonnullos in sententiam, vel saltim dubios reddiderit; mihi tamen pridem visus est laterem laviisse, & perdidisse oleum atque operam. Idque adeò nunc luce meridiana clarius, ut ita loquar, ostendam; hac vice probaturus, Pii istum filium nec fuisse nec appellatum olim à quoquam Imperatorem, saltim quamdiu fuit in vivis Lotharii filius.

Prius vero quam ad rem ipsam aggrediamur, dicendum aliquid fuerit de Ludovici Lotharii filii obitu, & in defuncti ditionem atque adeo & in Imperatoriam dignitatem jure Ludovici Germanici nostri. Igitur illi quidem Lotharii filio, de Italiæ & Imperatorii muneris possessione, à quoquam dum viveret litem esse motam, nullo vetere documento probare est. Inter Ludovicum certe illum Imperatorem & nostrum Germanicum convenit tandem optime. Quod utiq; manifestum est

est vel ex eo, quod anno 74 factum hisce verbis memorant Annales Francici. *Rex Hludovicus in Hebdomade Paschali Fuldense monasterium petiit causa orationis, & inde reversus generalem habuit conventum in villa Tribuere. Inde in Italiam per Alpes Noricas transiens cum Hludovico nepote suo & Ioanne Romano Pontifice, haud procul ab urbe Verona, colloquium habuit.* De obitu Ludovici illius Imperatoris, deq; pòst secutis ita breviter memorat Gotfridus Viterbiensis, homo non Germanus sed Italus p. 466. edit. Pistorianæ: *Anno ab incarnatione Domini 874 Ludovicus suavissimus Imperator ultimum diem clausit anno 19 Imperii sui. Eodem anno Carolus patruus ejus senior, Occidentalis Franciæ rex, cum suis Francigenis Romam veniens Imperium à Romanis, ut dicitur, pecunia impetravit. Non multò pòst frater ejus Ludovicus Rex Germanorum & Bavarorum in castro suo Franconefurt diem obiit.* Verùm ut pleraque alia Gotfridi ita & hoc ἀνοσφ est, & ex parte falsum. Obiit enim Ludovicus Imperator anno 75, eodemque anno Carolus Romæ Imperator fuit dictus à Joanne Papa, fuit etiam non senior sed junior natu Imperatoris defuncti patruus. Rectiùs omnia referunt Annales Fuldenses, ad annum scilicet 875 hoc modo: *Mense Augusto Rex Hludovvicus cum filiis & fidelibus suis colloquium habuit in villa Tribuere. Interea Hludovvicus Italiæ Imperator obiit: cujus corpus translatum Mediolani in basilica S. Ambrosii sepultum est. Quod cum Carolus Galliæ tyrannus comperisset, illico regnum Italiæ invasit & omnes thesauros quos invenire potuit unca manu collegit. Unde Hludovicus Rex iratus Karlmannum cum exercitu per Bajoariam destinavit in Italiam. Ipse vero, juncto sibi æquivoco suo, cum manu valida regnum Karoli ingressus est, ut eum de Italia exire compelleret. Exercitus autem qui Regem sequebatur versus ad prædam, cuncta quæ invenit diripuit atq; vastavit. Karolus verò audito Karlmanni adventu in Italiam: primò clausis Alpium* se defendere nititur, *sed nihil proficit. Carlmannus enim loca*

accessu

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [101] - 79

accessu difficilia cum suis præoccupavit. Ille autem dum negotium ferro decernendum timuisset (est enim lepore timidior) ad calliditatem solitam convertitur. Nam aurum & argentum gemmasq; pretiosas infinitæ multitudinis Carlmanno obtulit, ut eum sibi placare & à paterna fidelitate segregare potuisset: juravitq; se de Italia cito exiturum, & Hludovvici fratris sui judicio illud regnum disponendum servaturum, si Carlmannus inde discederet. Quo inde discedente, & promissionibus illius credente, ille quæcunq; pollicitus est mentitur, & quanta potuit velocitate Romam profectus est, omnemq; Senatum populi Romani pecunia more Iugurthino corrupit, sibiq; sociavit: ita ut etiam Ioannes Papa votis ejus annuens, corona capiti ejus imposita, eum Imperatorem & Augustum appellare præcepisset. Proximo anno sic narrant, de Carolo Calvo jam ex Italia in Galliam reverso: *Plurima etiam incredibilia se contra Huldovvicum Regem & regnum illius facturum esse minatus est. Denique inter cætera jactantiæ suæ verba dixisse fertur, se tantam multitudinem de diversis locis congregaturum, ut Rheno flumine ab equis exhausto, ipse per aridum alveum ejusdem fluminis esset transiturus, totumque Huldovvici regnum vastaturus. Cujus minæ facillime sedatæ sunt. Nam Hludovvico suum exercitum congregante, ille timore perterritus legatos misit, pacemque petiit. Cumq; nuntii ex utraque parte sæpius directi eos pacificare studuissent, Hludovvicus ægrotare cæpit, & crescente quotidie infirmitate, V Calend. Septemb. in palatio Francofurt diem ultimum clausit.* Hæc Annales. Quæ nobis nunc sufficiunt: quoniam extremum fatum etiam nostri Ludovici Germanici jam narraverunt: quæ pòst autem contigerint scire nostra nunc haud refert. Id verò jam est manifestum, ab Augusto usque circiter mense anni Christiani Octingentesimi septuagesimi quinti, morte Ludovici Lotharii filii, Imperialem dignitatem cæpisse vacare, & studuisse Germanicum nostrum Ludovicum illi sibi vindicandæ, non tamen factum voti compotem, sed à

Joan-

Joanne Papa Carolum Ludovici noſtri fratrem eſſe coronatum Imperatorem, noſtro ſequente anno ſeptuageſimo ſexto v Kal. Septembris Francofurti in Germaniâ defuncto. Quin jure ipſi debuerit Imperatoria dignitas, non equidem dubito. Etenim impetraverat Carolus Magnus jus aliquod hæreditarium ad Imperiale munus; eaq; ratione ab Carolo ad Ludovicum Pium, ab hoc ad Lotharium, ab illo denique ad filium Ludovicum hactenus illud pervenerat. Inter hæredes autem Ludovici hujus noſter utique erat proximus: inter patruos ſcilicet natu major. Romanorum Paparum jus eligendi ignorabatur tum adhuc, cæpitque primùm cum Carolo Calvo. Idquod multis demonſtravimus *l. de Germanorum Imperio Romano cap. VII.* Jure igitur ſubnixus quidem fuit, dum viveret Ludovicus noſter Imperatorio titulo utendi. Fecerit autem ipſe nec ne, hactenus mihi eſt incompertum: quoniam uti paulo poſt apparebit, ſuperſunt Chartæ duæ Fuldenſes quæ ultimo vitæ anno Ludovicum noſtrum Imperatorem uſurpant, nullum autem præterea ex omni illo ævo Imperatorii tituli exſtat documentum. Ipſummet ſane noſtrum Ludovicum abſtinuiſſe à titulo illo, indicat liquido Laurishamenſe Diploma ultimo loco à nobis productum, menſe ſcilicet Majo latum, vix trimeſtri ante obitum ſpacio. Veroſimile etiam id facit, quod filius ipſius Carolomannus, etſi pulſo jam & mortuo Calvo, devicta Italia anno Chriſtiano DCCCLXXVIII, *Johanne Papa ſub cuſtodia retento, Optimates Romanorum fidelitatem Karlmanno ſacramento firmaverint* (verba ſunt Annalium) Regem Italiæ quidem ſe dixerit, non Imperatorem tamen; quod Aventinus quoque obſervavit l. 4. pag. 441. Alienus certe fuit Ludovicus noſter, à vanâ illa arrogantia, qua Carolum fratrem laboraſſe, liquet ex iis quæ Annales referunt ad annum ſexageſimum nonum & ſeptuageſimum ſextum, niſi ſint calumniati. Quicquid verò hujus ſit:

ſive poſt defunctum Lotharii filium voluerit dici Imperator noſter Ludovicus, ſive non, noſtra nihil nunc intereſt. Sufficit noviſſe, ſaltim antehac, & cumprimis anno ſexageſimo ſexto, quo Diploma creditur conditum, Imperatorio titulo non audire illum ſolitum. Atque adeo id demum jam demonſtrabimus.

Igitur Ludovicum noſtrum non dictum Imperatorem, vivente quidem Lotharii filio, ſed Regis nomine fuiſſe
I. contentum, probatur PRIMO omnibus genuinis adhuc ſuperſtitibus Diplomatibus. Produximus nos majorem in fidem & omnium oculis objecimus, integra ſeptemdecim: ab anno quinto Regni in Bajoaria ad triceſimum ſeptimum usque Regni in Orientali Francia, h. e. ad ultimum pene finem vitæ. In quibus utiq; omnibus nusquam Imperatoris, ſed ſolo Regis titulo, Ludovicus hic noſter ſemetipſum fecit appellari.

Aliorum ejus Diplomatum memoria paſſim reperitur, ejusdem autem omnino notæ. Recitat enim præter ea quæ tota jam allata ſunt, ſex diplomatum Ludovici huius Regis ſummam Gewoldus ſive Hundius Tomo ſecundo pag. 365. Bernhardus Mallincroth Decanus Monaſterienſis, vir utique omnium Germaniæ antiquitatum curioſiſſimus & fidei optimæ indagator, præclaro ſuo de *Archicancellariis & Cancellariis Sacri Imperii Romano-Germanici* opere, de Ludovico noſtro agens ita ſcribit pag. 22: *Anno regni* (in Orientali Francia ſcilicet) *X & XII Baldricus Abbas Ludovici Cancellarius reperitur, apud Kleinſorgium in Chron. VVeſtph. Eccleſ. in Diplomate gemino Corbejenſibus ad Viſurgim dato. Apud Aventinum duo extant hujus Ludovici Diplomata, ſeu veriùs fragmenta eorundem: quorum prius Regenbertus Diaconus alterum Dominicus Notarius Radleici vice recognovit: hoc tertio, præcedens quintodecimo regni ejus annis. Anno 26 regni ejusdem Regis VViggarius Cancellarius reperitur, cujus vice literas Ludovici, datas Monaſterio Hervordienſi in VVeſt-*

in VVestphalia, Albertus Subdiaconus signavit. Extant literæ illæ in Archivo Abbatiæ prædictæ. In longe eruditissimis *Monumentis Paderbornensibus* secundæ editionis, ad Monumentum Ramæ, Illustrissimus atque incomparabilis Princeps Autor n. 2. hisce verbis commentatur: *In diplomate Ludovici Germaniæ Regis & Caroli M. nepotis anno XXXIII regni ejus in Orientali Francia, dato Herivordensi Monasterio, eo loco qui hodie VVerna appellatur.* Ratpertus S. Galli monachus in libro *de Origine & Casibus S. Galli cap. 8.* tomo I Alemannicorum Goldasti, ita loquitur. *Interea contigit Hludovvicum piissimum Regem publicè placitum suum habere in villa quæ dicitur Vlma, præsentibus filiis suis aliisq; Regni sui Principibus. &c. Rex ambarum partium cum conspiceret unitatem, sese hoc pacto interposuit medium, atq; in semet omne negocium assumens, cum manu sua potestativè res prædictas ad Episcopatum contradidit: atq; cum ipsa manu similiter potestativè ab Episcopis Monasterium abstulit: penitusq; diremit ita, ut deinceps nullam potestatem Episcopi in rebus ejusdem Monasterii haberent, neq; in censu neq; in nullâ aliâ causâ, præter spiritalis tantummodi Episcopalis officii dignitatem, sed pura mente ex hoc & deinceps licentiam haberent Monachi eidem servire, nulliq; seculari potestati nisi solis Regibus subjacerent.* Idem Ratpertus sub finem ejusdem capitis: *His ita à clemente Rege omnium consensu compositis, jussit idem Rex suæ auctoritatis præceptum utriq; parti ad perpetuam confirmationem istius pacti statim in præsenti conscribi &c. tunc demum Cancellario præcepit in legitimis cartis conscribere præfati pacti confirmationem, & cum præcepta fuissent, propriæ manus auctoritate eas confirmans, unam Episcopo cum suis, aliamq; Abbati Monachisq; contradidit. &c. Præterea Rex piissimus Hludovvicus statim jussit Monachis fieri aliam chartam firmissimæ emunitatis, ut post Grimaldum deinceps potestatem in perpetuum haberent eligendi sibi Abbatis, nulliq; hominum nisi solis Regibus subjacerent.* Bartholomæus Schobingerus, vir antiquitatum sacrarum

crarum & civilium utique perquam peritus, in suis ad Joachimi Vadiani libros *de Collegiis & Monasteriis Germaniæ veteribus* Additionibus, apud Goldastum Tomo III Rerum Alemannicarum pag. 110, cum nonnulla dixisset de illo Diplomate quo Ludovicus Germanicus Tiguri instituit Sanctimonialium cœnobium, quæ jam capite IV pag. 59 allata sunt, addit. *Idem anno Regni ejus vicesimo sexto Chanam curtim, quæ in pago Thuregiensi est monialibus Tigurinis donavit. Idem Ludovicus anno regni ejus XXXIII Orientalis Franciæ, eandem immunitatem confirmavit ad preces Hemmæ conjugis suæ, quæ filium Bertham Hildegardæ defuncta eidem monasterio præfecit. Idem Ludovicus Senior Caroli Crassi pater, sacellum S. Petri in villa Zürich eximiis reditibus donatum, in beneficium Bartolo Presbytero qui Hildegardæ filiæ fideli ministerio servierat, concessit. Huic sacello capellas duas vallis Vroniæ conjunxit in locis nominatis Burgala Sylina, cum mancipiis, decimis, terris cultis & incultis. Donavit ea conditione, ut eo mortuo res prædictæ ad prius memorati monasterii usum & possessionem reverterentur. Facta est hæc donatio anno regni Ludovici XXV in Orientali Francia.* Postremò inter monumenta Laurishamensia, addita elegantissimo Commentariolo Marquardi Freheri, in Antiquitatum Germanicarum notitia nemini secundi, *De Lupoduno*, pag. 23. memoratur Confirmatorium Diploma Ludovici Regis, anno XXIV regni in Orientali Francia Francofurti confectum.

Præter septendecim igitur à me in medium allatas, supersunt non nisi Regem Ludovicum nostrum agnoscentes literæ, teste quidem Hundio sex, Mallencrotho quinque, Illustrissimo Principe Paderbornensi una, Ratperto monacho S. Galli teste tres, totidem Bartholomæo Schobingero, & una denique teste Frehero. Ac proinde hactenus numerari à me poterunt, ad septemdecim priora mea, Diplomata novemdecim. Quæ summa facit Diplomata triginta sex.

Indubiè

Indubiè Wangenereckius cum Sociis omnem lapidem movit, quo inveniret etiam suæ sententiæ favens Diploma. Sed frustra eos laborasse res loquitur: non enim ullum ab iis allatum est. Vt proinde secure possim equidem ad omnia omnino Ludovici hujus Regis diplomata provocare. Certe ad ipsum ultimum usque vitæ annum res plana & confecta est, vel ex iis quorum mentionem fecimus diplomatibus.

Largo tamen sudore effuso visi sibi sunt Vindices reperisse tandem aliquid non quod pueri in faba. Martinum enim Crusium *Annalium Suevicorum l. 2. p. 2. cap. 11. suiq. codicis fol. 16.* testari, tale Privilegium Essoni Curiensi Episcopo esse concessum. *Ludovicus ordinante providentia Imperator Augustus III Regni sui in Orientali Francia concessit Essoni Episcopo Curiensi (ut & Victori factum) ut nemo ad ipsius Episcopale ministerium peragendum successoribusq. ullum impedimentum afferat; sed habeant (sicut per patris ejus auctoritatem concessum est) secundùm Canonicam institutionem plenam ministerii sui potestatem, per monasteria in Parochia suæ Sedis consistentia, & super Presbyteros ordinandos, & super decimas secundum canonicam jussionem disponendas &c. In Strasburg VIII. Kal. Aug. Imperii IX Domini DCCCXLIX anno.* Indubiè autem animo desperabundo hoc quidem in medium attulerunt boni Vindices. Non indoctos enim, simul vero & summè industrios, satis sese probaverunt. Saltim igitur nihil melius ipsis ad manum fuit, quod vel in speciem potuerit adduci pro Ludovico Germanico Imperatore: nec tamen ut viris doctis potuit non subolere hujus quidem Crusiani testimonii ineptitudo, utpote cum sani nihil hic sit invenire. A Ludovico Lotharii filio non esse quicquid hujus est Privilegii, fatemur. Non illo quidem Vindicum argumento moti, quod ille Lotharii filius anno post octingentesimum quadragesimo nono Argentinæ, utpote in Germania, nihil habuerit juris: hoc enim est ineptum, quandoquidem

tunc temporis Argentina fuit in ditione Lotharii, qui filium hunc ſuum anno 43 conſortem fecit regnandi. Vt nec illo, quod annus iſte ſeculi octingenteſimus quadrageſimus nonus haud nonus ſed ſextus Ludovico fuerit: cum enim in Cruſianis illis omnia ſint turbata, non eſt cur adductam ibi numerorum rationem vel tantillum attendamus. Quoniam autem mentio fit Regni in Orientali Francia, in qua non Lothario aut ejus filio ſed ſoli Ludovico Germanico jus fuit, haud poteſt quicquid hujus eſt niſi à ſolo hoc Ludovico profectum eſſe. Verum enimvero in illius ditionem Argentina demum pervenit anno Chriſti DCCCLXX, facta diviſione Lotharingici Regni cum fratre Carolo Calvo, illius anni VI Id. Aug. Id quod quandoquidem clariſſimum eſt ex iis quæ *Opere de Finibus Imperii Germanici cap. VII.* docuimus, nihil attinet hoc loco iterum oſtendere. Illo autem ſeptuageſimo ſeculi anno jam annum triceſimum regiæ ſuæ in Orientali Francia poteſtatis numerabat Germanicus Ludovicus, non autem duntaxat nonum. Adhoc, quid tandem verba illa ſibi volunt: *Imperator Auguſtus III Regni ſui in Orientali Francia?* An Ludovicus Germanicus fuit Imperator id nominis tertius? An Regni in Orientali Francia quisquam aliquando audiit Imperator? Somniis profecto & deliriis hæc nemo veterum ævi rerum peritus non accenſuerit. Non ſanè dubito, ſibimetipſis non ſatis feciſſe Socios: atque adeo ex trepidatione effuſa illa verba: Wann wir nicht ſo wol zu Lindaw als zu Chur / die privilegia ſollen ſeinem Herrn Vater Ludovico Pio zuſchreiben / und die von Cruſio angegebene Jahrzahl 848 für ihrſam halten. Quamvis nunquam Ludovicus Pius annos regni in Orientali Francia ſoleat numerare, ac proinde hæc Cruſiana illi nequeant tribui: juſtius autem potiſſima Cœnobialis Diplomatis ad illum pertineant, ceu jam tum demonſtravimus.

Primum igitur noſtrum argumentum, quo negavimus Ludo-

Ludovicum Germanicum, vivo saltim Lotharii filio Ludovico, Imperatoris titulum usurpasse, firmum atque invictum est. Addemus ALTERVM ejusdem roboris. Quæ nempe isthac tempestate à Notariis confectæ sunt tabulæ, illæ non agnoscunt Pii filium Imperatorem, vivo adhuc Lotharii filio, sed duntaxat Regem. Integram earum centuriam inseruit Goldastus *Tomo II Scriptorum Rerum Alemannicarum*, præcipue ad S. Galli monasterium pertinentium. Inter illas variæ quidem reperiuntur Ludovico regente scriptæ: in nullis autem Imperatorius titulus comparet. Vindex tamen Cœnobii non dubitavit ex libello isthoc promere quinquagesimam quintam in sui asserti confirmationem. Ubi ita scriptum. *Ego itaq; indignus monachus Eccho rogatus scripsi & subscripsi. Notavi diem Lunæ XIII Kal. Ian. anno XXVIIII Regni Hludovici Imperatoris & sub Hudobucho Comite.* Ex libro item Traditionum S. Galli. *Vbi Kisa fœmina quædam tradit ad monasterium S. Galli, quicquid in loco Snersiveng possidebat sub censu quatuor denariorum &c. Actum in Brunbinnellas die Dominico. Ego Erimbroch Subd. scripsi & subscripsi sub Geroldo Comite anno XXVII Hludovici Imperatoris.* Utramque hanc chartam negat Vindex convenire Ludovico Pio, quoniam scilicet ille non regnaverit tot annos: referendas itaque illas ad Ludovicum Germanicum, eumque Imperatorem esse appellatum. Frustra autem etiam hic industriam suam Vindex exercuit. Diserte enim de Ludovico Pio Nithardus fine l. 1. *Imperiale nomen per annos septem & viginti, & per menses sex obtinuit.* Potuit itaque recte charta confici Pii Imperatoris anno non tantum vicesimo septimo sed etiam octavo. Quidni verò mendosus sit numerus XXVIIII, scribendumque vel XXVIII vel XXVII? Talia certe menda occurrunt passim infinita. II.

Reperiuntur autem variæ chartæ veteres etiam apud Joachimum Vadianum in præclaris ejus libris de *Collegiis & Monasteriis*

naſteriis Germaniæ veteribus, quos itidem Tertio Tomo Alemannicarum rerum Goldaſtus inſeruit. Subſcriptum quidem habent Ludovici noſtri nomen ſed non alio quàm Regis titulo. Videri poteſt pag. 46. 49. 51. 54. 61. Quarum chartarum ultima ſcripta eſt 3. Kal. Jul. anno Ludovici XXXV atque adeo paulo ante obitum Ludovici Lotharii filii Imperatoris. Id quod cumprimis meretur hic attendi.

Inter monumenta porrò antiqua quæ *Parti primæ Originum Palatinarum* addidit Marquardus Freherus, pag. 32. editionis iteratæ, in hunc modum ſubſcriptum eſt Chartæ donationis Ansfridi Comitis Palatii: *Actum publicè in monaſterio Lauresham, anno incarnationis Dominicæ MCCCLXII* (ſcribendum autem omnino DCCCLXVI) *regni Ludovici Regis XXVI.* Subjungitur alia Charta Donationis ſed fine mutila, ita autem deſinens: *Actum loco tempore & die quo ſupra.* Additur & Præſtaria, quam vocant, itidem mutila. Quæ finitur hiſce verbis: *Data præſtaria die & tempore quo ſupra.* Ex quibus manifeſtum eſt, ipſo anno regni 26, quo Hyperaſpiſta Diploma vult eſſe conditum, Ludovicum Germanicum non Imperatorio ſed Regio cognomento in publicis Notariorum chartis eſſe nuncupatum. Adhoc idem Freherus, inter monumenta ſuo *Lupoduno* adjecta, habet chartam aliquam Traditionis, ut vocarunt, ab Ermenrico Notario ſubſcriptam, quæ ita finit: *Acta eſt hæc Traditio in ipſo loco VViſonterſtarga, ſub die octavo Idus Decembris, Anno ab incarnatione Domini DCCCLXVIII Indictione decima, regnante Domino Ludovico Rege ſuper Orientales regiones, Anno XXVII Regni ejus.*

Joannes porro Piſtorius in Tomum tertium ſcriptorum veterum Germanicorum libros tres *Traditionum ſive Antiquitatum Fuldenſium* conjecit. In cujus libro primo & ſecundo quamplures tales chartæ reperiuntur. Omnes ſunt ſcriptæ regnante Ludovico noſtro, rege Orientalium Francorum. Videatur

tur pag. 484. 485. 486. 487. 488. 489. libri primi: ut & ſecundi libri pag. 495. 496. 498. Item 528. 530. 531. 533. 543. 544. 548. & ſequentes usque 553. iterum à pag. 557. usque 570. Qua ſeptuageſima pagina quæ continetur Traditio hanc habet ſubſcriptionem: *Facta eſt autem Traditionis chartula anno dominicæ incarnationis DCCCLXXIV, Indictione ſeptima, regni autem Ludovici glorioſiſſimi regis anno XXXIV.* Saltim igitur usque ad illum annum, inter tam multas chartas veteres, nulla Imperatorium nomen Ludovico noſtro attribuit; ac proinde ſaltim hactenus non audivit ille Imperator. Inter eas imò tres reperiuntur ipſo anno XXVI Regni & Chriſti anno LXVI ſcriptæ, quo Lindavienſe Diploma conſcriptum eſſe credi voluit Hyperaſpiſta. Una legitur l. 1. pag. 289. duæ l. 2. pag. 565 & 569.

Cœterum pag. tamen 71 binæ exſtant chartæ: quarum prima hanc præ ſe fert ſubſcriptionem: *Acta eſt hæc chartula traditionis in monaſterio Fulda anno Dominicæ incarnationis DCCCXXVI. Indictione IX, anno XXXV Ludovvici Imperatoris menſe Februario die XIV menſis ejusdem.* In Poſteriori ita ſubſcriptum eſt: *Facta eſt hæc traditionis chartula in monaſterio Fulda, anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXVI Indictione octava, anno XXXVI Hludovici Imperatoris, menſe Julio, die XXIII.* Hæ duæ chartæ ab omnibus aliis plurimum utique differunt: utpote quæ ſolæ Hludovicum Germanicum, (illum enim ſignificari, indicat & Chriſti & Ludovici regni annorum numerus) agnoſcunt Imperatorem. Nec tamen earum fides video quî jure poſſit vocari in dubium, modò à mendis purgentur. Et vero in priore omnino ſunt Ludovico tribuendi anni XXXVI, quoniam LXXVI numerantur poſt octingenteſimum anni Dominici, hi autem ſemper in hiſce Traditionum chartis ſolent ita convenire, quaſi annus quadrageſimus primus Chriſti fuerit regni Ludovici primus. Id quod obſervans etiam Piſtorius, monuit in margine, ſcribendum XXXVI. In

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [111] - 89

posteriore Indictionis annus itidem numerandus est nonus ut in priore: quia Christi LXXIV fuit Indictio octava, ceu liquet ex pag. 570. Quantumvis autem diversæ sint hæ chartæ ab omnibus prioribus usque adeò numerosis, non turbare tamen nos possunt, aut Cœnobiale diploma adjuvare: quoniam utraque confecta est defuncto jam tum Ludovico Imperatore Lotharii filio, atque illo tempore, quo Imperatoria dignitas jure debebatur uni Ludovico nostro Germanico. Nec tamen chartæ hæ idoneæ sunt docere, ipsummet Ludovicum Imperatorio se titulo jactitasse. Sed factum id est tantùm à tabellione, ex aliqua singulari erga Regem suum pietate. Ut sæpe solent privatorum hominum in dominos suos studia luxuriari circa titulos eorum quibus favent. Fuldensium sane in Ludovicum favorem singularem, ut odium Caroli Calvi, etiam Annales produnt, cumprimis in narratione rerum anni septuagesimi quinti sexti & septimi. Mirum verò nisi cum tripudio hasce chartas excepissent Vindices si observassent. Fugerunt tamen sollicitam illorum industriam: quamvis jam tum Goldastus in sua *Replicatione pro Imperio cap. 26. pag. 270* illas Gretzero opposuisset.

III. Sed altero etiam argumento satis confirmato, ad TERTIVM pergemus. Est autem hoc: quod in nullo indubiorum monumentorum illius ævi, quamvis res Ludovici nostri cum cura memorent, Imperatorio titulo honoretur Germanicus, etiam mortuo Lotharii filio, sed tantum Regio. Id ipsum quàm optimè docent Fuldenses Annales. Non sunt illi quidem auctoris unius: qui tamen res Ludovici nostri, saltim potissimas, attinent illos à coævo aliquo conscriptos esse, non obscurum utique est ex clausula narrationis eorum quæ anno septuagesimo quinto sunt gesta. *Quia*, inquit auctor, *certum non habui laborem scribere nolui. Melius enim*

est

est tacere quam falsa loqui. De Caroli etiam Calvi arrogantia differens anno proximo, utitur illis verbis *perhibetur* & *fertur.* Huc pertinet anno 53 sub finem τὸ *hactenus.* In illis autem Annalibus per omnes annos usque ad obitum Ludovicus noster tantum Rex usurpatur, Imperator nunquam. Exstat porrò inter tabulas Hamburgensis Ecclesiæ, à Lindenbrogio editas bulla Nicolai primi Papæ, scripta anno Pontificatus quinto, de monasterio Ramislao: in quo à Papa illo Ludovicus noster sæpissime Rex nunquam autem Imperator appellatur. Ejusdem præterea Nicolai ætate (sedit autem ab anno 858 in annum usque 868, atque adeo tunc etiam cum Diploma Lindavienſe auctor voluit esse conditum) formula illa Litaniæ, sive precum solemnium, Germaniæ nostræ tum communium, in usu publico sacro fuit, quam Goldastus scriptoribus Rerum Alemannicarum antiquis inseruit, legiturque hodie Tomo II pag. 136. In ea autem primo quidem loco ad illud *Exaudi Christe* respondetur, *Nicolao summo Pontifici & universali Papæ vita.* Ad idem *Exaudi Christe* Respondetur secundo: *Hludovico à Deo coronato magno & pacifico Regi vita & victoria.* Tertio ad *Exaudi Christi* respondetur: *Hemmæ reginæ nostræ vita.* Quarto itidem ad *Exaudi Christe* Respondetur: *Nobilissimæ proli Regali vita.* In Historia porro vitæ Anscharii quam Rembertus Ludovico nostro coævus conscripsit, frequens fit mentio illius Ludovici Germanici, non alio autem quàm Regis titulo. In Capitulis præterea Caroli Calvi, quæ singulari libro, decus Jesuiticæ Societatis doctrinâ & candore præstans Jacobus Sirmondus Parisiis anno 23 edidit, passim multa occurrunt ad Ludovicum nostrum pertinentia, nunquam tamen alio quàm Regis titulo appellatum. Videantur præ aliis pag. 167. epistola Episcoporum Remensis & Rhotomagensis diœcesis ad Ludovicum nostrum scripta anno 858 perquam profecto insignis: pag. 207 Capitula Synodi Metensis

rensis de indulgentia Ludovici Regis condita anno 859. Pag. 221. 229. 238. 295. 351. 356. Ubi non privata sed publica acta continentur. Cumprimis observatu digna est quæ pag. 335 recensetur Pactio Aquisgranensis, instituta anno 870 inter Ludovicum nostrum & Carolum, quam Aubertus quoque Miræus Codici Donationem piarum inseruit, idque propter formulas juramentorum quibus utrinque usi sunt legati Regii. *Lantfridus Comes* (verba sunt Pactionis) *ex parte Hludovvici Regis: Sic promitto ego ex parte Senioris mei, quod Senior meus Hludovvicus Rex fratri suo Karolo de regno Hlotarii Regis consentit habere &c.* Omninô autem conjungenda fuerit *Divisio regni Lotharii* eodem anno instituta, quam & Sirmondus & Miræus ediderunt. *Inter gloriosos* (verba sunt) *Reges Karolum & Hludovicum fuit hæc divisio regni facta in Procaspide super fluvium Mosam.* Nolo adjicere alia, ex tempestatis illius monumentis variorum auctorum petita testimonia: ac proinde ne quidem Othfridi monachi S. Galli Evangelia Germanica lingua metrice sine exemplo reddita. Securè autem & optima fide (quoniam fortassis citra jactantiæ notam possim affirmare, perlustrata mihi illa tantum non omnia haud absque cura) pronuncio, in omnibus istis nusquam Ludovico nostro alium quàm Regium titulum attribui.

Pari fide parique securitate profiteor idem, de omnibus monumentis usque ad seculum undecimum sive annum
IV. Dominicum millesimum. Quod pro Argumento QVARTO jure utique optimo haberi potest. Accedit enim ad Tertium argumentum centum triginta amplius annorum spacium. Interea autem temporis conscripta sunt varia, quorum bona saltim pars etiamnum in manibus. Nolo ex singulis anxiè testimonia congerere. Unum pro omnibus ex Historicis quidem sit Reginonis, doctissimi & religiosissimi Prumiensis Abbatis, cujus Chronicon desinit in Dominico anno nongentesi-

genteſimo ſexageſimo ſeptimo. Qui cum omnia Ludovici noſtri fuiſſet perſecutus mortem ejus hoc elogio ornavit. *Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXVI, LVDOVICVS REX apud Franconefurt palatium diem clauſit extremum V Calendas Septembris: ſepultus eſt in monaſterio ſancti Nazarii quod Lorasham nuncupatur. Fuit autem iſte Princeps Chriſtianiſſimus, fide Catholicus: non ſolum ſecularibus verum etiam eccleſiaſticis diſciplinis ſufficienter inſtructus; quæ religionis ſunt, quæ pacis, quæ juſtitiæ, ardentiſſimus executor; ingenio callidiſſimus, conſilio providentiſſimus, in dandis ſive ſubtrahendis publicis dignitatibus diſcretionis moderamine temperato, in prælio victoriosiſſimus, armorum quam conviviorum apparatus ſtudioſior: cui maximæ opes erant inſtrumenta bellica: plus diligens ferri rigorem quam auri fulgorem: apud quem nemo inutilis valuit: in cujus oculis perraro utilis diſplicuit: quem nemo muneribus corrumpere potuit: apud quem nullus per pecuniam eccleſiaſticam ſive mundanam dignitatem obtinuit, ſed magis eccleſiam probis moribus & ſancta converſatione, mundana devoto ſervitio & ſincera fidelitate. Habuit autem hic glorioſiſſimus Rex, cujus memoria in benedictione eſt, Reginam nomine Hemmam ſibi in matrimonium junctam: quæ nobilis genere fuit, ſed quod magis laudandum, nobilitate mentis multo præſtantior. Ex qua tres filios ſuſcepit, excellentiſſimæ indolis, videlicet Carolomannum, Ludovicum & Carolum; qui felici ſorte poſt deceſſum patris imperii moderati ſunt gubernacula.* Integrum iſtud elogium hîc legi, duxi ex re futurum: quo appareat, Reginoni Ludowicum noſtrum fuiſſe ſic ſatis notum Vice reliquorum autem monumentorum eſto Ludovici Germaniæ itidem Regis, noſtri ex Arnolpho pronepotis, diploma Brixinenſi Epiſcopatui conceſſum, anno 909, qui ab obitu noſtri eſt triceſimus tertius. Teſtimonium utique omni majus exceptione. Reperitur illud integrum Tomo 1 Metropol. Salisburgenſis pag. 469. Non tamen niſi ejus partem huc adferemus. *In nomine ſanctæ & indi-*

& individuæ Trinitatis, divina favente clementia Rex. Noverint omnes in regno noſtro circumquaq; fideles, præſentes ſcilicet & futuri. Quia vir venerabilis Meginbertus Sabianenſis Eccleſiæ Epiſcopus, quæ eſt conſtructa in honorem S. Caſtiani Martyris, noſtram adiens clementiam, obtulit nobis quædam præcepta, in quibus continebatur, qualiter venerandæ memoriæ anteceſſores noſtri, Ludovicus Imperator, & æquivocus LVDOVICVS REX proavus noſter, nec non etiam Arnolphus Imperator genitor noſter, prædictam ſedem & Eccleſiam cum omnibus ad eam pertinentibus propter malorum hominum tergiverſationes ſub illorum defenſione & eminutionis tuitione roboraſſent. &c.

V. Pro QVINTO Argumento denique meritò habendum illud, quod defuerit Ludovico noſtro omnis non tantum verè juſta cauſſa, ſed etiam ſpecies ejus, Imperatorium titulum uſurpandi. Cum videlicet non fuerit Princeps vanus ſed gravis & juſtus, non poteſt non vero abſimile videri, illum, vivo adhuc in Italia Lotharii filio, Imperatorio titulo ſuperbiiſſe. *Primo* enim iſtud nomen iis tantùm convenit, quibus eſt aliquod jus in Urbem Romam & veteris Imperii Romani reliquias; ſoli autem inter Pii filios Lothario ejusque ſucceſſoribus, ex pacto Virdunenſi, omne illud jus atque adeo & nomen Imperatorium ambo fratrum ultrò conceſſerunt. Poſterius factum eſſe, usque eſt adeo notum, ut nec Vindex Cœnobitici diplomatis negare id auſus fuerit; ſed ſit confeſſus p. 6 Das in der Virduniſche Theilung der Titul eines Keyſers ſampt Italia Lothario überlaſſen worden/ und auff ſeinen Sohn Ludovicum II kommen iſt. Exiſtimat vero ille, Lotharii juri nihil derogatum à Ludovico ſi & ille *Imperatorem* ſe vocaverit. Iſthoc enim quo uſus eſt Lotharius intelligendum eſſe de Imperatore Romanorum, quem ſibi Ludovicus non arrogaverit. Sed dum ita quidem loquitur etiam ſibimet ipſi contradicit. Non alio ſcilicet titulo uſus

eſt

est Lotharius quàm *Imperatoris Augusti*, & vivo adhuc patre Pio &postillam cum fratribus initam transactionem. Non aliud illi concessum fuit vel à Patre vel à fratribus. Nunquam addidit vocem *Romanorum*. Ad exemplum patris composuit titulum suum filius Ludovicus II. Si titulus ergo, quo usi duo illi sunt propriè significat *Romanorum Imperatorem*, utique eo ipso quo Diploma laudat conditorem Ludovvicum *Imperatorem Augustum*, etiam illum *Romanorum Imperatorem* designavit. Planè enim idem ille quo Lotharius ejusque filius usi sunt titulus comparet in Diplomate, ne apice quidem mutato. Est autem præterea longè verissimum, ab Octaviano Augusto usque *Imperatorem Augustum* esse neminem appellatum, saltim ad diem extremum nostri Ludowici, nisi Romano Imperio præfectum. Vt alios nunc taceam priscos Imperatores, Carolus Magnus *Imperator* audivit demum ex quo Romæ illud nomen est consecutus. *Romanorum* vocem *Imperatorio* non solitus est addere. Idem fecit Ludovicus Pius: quod vel ex illis quæ adduximus capite Tertio Diplomatibus discere est. Imo verò primus omnium τὸ *Romanorum* addidit Otto Tertius: ceu jam pridem monuimus in Annotatis ad Lampadium pag. 103. Idque factum esse æmulatione Constantinopolitanorum ejus tempestatis Cæsarum, indicavimus pag. 261. Si ergo Ludovicus Germanicus *Imperatorem* sese dixit *Augustum*, utique significavit sese Romanorum esse Imperatorem. Hoc verò fuisset cum injuria conjunctum in Lotharium fratrem ejusque filium Ludovicum, qui eo ipso tempore audierunt passim & soli sunt ab omnibus habiti *Imperatores Augusti*. Non potuit sane ignorare Germanicus noster morem sui ævi: quod *Imperatoris Augusti* cognomento solus tunc audiret Romanorum αὐτοκράτωρ. Avi, patris, fratris, nepotis ille titulus, quidque ille significaret, fuit illi notissimum. Solet ipse non alio illos titulo honorare, quando indicat Romanorum

illos

illos fuisse Imperatores. Ita sane loquuntur illa quæ Capite quarto adduximus ejus Diplomata pag. 27. 30. 35. 38. Quæ à quolibet hîc possunt conspici, ut alia adducere necessum non sit. Nemo illius tempestatis scriptorum alio sensu solet titulo *Imperatoris* vel *Augusti* uti Vt proinde hæc una tum significatio fuerit recepta. Justissima profecto fuisset, illo Imperatorio titulo usurpato, indignandi caussa præbita Lothario & Ludovico ejus filio, fratri quoque Carolo Calvo, imo & Romanis Pontificibus. Neque illi salva dignitate sua potuissent hanc mussitare injuriam. In omnibus autem ejus monumentis non legere est, super isthac re ullam institutam querelam, ullam expostulationem. Quod ipsum certissimo est indicio, Ludovicum nostrum nullam ejusmodi culpam commisisse.

Attamen objeceris fortassis illud, quod Annales Fuldenses memorant de Carolo Calvo: etsi fugerit lynceos Vindicum oculos. Verba Annalium hæc sunt in narratione eorum quæ contigerunt anno DCCCLXIX. *Carolus Rex comperta Hludovvici fratris sui infirmitate, regnum Hlotarii invasit & secundùm libitum suum disposuit, atq; ad se de eodem regno venire nolentes publicis privatisq; rebus privavit. Qui etiam pravorum usus consilio in urbe Metensi diadema capiti suo ab illius civitatis Episcopo imponi, & se Imperatorem & Augustum, quasi duo regna possessurus, appellare præcepit.* Videtur sane hisce indicari, affectatum Carolo Imperatorium Augusti titulum, quum destitutus esset adhuc omni Romanorum Imperio. Verum enimvero Carolum Metis appellatum *Imperatoris* nomine, aut ejus mandato tale quid constitutum, putida est calumnia, Fuldæ credita tantùm ex odio Caroli, quo monachos illos, certe horum Annalium autorem, tunc flagrasse, jam ante ostendimus. Supersunt scilicet etiamnum Acta integra Coronationis illius Metensis, edita loco tricesimo quinto in libro *Capitulorum Caroli Calvi*

Calvi ab harum rerum curiosissimo pariter & doctissimo Patre Jacobo Sirmondo. Supersunt eodem in libro quæ hanc coronationem paulò post exceperunt *Pactio Aquisgranensis* & *Divisio Regni Lotharii*: supersunt quamplura ejus ævi monumenta. Quod Carolus dictus tunc temporis fuerit Imperatoris titulo, aut quod ille mandaverit sese ita appellari priusquam septuagesimo quinto anno Romæ Imperator fuit creatus à Joanne Papa & Romano populo, nusquam vel vola vel vestigium apparet. Imo vero primum hunc luxasse jus Imperii hereditarium, quod à Carolo Magno usque hactenus obtinuerant Ludovicus Pius Lotharius & Ludovicus secundus, indulta quasi Pontifici & Populo Romano nova eligendi Imperatoris potestate, agnovit ipsemet Onuphrius Panvinius *l. de Comitiis Imperatoriis cap. V.*

Hæc itaque fabula non est quod turbet assertionem nostram de constante significatione tituli *Imperatoris Augusti.* Etiam verò omnibus pòst seculis mansit eadem significatio, & manet hodieque; ac proinde solis illa appellatio ab Ottone Magno usq; Germaniæ Regibus solet attribui: ex quo scilicet Germania perpetuam Imperii Romani administrandi potestatem consecuta est. Unus Alphonsus Catholicus dictus Hispaniæ Rex, anno millesimo centesimo trigesimo quinto, in Concilio Legione instituto, *Imperatoris nomen decerni sibi fecit, quod Arragonios Vascones Catalaunos Galliæ partem vectigales beneficiariosq; haberet.* Quam rem narrat præstantissimus Hispaniæ rerum scriptor *Joannes Mariana l. decimo c. 16.* Verùm ille nunquam *Augustus* nec ἁπλῶς nuncupatus est *Imperator* sed addito *Hispaniæ* vocabulo. Quod ipsum nec Mariana dissimulat scribens. *Extant D. Bernhardi literæ ad Sanctiam quam sororem vocat Imperatoris Hispaniæ, præcipua fœminam pietate virginemque. Extant etiam Petri Cluniacensis ad ipsum Pontificem Romanum Innocentium secundum literæ hoc initio. Imperator Hispanus, magnus Christi-*

Christiani populi Princeps, devotus Majestati vestræ filius. Omnes porro ejus successores, etsi longe majore fuerint potentia & terrarum amplitudine, hanc Alphonsi insolentem superbiam improbarunt: eoque, ut recte dicit Mariana, *inter Hispaniæ reges huic uni Imperatoris cognomen vulgò datur.*

Quin igitur Ludovico nostro nullum fuerit fas Imperatorium titulum usurpandi, idque quandoquidem non nisi defuncto Ludovico Lotharii filio in Romanum Imperium aliquid juris fuerit nactus, plusquam satis utique ex iis quæ jam tum diximus est manifestum.

Risu sane potius digna sunt quàm confutatione quæ Vindex adfert. *Imperatorem* scilicet jure potuisse dici Ludovicum, quia neminem habuit superiorem, & tam multa regna ac Principatus continuerit sua ditione. Ita enim omnes Reges, quibus lati sunt regni fines, & qui primi sunt inter suos, jure possint Imperatores dici: quasi etiam quisquam hactenus id feciſſet vel pòst fecerit. Sed & omnis Ludovici ditio unius Orientalis Franciæ limitibus atque adeo Rheno flumine claudebatur, quo tempore Diploma illud Cœnobiale creditur conditum; anno nempe demum septuagesimo Lotharingiæ regni accessit dimidium. Huic præterea Ludovico præ Carolo Calvo Imperii Romani vacui capessendi fuisse jus, verum quidem est: sed neutiquam inde sequitur, fas fuisse jam anno DCCCLXVII, vivo ac valente Lotharii filio Imperatore, atque adeo ante ejus obitum integro nono anno, involare in ejus dignitatem. Solere porro tunc temporis quem Cæsarem dici more Romani Imperii prisco, tanquam in spem certam successionis, figmentum est & putida fabula. Non excusaret quoque Ludovicum: utpote cum in Diplomate non *Cæsar* sed *Imperator Augustus* appelletur, quo titulo nec prisco ævo audiit quisquam nisi qui jam tum habenas Imperii Romani moderabatur.

Æque

Æque miserum est præsidium, quod ex Crantzii verbis, repetitis ex *l. 2. Metropolis c. 10* Vindex collocat. Illa ita sese habent. *Francorum historia ea gesta memorat in Francofordia anno Regis Ludovici XXXIV. Quem Annales antiqui Cæsarem vocant, non quod Romanum aliquando administrarit Imperium, sed quia in divisione limitum inter fratres hoc illi honoris gratia attributum est cognomen, quasi secundum à fratre Lothario Imperatore Augusto gereret dignitatem. Solebant enim aliquot seculis dici Cæsares, qui sub primis Augustis proximam tenerent administrationem. Nam Diocletianus commilitonem aliquando suum Herculeum Maximianum primò Cæsarem postea creavit Augustum.* Hæc quidem Crancius. Verumenimvero in nullis Annalibus antiquis Latine exaratis, quorum tamen haud exiguus numerus hodiè in manibus, *Cæsar* est cognominatus Ludovicus noster: sed à seculo usque undecimo apud paucos audiit Imperator, non ante tamen. De transactione porrò quæ instituta est anno DCCCXLIII Virduni inter fratres, & limitum divisione, varii scriptores narrant multa: quod hîc autem Crantzius habet apud neminem reperitur. Mera itaque est fabula, & neutiquam dignum, quod *bene notari* Vindex jubeat, commentum. Quamobrem verò nonnullis scriptoribus Ludovicus noster à seculo usque undecimo Imperator fuerit appellatus, id proximo capite docebitur. Non ergo etiam hoc loco examinabimus quæ *pag. 7* Vindex ex aliis quibusdam scriptoribus adducit testimonia, sed proximè.

Quæ ejusdem paginæ §. 4. adfert iterùm Vindex, competiisse Ludovico jus succedendi in vacuam Imperii possessionem, & injuriam illi factam esse à Papa Joanne Carolum Calvum admittente: illud ad rem nihil facere jam antè diximus. Nec enim fas esse, dignitatem & honores viventium invadere, in quorum res post obitum succedendi aliquod jus est, omnium ætatum gentiumque communi est lege constitutum. Viven-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [121] - 99

tium dies exſpectandus ſcilicet extremus, aut conſenſio accipienda. Quorum cum nihil fuerit Germanico noſtro Ludovico, ſumma injuria Imperatorium ille ſibi nomen, ſuperſtite adhuc Lotharii filio, aſſumpſiſſet.

Ubi obſervandum ſimul eſt, quàm fœdè ſibimet ipſi Hyperaſpiſta Cœnobiticus contradixerit. Hoc paragrapho enim jus Imperatorii tituli dum arceſſere conatur à ſucceſſionis proximo in Romanorum Imperium jure, utiq; agnoſcit nomine *Imperatoris* ſignificatum eſſe Romanorum Imperatorem: id quod factum eſſe, ſæpius antehac negaverat imo pernegaverat. Sed hæc eſt vis corrumpentis judicium & memoriam veritatis.

Quæ *pag. 8. §. 5.* adferuntur ab Hyperaſpiſta, ſive ejus Sociis, nihil planè faciunt ad vindicandum Ludovico noſtro Imperatorium nomen, ac proinde intempeſtivè ſunt allata. Prout omnia fere capitis illius primi arguunt trepidantis & veritatis vi turbati animi calamum, cunctis ὑστερογ πρότερογ ſparſis. Poſſemus itaque meritò & nos ab iis manus abſtinere: utpote cum nunc quidem hoc unice agamus, ut probetur, nullam fuiſſe juſtam Ludovico noſtro cauſſam Imperatorii nominis uſurpandi, idque contra Hyperaſpiſtas tueamur. Quod ſcilicet illo demonſtrato itidem fiat manifeſtum, Ludovicum noſtrum, Principem probum gravem & recti ſtudioſum, nunquam Imperatorem ſeſe vivo Lotharii filio venditaſſe. Et verò diſcuſſis Hyperaſpiſtarum inanibus vanis & ſibi mutuò adverſantibus commentis, jure merito etiam quintum noſtrum Argumentum jam firmum ſtat & inconcuſſum.

Quandoquidem tamen illa quæ *§. quinto* Hyperaſpiſta adjicit, integram quidem paginam occupant, non tamen niſi verba ſunt, & quavis pluma leviora, ne quidquam maneat indiſcuſſum, paucis hoc loco vanitatem illorum oſtendemus. Summa omnium hoc ſyllogiſmo comprehenditur.

Quicun-

Quicunq; constituit Advocatum Cœnobii is illo tempore gubernavit rempublicam. At non Ludovicus Lotharii filius sed Ludovicus Germanicus fatente Heidero constituit Advocatum. Ergo non Lotharii filius sed Germanicus illo tempore gubernavit rempublicam. Nos majorem propositionem veram esse agnoscimus. Advocatos enim cœnobiis dare Regia auctoritate, non nisi ejus est qui summa potestate pollet. Hoc ingeminare nulla necessitas coëgit Hyperaspistam. Fateor enim etiam ego, illam quæ incumbit Cœnobio Advocatiam unicè esse constitutam manu Regia sui temporis. Minorem autem propositionem quod attinet, ibi verò omnia hærent. Non enim Amplissimus Heiderus eo ipso, quo negavit Diploma cœnobiale esse ab Imperatore Ludovico Lotharii filio, affirmavit esse à Ludovico nostro Germanico Advocatum constitutum. Ne verbulo quidem se hoc velle indicavit. Etiam ego non video quî hoc possit probari. Enimvero non dubito, illam quæ hodieque supereſt Advocatiam esse constitutam Regia auctoritate: ast ab illo Ludovico Germanico ita esse constitutum, nihil hactenus video, quod credere me faciat. Diploma cœnobiale enim non est idoneum tale quid docere. Doctissimus Heiderus illius Diplomatis fidem primus omnium enervavit: Advocatiæ Regiæ jus, à quonamcunque tandem primo fluxerit, non vocavit in dubium. Illud autem solum asseruit, illius Diplomatis Cœnobialis auctoritate nihil quidquam esse institutum, quandoquidem à falsaria manu sit suppositum, neutiquam vero genuinum. Hoc ipsum vel pueri viderint, qui, ut ait ille, nondum ære lavantur. Cum non viderint ergo Hyperaspistæ ejusque adjutores, agnoscenda est divinæ vindictæ vis in eos qui veritatem longe manifestissimam, studio iniquæ partis, non attenderint; cum alioquin esse viros se doctos & perspicaces liquido satis suo libro ostenderint. Utut sanè concesserit Amplis. Heiderus,

Advocatiam cœnobii constitutam esse anno DCCCLXVI, quo tempore creditur Diploma conditum, non agnovit tamen fidem auctoritatemque Diplomatis controversi. Advocatiam esse Regia auctoritate constitutam certum est. A quo autem Regum id factum sit ignoratur, nec hactenus credimus huic quidem Diplomati. Si Cœnobium attulerit aliud, forte tandem primum auctorem poterimus nos scire.

Cæterum hisce etiam omnibus excussis, est utique jam manifestissimum id quod probare suscepimus, Ludovicum Germanicum nostrum nec fuisse nec audiisse, vel suo ævo vel etiam intra ducentos proximos annos, *Imperatorem*: ac proinde non esse ab illo conditum Cœnobiale diploma. Neutiquam tamen negamus, voces *imperare* aut *imperii* in monumentis rerum Ludovici non interdum fuisse usurpari solitas. Imò agnoscimus factum non semel, etiam in ipsis diplomatibus Regiis. Verum illud isthac ætate recepti fuisse moris, in Regum promiscue omnium actibus narrandis, infinitis licet exemplis ostendere: atque adeo iis vocabulis, nihil quod Ludovico nostro Germanico sigillatim fuerit proprium, aut aliquid Imperatorium significatur. Antiquâ scilicet & olim apud Latinos usitatâ significatione, vocabula illa etiam Romani soliti sunt accipere, iisque uti, etiam tunc cum *Imperatorem* appellare fas non erat omnem qui *imperaret* aut *imperium* aliquod exerceret: etsi Grammaticam originem vocis *Imperatoris* si spectes, merito is omnis qui *imperat* audire *imperator* possit. At verò vocabula ex usu significationem suam consequuntur non ex Grammatica etymologia: quo fit ut derivativa ab originariis perfrequenter significatione differant plurimum. Quæ etsi sint nemini paulò doctiori haud notissima, monere tamen hoc loco fortassis non est abs re, quandoquidem ipsi etiam Hyperaspistæ ab hujusmodi ineptiis haud dubitarunt malæ suæ causæ quærere patrocinium.

CAPUT

CAPUT VII.

A nonnullis ſcriptoribus Germanicum Ludovicum Pii filium Imperatorio cognomento eſſe quidem appellatum, ſed per errorem & demum à ſeculo usq; undecimo. In eodem errore autem hæſiſſe ipſum quoq; Diplomatis Cœnobialis fabricatorem; ac proinde illud aliquot demum poſt Ludovicum, cujus nomine ab impoſtore eſt promulgatum, ſeculis eſſe confictum.

QUinque invictis argumentis demonſtravimus, Ludovicum Pii filium nec fuiſſe nec audiiſſe Imperatorem, ſaltim quamdiu fuit in vivis Ludovicus Lotharii filius. Jam tum igitur luce eſt meridiana clarius, fruſtra eſſe effugium Hyperaſpiſtæ Cœnobialis, quaſi ſcilicet ille in Diplomate laudatus Ludovicus Imperator fuerit Pii filius. Poſſumus igitur meritò jam relinquere hanc arenam, omnibus Ludovicis Imperatoribus à Diplomatis iſtius impoſtura liberatis. Fortaſſis tamen adhuc dilucidiùs eſt exponendum, quî factum fuerit, ut ſcriptores nonnulli Germanicum Ludovicum in Imperatorum numerum retulerint, & quando illud fieri cœperit. Et vero urget etiam Hyperaſpiſta, id factum eſſe olim: credensque jure eſſe factum, hinc pallium quærit ſuo novo effugio. Nos igitur rem omnem exponemus; & quidem ita, ut non Hyperaſpiſtæ cauſsâ operam hanc ſubiiſſe (ipſe enim ille ignoravit ſpecioſam vim hujus novieffugii, parum verſatus in lectione antiquorum monumentorum) ſed veritati duntaxat & recti notitiæ unicè nos ſtuduiſſe, nemini non poſſit eſſe manifeſtum.

Adferemus igitur initiò quidem ab Hyperaſpiſta *pag. 7* laudata teſtimonia, deinceps noſtra. Sunt autem illius ſtudio

ſtudio congeſtorum nova alia, alia vetera. Poſterioris generis voluit eſſe Hyperaſpiſta, Schaffnaburgenſis verba anno 840, 845, 855, &c. Compilationem Chronologicam, inter Scriptores veteres German. Piſtorii, ſub anno 836. Urſpergenſem ab Heidero ex Stumphio allegatum Anno 841 & ſeqq. Prioris ordinis proul dubio eſſe credidit Munſterum *l. 3. Coſmograph.* & quem pag. 6 citaverat Cranzium *l. 2. Metropol.* Præter hæc pauca, ex omni illa à Ludovico uſque Germanico tempeſtate, produxit Hyperaſpiſta nihil. Vsque adeo illi heic domi fuit ſupellex curta. Nos ſingula quæque ſub examen advocabimus.

Igitur Scafnaburgenſis, inter eos qui reapſe ſunt veteres in hoc noſtro argumento teſtes, neutiquam admitti poteſt. Vixit enim plusquam ducentos poſt Germanicum Ludovicum noſtrum annos. Finem ſcil. hiſtoriæ ſuæ eſſe voluit annum poſt milleſimum ſeptuageſimum ſeptimum, ad electionem usque Rudolphi Anticæſaris. A quo tempore novam hiſtoriam ſcribendam, neutiquam fine Chronici ſui dixiſſet, ſi jam tum elapſus fuiſſet annus octogeſimus, Rudolpho divina ſcelerum ultione lethalis. Ille porrò Lambertus non profecto *Imperaterem* ſed duntaxat Regem agnovit Ludovicum noſtrum. Et vero anno DCCCXL hæc quidem ejus ſunt verba: *Ludovicus Imperator obiit, cui filius ejus Ludovicus ſucceſſit.* Aſt illis verbis non ſignificavit, Ludovicum patri Pio ſucceſſiſſe in dignitate Imperatoria. In actis rerum anni poſt octingenteſimum quadrageſimi quinti videtur Hyperaſpiſta legiſſe Lambertum, qualis eſt à Piſtorio editus, & primo Scriptorum Germanicorum tomo inſertus. Ita enim ibi ſcribitur: *Monachi Herveldenſis monaſterii reconciliati ſunt cum Othgario Archiepiſcopo de decimis frugum & porcorum ex terra Thuringorum, per fideles legatos domini Ludovici Auguſti, Epiſcopos videlicet & præſides.* At longe rectiùs habet ſeſe editio Lamberti

berti secundi, cui primæ tamen Lamberti nomen præfixum, cum præcedente editione liber fuerit anonymus. Vidit illa lucem Tubingæ anno 1533 cura Lutovichi Schradini, & hæc habet. *Monachi ejusdem Herosfeldensis monasterii reconciliati sunt cum Othgario Archiepiscopo, de decimis frugum & porcorum ex terra Thuringorum, per fideles legatos domini Lutovichi, Augustenses Episcopos videlicet & Præsides.* Usus nimirum fuit Ludovicus Rex Legatis ad componendam Moguntini Archiepiscopi cum monachis Herolsfeldensibus super decimis Thuringicis controversiam, Episcopo & Advocato Augustano. Ad annum 55 sic legitur in omnibus editionibus: *Lutovvichus REX cum magno exercitu perrexit contrà Ratzidum Regem Maruhensium.* Ut mirer ab Hyperaspista ad hunc quoque annum fuisse provocatum. Non favent autem illi anni etiam sequentes. Etenim Anno 855 legitur: *Ludovicus REX misit Ludovicum filium suum cum exercitu magno ad Abotritos.* Anno 864: *Ludovicus REX Ratzidum Regem Maruhensium sibi subegit.* Anno 875: *Ludovicus REX obiit, cui filius ejus Ludovicus successit.* Anno 876: *Ludovicus Rex filius LVDOVICI REGIS obiit.* Tantum itaque abest in Lamberto quidquam præsidii positum esse Hyperaspistæ, ut potius ille Imperatorium Ludovici cognomentum impugnaverit.

Multò minùs potest censeri vetus testimonium, quod tulit Auctor *Compilationis Historicæ.* Confectus enim ille liber est denique Friderico III imperante seculo quintodecimo, sexcentis ampliùs post Ludovicum Germanicum annis. Adhoc ea laborat ἀνισοχρονία liber, ut non possit in testimonium adduci contra vere prisci ævi perpetuam consonantiam. Enimvero ad annum 836 hæc quidem libro isthoc habentur: *Hujus temporibus Ludovici Imperatoris Othgarus Moguntinus Archiepiscopus transtulit ossa S. Severi in Erphordiam. Ludovicus filius Ludovici Imperium adeptus regnavit annos triginta.* Verum Pio

filius succeſſit demum anno 841: & *imperii* vocem latius hîc accipiendam indicat subſequens *regnavit*. Non negaverim tamen accipienda eſſe de Germanico illa paulò pòſt ſequentia: *Iisdem temporibus Imperator contulit Eccleſiæ Paderbornenſi ſuum S. Liborium.* Majorem verò longe culpam commiſit idem auctor ad annum 60 ſcribens: *Nicolaus Papa excommunicavit duos Imperatores, Orientalem nempe Michaelem, & Occidentalem, nomine Lotharium filium hujus Imperatoris Ludovici.* Non tangam Chronologicos nævos: notiſſimum eſt, illum Lotharium quem Nicolaus Papa excommunicare voluit non Imperatorem ſed Lotharingiæ duntaxat Regem, nec Ludovici Imperatoris filium ſed fratrem filium autem Lotharii Imperatoris fuiſſe. Æque inepta ſunt illa: *Arnolpho Imperatore mortuo Ludovicus filius ejus ſucceſſit ei in Imperatore.* Item: *Anno Domini 917 Ludovicus Imperator obiit & ſucceſſit ei in Imperio Conradus & regnavit annis ſeptem.* Adverſantur hæc omnibus priſci ævi monumentis, nec poſſunt legi ſine opprobrio imperitiæ.

In Urſpergenſe ad partes ſuas tuendas citando paulum fuit felicior Hyperaſpiſta. Et tamen aliena demum fide in eo utitur. Quod arguit neſcio quam ſupinam negligentiam. Vixit autem Conradus ille Urſpergenſis Abbas ſeculo decimo tertio Chriſtiano, annis propemodum quadringentis poſt noſtrum Ludovicum; ac proinde non eſt annumerandus Ludoviciani ævi rerum idoneis teſtibus, multò minùs dignus qui eorum conſenſui poſſit opponi.

Munſterum porrò conſtat ante hoſce demum annos centum floruiſſe. Ille autem *l. 3. Coſmographiæ cap. 19* de Lothario Pii filio agens diſerte fatetur, inter filios Pii tres patrimonio omni diviſo, conſtitutum eſſe, ut Ludovicus ſit REX Germaniæ & paucarum ultra Rhenum urbium. Adeo tamen in rebus hujus ævi ceſpitavit, ut retulerit, Ludovicum II

Impera-

Imperatorem Lotharii filium obiisse anno 874 superstitibus tribus filiis Ludovico, Carolomanno, Pipino, & Carolo Crasso, filiaque Hildegarde: cum tamen constet improlem obiisse Ludovicum illum Lotharii filium, & liberos quos nominavit fuisse genitos Ludovico quem ipsemet paulò ante dixerat Germaniæ Regem. Ejusdem *libri 3. cap. 72.* de Tigurino agens monasterio à Ludovico Germanico instituto, appellat fateor Munsterus trinis vicibus nostrum Ludovicum Imperatorio cognomento, simul tamen etiam Regio. Sed & refellitur statim ipso Ludovici illius Diplomate adquod ibi provocat. Attulimus enim illud nos jam tum supra *pag. 55*, nullo apparente Imperatorio sed solo Regio titulo.

De Crantzii commentis jam tum præcedente egimus capite: nolumus igitur iis verbum nunc addere. Paulò autem pòst indicabitur errandi fingendique occasio.

AT VERO hæc demum sunt quæ Hyperaspista attulit pro Imperatoria dignitate etiam Ludovico nostro Germanico asserenda. Levia profecto omnia, primum etiam plane ipsimet repugnans. Quo unicuivis autem liqueat nostrum veri studium, plura ipsimet nos & spciosiora ultrò in medium adferemus. Fatemur scilicet, jam à seculo usque Christi undecimo, ducentis scilicet post Ludovicum annis, nonnullos scriptores subinde hac in re hallucinatos, & Imperatorio cognomento illum, contra usum perpetuum & constantem duorum præcedentium seculorum, decorasse.

Nonnullos ajo: nec enim omnes hîc impegerunt. Quod enim seculum Christi undecimum attinet: vixit seculo isthoc Lambertus Schafnaburgensis, sed recte gessit sese: ceu modò contrà Hyperaspistam demonstravimus. Vixit tum & Sigibertus Gemblacensis. Ille vero ita scribit: *Anno 845 Ludovicus REX Germaniæ Abotritos à se deficere molientes bello perdomuit.*

Anno 848 Rabanus Abbas Fuldenſis ordinatus Moguntiæ Archiepiſcopus celebrata ſynodo Moguntiæ, juſſu Ludovici REGIS, multa utilia decrevit. Anno 859 Ludovicus REX Germaniæ plurima prælia contra Slavos ſtrenuè geſſit. Anno 865 Rex Bulgarorum acceptis à REGE Ludovico ſubſidiis in fide ſolidatur. Anno 871 Carolus Rex Francorum defuncto fratruele ſuo Lothario, dum Lotharingiam ſolus uſurpare nititur, per moderantiam & induſtriam Ludovici fratris ſui GERMANORVM REGIS ad hoc attractus eſt, ut æqualiter inter ſe regnum fratruelis dividerent. Ab exercitu Ludovici GERMANICI vario eventu bella contra Slavos geruntur. Anno 873 Carolus Ludovici Germanorum REGIS filius à dæmonio graviter vexatur. Anno 874 Normanni à regno Ludovici Germanorum REGIS tributum exigentes vincuntur. Anno 875 Ludovico REGI Germanorum apparuit in ſomnis genitor ſuus. Anno 877 Ludovicus REGNANS in Germania moritur. Eodem undecimo ſeculo Hermannus Contractus ſcripſit ad annum 876: *Ludovicus REX Germaniæ obiit V. Kalend. Septembr.* Idem jam tum dixerat: *Ludovicus Germaniam Lotharius cum Imperatorio nomine Italiam Carolus Galliam, regnum dividentes accipiunt.* Ejusdem tempeſtatis fuit Hepidannus Cœnobita S. Galli, cujus breves Annales Tomo 1 Scriptorum rerum Alemannicarum inſeruit Goldaſtus. Ille ita annotavit: *DCCCLXXVI Ludovicus Pius REX Germaniæ obiit.* Ne quidem Marianus Scotus, monachus ejusdem ſeculi Fuldenſis, etſi graviter impegerit circa Lotharii Imperatoris filium Ludovicum Imperatorem ejusque fratrem Lotharium, hiſce duobus in unum quaſi conflatis, lapſus eſt in Ludovici noſtri rebus. Rectè enim ad 842: *Tres fratres Lotharius Carolus & Ludovicus regnum Francorum inter ſe diviſerunt. Carolus occidentem à Britannico Oceano uſq; ad Moſam fluvium obtinuit: Ludovicus Orientem, id eſt omnem Germaniam uſq; ad Rheni fluenta, & nonnullas civitates trans Rhenum cum adjacentibus pagis ob copiam vini. Lotharius verò primogenitus &*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [130] - 108

tus & Imperator medium inter utrosq; regnum tenuit, totamq; Provinciam & omnia regna Italiæ cum ipsa Roma obtinuit. Idem ad annum 855 *Eo anno Ludovicus REX cum magno exercitu perrexit contra Ratzidum regem Marahensium.* Item *Anno 875 Carolus Romam perveniens, datis Joanni Papæ magnis muneribus Imperator factus est. Ludovicus autem frater Caroli apud Francofurt palatium obiit 5. Kal. Septembr. & sepultus in monasterio S. Nazarii Larissan.* Ex quibus manifestum est, saltim celeberrimos seculi illius Vndecimi Chronographos eodem locutos modo, quem prioribus duobus seculis integris fuisse in usu, proximo capite adstruximus, h. e. non nisi Regio cognomento Ludovicum nostrum appellasse.

Isthoc ipso tamen jam seculo non defuisse, in hac quidem Saxonia, qui aliter sint locuti, manifestum est ex Adami Bremensis, quem constat Henrico quarto Imperante floruisse, Ecclesiastica historia. Recte enim quidem & ille c. 22. memorat, pacto inter filios tres Ludovici Pii inito, Ludovico regendum obtigisse *Rhenum cum Germaniâ*; capite tamen 24 ita scribit: *Tunc Ludovicus Pius CAESAR inclytus Hammaburgensis Ecclesiæ desolationem miseratus venerabili Ansgario contulit Bremensem Episcopatum.* Mox etiam nescio quem librum tertium donationum laudans testem, ait: *Anno Ludewvici secundi nono dominum Ansgarium ab Aldrico clerico & Comite Reginbaldo Legatis CAESARIS ductum in Episcopatum.* Cap. 27. hæc leguntur: *Interea quæstio magna surrexit in regno Francorum de Bremensi Episcopatu ad invidiam B. Ansgarii conflata. Ea contentio diu per regnum gravi & ancipite dissensione profligata, multis partium studiis collidebatur. Tandem Orthodoxus CAESAR Ludewvicus, compositis hinc inde contradicentium voluntatibus, præcipue Guntharii Coloniensis Archiepiscopi, cujus suffraganea prius erat Brema, super his Romam nuncios ad sanctissimum Papam direxit Nicolaum.* Idem cap. 32 agens de Remberto Anscharii successore

ceſſore ſcribit: *Cæterum vita ejus à fratribus ejusdem cœnobii ad noſtros data, quis fuerit & qualiter vixerit, breviter & dilucidè comprehendit. Mox, inquit, ut electus eſt, à Theodorico Mindenſi Epiſcopo & Adalgario Corbeienſi Abbate juſſu CAESARIS ductus eſt Moguntiam &c. Pallium Pontificale ſuſcepit à Papa Nicolao, Ferulam paſtoralem à CAESARE Lutbevvico.* Cap. 34. ait: *Anno domini Rimberti XII, Luthevvicus Pius CAESAR magnus obiit. Ipſe Boëmannos, Sorabos, Suſos, & cæteros Slavorum populos, ita perdomuit, ut tributarios efficeret. Nordmannos autem fœderibus & bellis compreſſos eo modo retinuit, ut cum Franciam totam vaſtaverint, regno ejus vel minimùm nocuerint. Poſt mortem verò IMPERATORIS effera barbaries laxis regnabat habenis.* Non multò pòſt: *Luthovvicus IMPERATOR cum paganis dimicans victor extitit, & paulo pòſt obiit.* Omnia hæc habet Adamus. Quæ de Ludovico Pii filio eſſe dicta; liquidum eſt ex hiſtoriâ vitæ Anſcharii, quam poſt editionem Colonienſem magna cura edidit ſuoque *libro primo Hamburgenſium rerum* addidit, vir longe Clariſſimus ac varia egregiè doctus Petrus Lambecius. Ultima tamen non poſſunt niſi ad Ludovicum Germanici filium Pii nepotem pertinere: quoniam ipſemet Adamus illa diſcernit ab iis quæ contigerunt vivo Ludovico iſto Cæſare, quem dixerat anno XII Rimberti defunctum. Etiam verò *cap. 36.* Ludovicus noſter Germanicus *Cæſaris* nomine appellatur. Vt proinde ultrò fateamur, hoc ita ab Adamo eſſe factum. Habuiſſe vero illum quenquam præeuntem, non affirmaverim. Utique enim quæ adfert habentur partim in vitis Anſcharii & Remberti, partim in Francorum Annalibus. Qui libri etiamnum ſunt in manibus, non niſi Regio titulo Germanicum Ludovicum noſtrum proſequuti. Quæ ex capite 26 adduximus ſumpta ſunt ex Nicolai I Papæ Bulla, quæ itidem hodiè eſt ſuperſtes. Nos partem illius protulimus *cap. III pag. 15.* Nusquam vero etiam ibi alius quam Regius

titulus

titulus comparet. Solet Adamus in testem laudare nonnunquam librum aliquem *de Cæsaribus*. Ast de illo nullam in partem quidquam possumus adfirmare, quoniam nudum nomen est reliquum. Fortassis tamen auctor illus libri virum decepit, non satis in hujus ævi rebus justa cura versatus. Ipsemet Adamus frequenter ab illo Regio cognomento non abstinet. Ne enim nunc repetam illud, quod *cap. XXIII* diserte fuisset professus Ludevico non nisi Rhenum cum Germania datum regendum pacto inter fratres inito. *Cap. 25* donatum Ansgario Episcopatum Bremensem appellat *Regalis munificentia donum*. *Cap 36.* scribit, à Remberto filium *Regis* à dæmonio liberatum; illum vero esse Regis Ludovici filium Carolumconstat. *cap.39* ex vita Remberti hæc adfert: *Cum jam senio gravaretur Sanctus Rembertus, etiam continuus ei pedum dolor accessit. Inde apud glorioſissimos reges Luthovvicum & filios ejus hoc obtinuit &c.* Quæ verba loquuntur de Ludovico nostro Germanico. Sed & illa quæ narrat *c.34*, de Ludovico Imperatore cum paganis dimicante victore & paulò pòst defuncto, Ludovvico item Franciæ rege qui victor & victus occubuit, repugnant historiæ illius ævi. Liquidò etiam falsum est, quod habet *cap.31:* S. Rembertum historiam vitæ Anscharii ad fratres cœnobii Novæ Corbeiæ direxisse, est enim utique liber ille scriptus ad monachos Corbeiæ veteris, quos passim alloquitur. Quam etiam est alienum à vero *capitis quadrageſimi tertii* illud, *Anno Hogeri II Luthevvicus puer depoſitus eſt?* Quæ significo, uti hisce exemplis appareat, bonum Adamum accurati historici laudem non mereri: locupletem nempe testem esse rerum sui ævi, non autem vetustioris, idque ex imperitia.

Cæterum quidnam potissimum, me quidem judice, errare hîc fecerit Adamum, paulò post significabo: nunc non possum non saltim obiter monere, ab uno illo Crantzium impulsum, ad illa quæ proximo capite confutavimus commi-

niscenda.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [133] - 111

niſcenda. Magni nimirum fecit Crantzius Adamum, atque eapropter illius plæraque in libros ſuos tranſtulit. Inveniens igitur Cæſaris cognomento Ludovicum ſæpius ab Adamo appellatum, idq; ſine cauſſa non eſſe factum arbitratus, ad illas ſuas hariolationes adactus eſt. Debuiſſet autem obſervare Crantzius, non ſolo *Cæſaris* ſed etiam *Imperatoris* cognomento *cap. 34.* uſum fuiſſe Adamum, nec de Ludovico Pii filio duntaxat ſed etiam ejus ex Ludovico nepote. Quo ipſo concidit Crantzianum omne commentum de titulo Cæſareo & uni quidem Pii filio attributo, ob certum ac proximum jus Imperatoriæ ſucceſſionis. Et verò quilibet futurus proxime Imperatoris ſucceſſor olim, more jam tum primo Chriſtiano ſeculo introducto, in Cæſareum nomen fuit adoptatus: neutiquam tamen ad titulum Imperatoris admiſſus. Verùm hoc quaſi in tranſitu: quandoquidem ab Adamo præcipuè Crantzius deceptus fuit.

Eodem autem quo Adamus in luto hæſit, & fortaſſis ab ipſo illo Adamo fuit ſeductus, Corbeienſis monachus Waldo: qui eadem plane tempeſtate Adalberto Archiepiſcopo Bremenſi inſcripſit *Vitam S. Anſcharii* ſic ſatis rudi verſu deformatam: quemque primus in lucem protraxit Lambecius V.C. ſuo *libro primo Originum Hamburgenſium* addens. Capite enim XLV ſcribit

Ergo Bremenſis
Eccleſiæ ſedem Cæſar rectore carentem
Auxit Pontifici. Capite LVII
Miſſus ab Auguſto Præſul Salomo Ludovico
Cap. 48 *filius alter*
Auguſti Carolus Ludovici

Cap. LII *Hoc ita propoſito rem Cæſaris auribus ambo Inſinuant.*

Vetum idem Waldo longè frequentiùs Regio cognomento Germanicum noſtrum Ludovicum exornat. Ut facile appareat

parent ipsi visum utramque appellationem Ludovico convenire. Cujus causam pòst adferemus.

In Scholiis porro, quæ in Adami librum anonymus quispiam scripsit, legitur: *Concilium unionis factum est VVormatiæ præsente Cæsare cum Episcopis, sicut privilegium testatur.* Loquitur ille de Hamburgensis ac Bremensis Ecclesiæ unione. Extat autem hodieque de conjunctione illa diploma Nicolai I Papæ: sed, ceu jam ante diximus, non Cæsari ibi sed Rex audit Ludovicus. Concilium item Wormatiæ habitum anno 861 memorant quidem & Annales Francorum qui appellantur: sed Ludovicum agnoscunt Regem non Cæsarem. Pertinere alioquin Scholiastem hunc ad seculum undecimum, Adamo si non coævum saltim non multò posteriorem, fateor. Et vero Notæ 13. 16. 26. 63. 76. significant, floruisse tum adhuc potentiam Slavicarum gentium trans Albim: quam constat seculo duodecimo armis fractam concidisse. Notæ item 91 92. 93 indicant, tum temporis sacra paganica in Sueonibus adhuc prævaluisse: quæ itidem proximo seculo tota evanuerunt. Quin imo Notæ 62 63 & 69 videntur innuere, à Scholiasta visum auditumque ipsum Adalbertum Archiepiscopum: à juvene scilicet jam tum senem. Cæterùm quæ causa & huic Scholiastæ Cæsarium expresserit titulum, itidem mox apparebit: quia est omnibus communis.

Si Goldasto credimus, tribus hisce Saxonicis quartus ex Alamannia annumerandus fuerit, qui Ludovico Germanico Cæsaream dignitatem jam seculo undecimo adscripserit. Ita enim Goldastus loquitur Replicationis pro Imperio cap. 26. pag. 170. *Quin etiam vetustos auctores habeo, qui eum* (Ludovicum Germanicum) *in catalogo legitimorum Imperatorum ponere non dubitaverunt. In quibus est Abbas Svvartzahevsis, qui sub Henrico IV Imperatore vixit, in Chronico scribens: Anno dominicæ incarnationis DCCCXLI ab Vrbe condita MDXCII Ludo-*

vicus ſuperioris Ludovici filius LXXV loco ab Auguſto regnare cæpit, & XXXVI annis regnavit. Chronicon hoc, quod equidem ſciam, hactenus non prodiit in lucem: niſi fallor tamen vidi illud manuſcriptum in Bibliotheca Auguſta. Auctor utrum vixerit ætate Henrici IV Imperatoris, non auſim hodie certò aſſeverare vel negare. Tantum non omnia autem illius Chronici in ſuum tranſtulit Conradus Urſpergenſis Abbas tertio decimo ſeculo; ac proinde hinc accepit ſuum illum tunc cuſum Imperatorem, quem jam tum perſtrinximus. Et vero eſt omnino craſſum & intolerandum crimen, privare Lotharium Pii filium Imperatoria dignitate, & hanc Ludovico attribuere, contra fidem omnium veterum monumentorum. Indubie tamen etiam hunc Abbatem errare fecit, quod & alios deduxit à vero, paulo pòſt indicandum.

Quantumvis autem ſeculo undecimo jam pronus eſſe lapſus cæperit, præter hoſce quatuor tamen novi equidem neminem, qui iſthac tempeſtate ad hunc lapidem impegerit. Fateor verò, poſt illa, etſi etiam tum doctiores quique (qualis eſt Otto Friſingenſis) in Chronicis ſuis recte ſe geſſerint, ſolito plures ſibi minus caviſſe; quod à Vindice Cœnobitico tamen non fuit animadverſum. Poſſit videri inter illos eſſe Gotfridus etiam Viterbienſis. Ita enim ille ſcribit Chronici parte XVI pag. 463 edition. Piſtorianæ. *Carolus rex Galliæ, audita morte Lotharii, regnum ejus, ſcilicet Lotharingiam, invadit. Adhæc Imperator Ludovicus ipſum regnum Lotharingiæ cum Carolo patruo ſuo, habita inter ſe pactione diviſit. Ita tamen quod Ludovicus Imperator Aquisgrani palatium cum ſua portione haberet.* Quia ſcilicet Ludovicus noſter cum fratre Carolo Lotharingiam diviſit & Aquisgranum pacto illo huic ceſſit, non autem Ludovicus in Italia Imperatorem agens venit in diviſionis partem. Imperatorem itaque hoc loco dictum Ludovicum noſtrum. Aſt vero hactenus quidem ille extra culpam eſt. Diligenter

ligenter enim satis uni Lothario ejusque filio Cæsaream dignitatem assignat: & nostrum Ludovicum Regio duntaxat cognomento exornat. In eo autem lapsus est, quod narraverit, divisisse Lotharingiam cum patruo suo Carolo Ludovicum verum Imperatorem Lotharii filium: cum tamen partitio ista facta fuerit inter duos fratres, utrumque Imperatoris patruum, & quidem hoc invito: id quod ex monumentis illius ævi notissimum est.

Non omni autem fortè ex parte sibi cavere hîc potuit Helmoldus, præclarus cæteroquin Slavicarum rerum scriptor. *Libro enim 1 Chronici Slavorum c. 5* scribit: *Pontifex Anscharius Cæsaris legatione functus regem Danorum frequenter adiit.* Videtur sane Adamum secutus Cæsaris nomine appellasse nostrum Ludovicum. Fortassis tamen Pium intellexit: utpote cujus legatione itidem functus ad Danos fuerit Anscharius. Diserte enim ita loquitur cap. VII: *Noster Ludovicus, Rex scilicet Germaniæ, Nortmannos sive præliis sive fœderibus hoc modo retinuit, ut cum Franciam totam vastaverint, regno ejus vel minime nocuerint.* Idem porro Helmoldus nostrum quidem appellat Ludovicum secundum *cap. VI*, sed bonum in sensum id flexit ipse Baronius, ad annum 875 n. 2 scribens. *Quæ autem sub Ludovico secundo de conversione Slavorum narrat Helmoldus, nullo certo apposito anno, hîc in fine sunt describenda. Sed fortasse dum ipse Ludovicum secundum nominat non Imperatorem intelligere voluit sed Regem Germaniæ Ludovicum Caroli Crassi fratrem.* Voluit indubie debuitque scribere Baronius *Caroli Calvi fratrem.* Adduxit autem verba illa Baronii pag. 7. etiam Hyperaspistes, ut probet Ludovicum nostrum etiam aliquibus audire *Secundum*. Quasi hoc aliquatenus fecerit pro Cæsareo Ludovici titulo. Sed ad tam inepta & misera præsidia conquirenda vir ille adductus est vi adversantis sibi veritatis,

Quamvis autem Helmoldum forte excusaveris, ejus tamen σύγχρονον, & in Saxonia hac vicinum, Albertum Stadensem Abbatem excusare ab ἀνιστορησίας culpa non possumus. Decepit vero etiam hunc non nisi unus Bremensis Adamus: hujus enim verbis omnibus utitur in historia anni DCCCXLI, XLV, LVIII, LXV & LXXVII. Ut solet varia sequi vibiam. Quamobrem justè in Albertum hunc *pag 19* animadvertit, peritissimus talium & primus Chronici Albertini editor, Reinerus Reineccius.

Sequiore porrò omni ævo non defuerunt subinde, fateor, qui hac parte aberraverint. Sed non est quare iis numerandis hîc tempus teramus: quandoquidem eorum nonnulli usque sese adeo turpiter hoc in loco gesserint, ut eorum verba adducere pudeat ac tædeat. Instar omnium potest esse Auctor *Historiæ de Landgraviis Thuringiæ*, à Pistorio Tomo 1 Scriptorum Rerum Germanicarum productus in lucem. *Cap. VI & pag. 911* hæc ejus sunt verba. *Post Carolum, qui dicebatur Magnus propter magnifica facta, rexit Alemanniam unus de filiis Caroli, scilicet Lotharius: post Lotharium frater suus & Imperator: post Ludovicum filius suus Lotharius & Imperator, qui consummavit monasterium Homburg, & factus monachus ibidem Imperium resignavit. Post Lotharium rexit Ludovicus filius ejus & Imperator. Post Ludovicum Carolus frater ejusdem Ludovici rexit, & Imperator factus, volens filios fratris sui Ludovici relictos exhæreditare, & Regna solus habere & terras: sed frustratus est in proposito. Et multis bellis habitis, voluntarie dimisit filiis fratris totam Alemanniam. Qui tres fratres dividentes Alemanniam. Nam primus scilicet Carlomannus in sortem accepit terras Bavariæ, Sueviæ, Austriæ, Pannoniæ, Karinthiæ, Bohemiæ, Moraviæ, & cæteras regiones circa Danubium, & nominabatur Rex Danubii vel Alemanniæ superioris. Secundus frater scilicet Carolus accepit in sortem totum Rhenum & cæteras regiones circum jacentes, & nominabatur rex*

rex Teutoniæ. Tertius frater scilicet Ludovicus accepit in sortem, Thuringiam, Franconiam, Myſnam, Haſsiam, Saxoniam, Marchiam, Sclaviam, Friſiam, cæteras q; regiones circa Albiam, & nominabatur rex Albiæ & Thuringiæ. Et posuit ſedem regni ſui in Thuringia in caſtro quod Jecheburg nominatur, & capellam in honorem beatæ virginis Mariæ, quæ adhuc manet caſtro deſtructo.

Hujuſmodi nugas & deliria reperias paſſim apud eos, qui ex Rege Ludovico Imperatorem fabricaverunt. Et tamen (fateor) ne quidem ſuperiore ſeculo, quando jam vetera & fide digna monumenta fuerunt, tanquam ex orco, in lucem reducta, viri quidam eximii rectius ſibi conſuluerunt. De Cranzio & Munſtero jam diximus. Aubertus Miræus qui in tabulis veteris ævi utilem operam poſuit, *Codice Donation. piarum cap. 23* cum attuliſſet Ludovici Germaniæ Regis Diploma, quo Theoderico Comiti donat Wasdam, annotat: *Illud Ludovvici diploma mihi ſuſpectum eſt, quod ipſi titulus Auguſti aut Imperatoris non tribuatur.* In quæ verba recte animadvertit proinde Mallinckrothus *l. de Archicancellariis & Cancellariis S. R. Imperii pag. 26.* Henricus Bangertus vir doctus in *Commentario ad Helmoldi l. 1. Chron. c. V* ad verba illa: *Ludovicus cui Germaniam ceſsiſſe ſupradictum eſt, defectum Hamburgenſis Eccleſiæ taliter reſarcire ſtuduit*: ſcribit *Ludovicus Imperator* &c. Mageri *l. de Advocatia Armata cap. V. n. 414* hæc verba ſunt: *Ludovicus II Imperator Caroli Magni nepos, ſanctimonialium Monaſterium quod Tiguri condiderat, in ſuam defenſionem ſuſcepit.* Bruſchium ejusdem erroris inſimulare non audeo. Etſi enim ille in opere de monaſteriis p. 74. ſcribat, Eremitarum cœnobium anno Chriſti 860 cæpiſſe *temporibus Ludovici ſecundi Rom. Imperatoris non procul à Tiguro*, fortaſſis tamen intellectum voluit Lotharii filium, qui reapſe tum egit Romanorum Imperatorem, etſi in illa Alemanniæ loca nihil habuerit juris, ſecus quàm Bruſchio fuit perſuaſum. Nolo tempus perdere in aliorum culpis notandis.

ANTE verò quam occasionem diu adeo hic alibi vagantis erroris persequar, non possum non monere, ipsummet quoque fabricatorem Cœnobialis Diplomatis eo fuisse infectum. Nomine enim utique Ludovici Imperatoris condidit ille diploma illud suum, & tamen annum Imperii vicesimum sextum retulit in Dominicum annum octingentesimum sexagesimum sextum. Id quod unicè quadrat Ludovici nostri Germanici rebus. In Antiquitatum sane Fuldensium libris passim complures reperiuntur tabulæ à Notariis ævi illius confectæ, adjuncta collatione Ludovici nostri annorum Regni in Orientali Francia cum annis Dominicis. Semper autem ita illi anni comparantur, ut liquidò appareat, Ludovicum numerasse regni illius sui Orientalis Franciæ annos, initio facto ab anno 841, quod præcedente anno vacuum illud regnum sibi fecisset mors Pii patris. Cum constanter autem hic computus fuerit in publicis instrumentis, à Notariis publica auctoritate constitutis, observatus usque ad extrema Ludovici nostri, liquidum est, quantum equidem arbitror, & per Germaniam passim fuisse illum calculum receptum, & non diversam ab ipsomet Ludovico Rege annorum rationem fuisse observatam. Quapropter nihil caussæ arbitror esse, quare Hyperaspista anxie adeo super ratione annorum Ludovici sese in *responsione ad caput V* maceraverit, aut cur aliorũ divinationes ego nunc examinem.

Ab eo qui Diplomati subscripsit annum Dominicum, planè eandem esse rationem observatam annorum Ludovici & Domini, quam in Tabulis conficiendis Notarii olim observaverunt, manifestum est. Tantum possit fortè dubitari, num id fecerit ipsemet Diplomatis fabricator, an alius quispiam. Idque quandoquidem Hyperaspista ambiguum id reddiderit. Verum enimvero solere interdum aliena manu aliquid adjici Diplomatibus, non equidem negaverim.

rim. Etiam annos Dominicos Diplomatibus quibusdam antiquioribus esse longè post demum ab imperitis adscriptos, concedo. Quamvis tamen non temerè assenserim Wigulejo Hundio, factum illud frequenter adeò in Diplomatibus Cœnobii Heimerami Ratisponensis: quoniam illorum nonnulla etiam aliis multis nominibus meritò suspecta sunt. At verò ad subscriptionem Diplomatis Cœnobialis itidem accessisse manum alienam aut recentiorem, non profectò illa evincunt quæ attulit Hyperaspista. Jam tum *capite V pag. 70* illorum infirmam vim expendimus. Prodeat in conspectum prudentis alicujus & circa antiquarum tabularum censuram exercitati judicis Diploma Lindaviense: tum demum liquidò pronunciari poterit, scriptio isthæc quæ annos Domini designavit recentior sit Diplomate ipso an non. Nec enim illi sunt Hyperaspistæ, quibus cum tutò in tenebris mices. Nullo argumento probari temere poterit (scio) alienæ manus accessio. Hactenus sane probata non est. Ac proinde nihil impedit, quo minus existimemus, ab alia manu annos Dominicos non adscriptos esse. Age vero: esto factum. Certum interim est, annum Domini octingentesimum sexagesimum sextum, esse Ludovici Germanici vicesimum sextum, ac proinde nihil hactenus subesse erroris. Nec vero saltim Hyperaspistæ audebunt dubitare, quin anni *illi imperii Ludovici* nullius sint alterius quàm solius nostri Germanici.

HÆC igitur quidem jam sunt quasi constituta & rata. Agemus tandem nos quod promisimus: atque adeo indicabimus, quæ causa vel occasio cæperit nonnullos inducere in illum de Imperatoria vel Cæsarea nostri Ludovici Regis dignitate errorem. Ut autem hoc ipsum à nobis clarâ in luce exponatur, *initio* in memoriam revocandum est id quod jam præcedente capite adstruximus, seculo demum undecimo, h. e. post annum millesimum, ita nonnullos cæpisse loqui:

non

non ab ipso Ludovico, non à quoquam seculi illius & noni & decimi, præter Regium titulum, fuisse aliis Ludovicis quam Pio & Lotharii filio Cæsarium attributum. *Secundo* etiam habendum quasi certum, id quod libro *De Germanorum Imperio Romano c. XII* probavimus, seculo demum undecimo Germaniam nostram Imperii Romani titulo cœpisse usurpari. Certùm *Tertio* est, æterno cum Ottone Magno aut saltim cum ejus nepote Ottone III, Romæ inito pacto, quos Germania reges habet, illis Imperatorum Romanorum jura competere, & jam tum à seculo usque undecimo Germaniæ Reges Cæsarum titulo in vulgo ipso audire.

Illa itaque jam tempestate, ab iis qui rerum veterum minus gnari, eos etiam qui olim Germaniam rexerant Cæsares dictos more suo ævi, mihi sane pridem verosimile fuit visum. Et verò is qui forte omnium primus ex Rege nostro Ludovico fecit Cæsarem atque Imperatorem Adamus Bremensis, primus etiam sui jam ævi morem, de Germania Imperii Romani nomine appellanda, nobis prodidit: dum *l. 1. c. 8.* ait: *Teutonum populi, apud quos nunc & summa Imperii Romani & divini cultus reverentia viget. Cap. 35.* scribit: *Nordmanni plagam quam in Frisia receperunt, in totum Imperium ulcisci &c.* Accessit scilicet ad veteris ævi rerũ insciti am consuetudo suâ ætate jam recepta. Ideoq; soli illi sibi caverunt, quibus aut justa veteris ævi fuit peritia, aut apud quos mos ille non perinde invaluit. Et vero *confirmat* meam suspicionem, sive conjecturam, illud quoque, quod errorem istum de Imperatore Ludovico Germanico nostro, soli nonnulli Germanici scriptores erraverint: non Italorum, non Gallorum, non Britannorum, non denique aliarum gentium, apud quas Imperium pro Germania & Cæsar pro Rege non audierunt ut nec Germanorum ante seculum undecimum quispiam, isthac ratione impegerit.

Quicquid hujus autem sit, jam tum constat, *primò* errorem

rem esse commissum ab omnibus iis qui Imperatorio cognomento Ludovicum nostrum appellavere. Non enim illud esse consentaneum vel Ludovici illius vel totius seculi noni consuetudini.

Constat *Secundò* errorem illum ducentis amplius post Ludovicum annis incæpisse: & quidem apud pauciores.

Quandoquidem verò ille error commissus etiam est ab auctore Diplomatis, consequens fit, Diploma illud minimum ducentis annis esse Ludovico illo cujus nomen refert recentius. Imo verò cum scriptores Alemannicos seriùs hic error vulgò infecerit, & quidem cum primis demum circa initia seculi tertii decimi, saltim per est verosimile tum etiam denique Diploma hoc, in Bodamico lacu, ab aliquo impostore itidem errore isthoc imbuto, esse conditum. Atque adeo tantum abest, in Ludovico Germanico aliquid præsidii esse Diplomati collocatum, ut potiùs illi perpetuò tributum Imperatorium nomen etiam tempus ipsum commissi criminis falsi liquidò prodiderit.

CAPUT IIX.

Præterquam quod non Germanici sed Pii Ludovici, atq; adeo alieno Sigillo & Manus signo, Diplomati Lindavienſi ſit ſubſcriptum, falsò referre illud, ſe conditum anno Ludovici Germanici viceſimo ſexto, aut Dominico octingenteſimo ſexageſimo ſexto, oſtenditur certiſſimis indiciis. Quoniam ſcilicet illo anno, Comes Palatii non Adalbertus ſed Ansfridus: Archicapellanus non Hugo ſed VVigarius: hujus vicarius non Hirminritus ſed Albertus Subdiaconus: nec Bodami Ludovicus verſatus: Indictio item non ſecunda ſed quarta decima, fuerit.

ASſenſi ſumus Hyperaſpiſtis Cœnobii, ipſi Diplomatis fabricatori placuiſſe, ut Ludovicus Germanicus ejus conditor crederetur, & Imperatorium titulum huic etiam noſtro Germanico olim competiiſſe. Jam tum verò etiam demonſtravimus, Ludovicum iſtum nec fuiſſe nec audiiſſe Imperatorem; ſed à ſeculo demum usque undecimo per errorem id nonnullos ſibi perſuaſiſſe, ac proinde & Diplomatis fabricam aliquot ſeculis Ludovico illo eſſe recentiorem. Liquidum quoque jam fecimus, alieno ſigillo & monogrammo, utroque nempe Ludovici Pii Imperatoris, Diploma cœnobiale, quod à filio falſarius voluit profectum, eſſe obſignatum & quaſi confirmatum. Monuimus etiam, nonnulla ejus Diplomatis usque adeo eſſe anno viceſimo ſexto Ludovici Pii attemperata, ut ex aliquo à Pio Imperatore iſtoc ipſo Imperii anno condito Diplomate, in Lindavienſe hoc impoſtor nonnulla tranſtulerit. Nunc verò duntaxat demonſtrabimus, quam malè veteratori ceſſerit fraus in eo, quod annum

annum illum vicesimum sextum Imperii Ludovici Patris, rebus filii Ludovici Germanici non verecundatus fuerit contaminare. Et verò clarissimè mox patebit, quem nebulo voluit esse Diplomati suo annum natalem eum reapse illi lethalem esse. Quantum sane annus vicesimus sextus Pii Imperatoris favet, tantum Ludovici Germanici vicesimus sextus Diplomati adversatur, idque jugulat. Nos ordine isthæc persequemur.

Priùs tamen necessum est, ut in certo constituamus, illum qui in Diplomate usurpatur annus *Imperii*, esse eundem qui κατ' ἐξοχὴν audiit olim *Regni*, aut *Regni in Orientali Francia*. Quamdiu scilicet fuit in vivis Pius Imperator, filius Ludovicus fuit quidem per aliquot annos Rex, sed *Bajoariorum*, & usque adeo ab Imperatoria potestate procul, ut in omnibus quæ tum temporis condidit Diplomata, Imperatoris Patris supremam vim veneratus sit, seque non nisi illius subditum Regem fuerit professus. Videatur *pag. 35 & 38 capitis V.* Quapropter Bajoarici utique regni tempus Imperii annis neutiquam accenseri potest. At verò anno quadragesimo primo demum, defuncto jam Imperatore Ludovico, libera manu, & nullum agnoscens superiorem, cæpit regnare & quasi imperare suis terris. Ab illo itaque demum momento possunt quodammodo Imperii anni numerari: atque adeò jam annus Regni vicesimus sextus idem fuerit cum eo qui in Diplomate dicitur Imperii ejusdem numeri annus. Nos igitur itidem nunc quasi extra controversiam collocabimus, eundem in Diplomate cœnobiali Imperii esse annum, qui aliàs dicitur Annus Regni sive simpliciter sive Regni in Orientali Francia. Illo autem jam constituto nihil reliquum est quod remoretur propositum.

Igitur PRIMVM Annus hic non patitur illum à Diplomate laudatum PALATII COMITEM Adalbertum, sed eo I.

explosoveneratus olim est Ansfridum. Functus ille jam ante erat amplissimo isthoc aulæ munere apud Lotharium: iterum verò & in Ludovici Germanici aula in eandem dignitatem est assumptus. Autor Chronici Laureshamensis, quod Tomo primo Scriptorum rerum Germanicarum inseruit Marquardus Freherus, bis meminit Ansberti hujus: prima vice statim post fatalem illam vasti Francorum Imperii inter filios Ludovici Pii divisionem. *Hic Lotharius*, ait, *Ansfrido tunc Palatino Comiti, illustri & spectabili viro, ob egregia merita prædium suum in Goizefurt, in pago Hattuariensi, super fluvium Nersc, & in pago Launensi in villa Sodajo super fluvium Geldrimæ, jure proprietatis contradidit: quod postea idem Ansfridus (ut suo in loco patebit) Laureshamensi monasterio Diotricho contulit.* Alterâ anno DCCCLXV quo Diotrichus Abbas factus est. *Sub hoc patre prædictus Palatii Comes Ansfridus prædium suum in Geizefurt, aliasq; res proprietatis suæ à Ludovvico Rege sibi traditas &c. sancto Nazario contulit.* Hæc Autor ille: quem etiam eo nomine non possumus non laudare, quod vitaverit illum vulgi errorem de Ludovico nostro: Regem scil. illum semper appellans non Imperatorem, quamvis vixerit circa confinia tertii decimi seculi Christiani.

Cæterùm ex istis Chronici Laurishamensis verbis nondum apparet, fateor, id quod professi sumus, Ansfridum scilicet illum anno vicesimo sexto Ludovici Germanici Comitem Palatii egisse. Manifestum autem id faciunt Tabulæ nonnullæ quas, cum illi ipsi Chronicorum codici manuscripto fuissent adjunctæ, Freherus edidit cum *Tomo primo Originum Palatinarum* utriusque editionis. Enimverò exstat ibi etiam illud Diploma, quo Lotharius Ansfrido Geizefurtum donans agnoscit illum suum Palatii Comitem. Verba prioris illius hic etiam legi eapropter commerentur. *In nomine omnipotentis Dei Salvatoris nostri*

ſri Jeſu Chriſti Lotharius divina preveniente clementia Rex. Dignum eſt, ut Regalis Celſitudo procerum ſuorum petitionibus tanto libentius annuat, & annuendo ad effectum perducat, quanto eos viderit ac noverit in ſuis obſequiis perſtare efficaces. Idcirco noverit omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ ac noſtrorum, præſentium videlicet ac futurorum, induſtria, quia Huebertus Abba noſtram deprecatus eſt magnitudinem, ut cuidam fideli Comiti Palatii noſtri Ansfrido nomine aliquantum ex rebus juris noſtri, quas ipſe jure beneficiario detinet, ad proprium concederemus, ac per præceptum noſtrum largiremur. Hæc verba ſane non patiuntur nos dubitare, pro Comite Palatii ſerviiſſe Lothario Ans~~bertum~~*fridum*.

In tranſcurſu autem non poſſumus non monere, Autorem Chronici per errorem Lothario Imperatori tribuiſſe, quod factum eſt ab hujus cognomine filio. Nec enim Imperatorem ſeſe appellat Diplomatis conditor ſed Regem, & Regalem Celſitudinem. Hiſce etiam verbis Diploma claditur. *Signum Lotharii glorioſi Regis. Arithmandus Notarius recognovi. Data V. Id. Novembr. anno Chriſto propitio imperii Domni Lotharii piiſſimi Regis primo Indictione IIII. Actum Aquisgrani palatio Regio.* Quorum nihil convenit Lotharii Imperatoris rebus: bene autem filii Regis. Cujus annus primus Regni cum fuerit Chriſti poſt octingenteſimum quinquageſimus ſextus, liquet hinc tempus quando in Lotharii Regis aula Palatii Comitem egerit Ansfridus.

Eundem autem decimo pòſt anno, etiam in aula Ludovici Germanici eadem functum dignitate, patet ex iis quibus finitur ejus Tabula donationum quas Monaſterio Laureshamenſi præſtitit. Quam itidem *Originibus* ſuis *Palatinis* Freherus addidit. Verba hæc ſunt: *Actum publice in Monaſterio Lauresham, anno incarnationis Dominicæ MCCCLXII* (mendoſam eſſe hanc temporis notam, ſcribendumque DCCCLXVI nemo non videt) *regni Ludovici Regis XXVI, ſub die III Non. Octobr.*

Signum Ansfridi Comitis Palatii. Signum Fridolohi, Signum Ruodberthi & aliorum. Ego VValthere indignus presbyter ac monachus hoc testamentum scripsi, diemq; & tempus ut super notavi. Hæc profectò clarissime ostendunt id quod ante affirmavimus: nempe anno Regni Ludovici XXVI Ansfridum in aula Regis illius egisse Palatii Comitem non autem Adalbertum aliquem. Idem procul dubio confirmaret etiam sequens Donationis Tabula, si integra supereſſet subscriptio. Ita enim hodie legitur: *Actum loco tempore & die quo supra.* Imo & quæ hanc sequitur Præstaria doceret hoc, nisi itidem subscriptio periisset cujus loco nunc hæc leguntur: *Data Præstaria die & tempore quo supra.* Disci tamen inde potest, Comitivâ Palatii dignitate Ansfridum tunc polluisse. Ita enim incipit illa quam vocant Præstaria: *Diligendo in Christo filio sanctæ Dei Ecclesiæ Ansfrido, venerando Comiti Palatii Diotrochus, gratia Dei humilis Abbas.*

Verùm quia fortassis suspicetur aliquis, mansisse Ansfrido titulum Comitis Palatii, etsi non amplius vel non in aula Ludovici Regis, illud munus obierit: forte etiam fuisse plures uno Palatii Comites eodem tempore, ac proinde Adalbertum fuisse hujus Ansfridi comministrum, utrique suspicioni hîc est occurrendum.

Igitur titulos sæpe mansisse etiam iis qui jam defuncti erant honoribus, non est consentaneum moribus illius ævi: etsi hodie sit receptæ consuetudinis. Hinc etiam, quamvis Adalbertus fuisset Comes Palatii in aula Ludovici Imperatoris, post obitum tamen Imperatoris illius ex nova dignitate audiit *Comes Metensis* Nithardo *l. 2. de Dissidiis filiorum Ludovici pag. 454. editionis VVecheliana*: cum tamen longe inferior hæc altera esset dignitas priore Comitis Palatii. Adhoc diserte satis professus fuit ipsemet Ansfridus in sua Tabula donationis, non minus sese Ludovico quàm Lothario serviisse.

Ita

Ita enim locutus est in Tabulæ illius principio. *Ego in Dei nomine Ansfrid Dei gratia Comes, cogitans de timore Dei vel futura retributione, pro remedio animæ meæ, seu dominorum meorum, per quos ad me res pervenisse dignoscitur, dono per hoc Testamentum* &c. Dominorum autem illorum nomine quinam sint intelligendi significat Præstaria hisce verbis: *Honorabilis tua fuit petitio, & fratrum nostrorum decrevit benevolentia, ut res proprietatis tuæ in Geizefurt, pro eleomosyna tua & dominorum Regum Lotharii & Ludovici à te sancto Nazario traditas* &c. Quin igitur Ansfridus verè Palatii fuerit Comes in aula etiam Ludovici Regis, & quidem anno regni ejus XXVI, non est quod dubitemus.

Altera suspicandi causa videri possit majoris momenti; quandoquidem vir & dignitate & in hisce literis illustris Hieronymus Bignonius, in doctissimo ad Marcolphi Formulas *l. 1. p. 574.* primæ editionis commentario, non dubitavit asserere, in prima & secunda Francorum Regum familia plures aliquando fuisse Palatii Comites. Sed illum facile potuissent refellere vel sola ea quæ ipsemet jam attulerat pag. 515 verba Hincmari: *Præcipuè duo, id est Apocrisiarius, qui vocatur apud nos Capellanus vel Palatii custos, de omnibus negotiis Ecclesiasticis, vel minister Ecclesiæ, & Comes Palatinus de omnibus secularibus causis vel judiciis, suscipiendi curam instanter habebant.* Quæ præterea in sententiæ suæ probationem attulit Bignonius reapse nullius sunt roboris. Eorum videlicet duo sunt edicta Pipini & Capitularium de officio Comitum Palatii: inde autem non est exsculpere plures uno tempore Comites Palatii. Lex enim universum aliquid edicens plures quidem tangit, sed non in unum tempus vim suam extendit. Majoris verosimilitudinis est illud quod ex *Traditionum Fuldensium l. primo* adducitur. Sed referemus nos illam formulam, qualem ipse Bignonius non illa qui-

quidem pag. 517. sed jam antehac pag. 511 attulit. *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXXXVIII ind. I. XVIII. Kl. Iulii facta est contentio Gozboldi & Hrabani Abbatis, coram Imperatore Ludovico & filiis ejus Ludovico & Carolo, nec non & Principibus ejus in palatio apud Niomaguum oppidum constituto de captura &c. præsentibus Drugone Archiepiscopo, Otgario Archiepiscopo, Radolto Episcopo, &c. Adalberto Comite, Helphrico Comite, Alfrico Comite, Popone Comite, Gobavvuino Comite Palatii, Ruadharto similiter Comite Palatii, &c. innumerabilibus Vasallis dominicis.* Hic sane duo Comites Palatii memorantur: sed illos fuisse Comites Palatii Imperatorii neutiquam colligere hinc est. Interfuerunt nimirunt huic actui præter Imperatorem Reges duo Ludovicus & Carolus filii Imperatoris Pii, quorum utrique suus fuit Palatii Comes. Et verò videtur tunc abfuisse Comes Palatii Imperatoris, alioquin inter Comites primo debuisset loco memorari: illorum autem duorum qui hic nominantur Palatii Comitum alter Ludovico alter Carolo videtur inserviisse, atque ea de caussa ambo Imperatoriis ministris sunt postposiți.

Quinimo verosimile est, Adelbertum qui primo loco inter Comites hic numeratur fuisse Palatii Imperatorii Comitem, etsi illum titulum non legamus hic additum. Nam & Drogo jam tum fuit Archicapellanus nec tamen hoc titulo hic nuncupatur: nisi mendose scriptum sit *Archiepiscopus* pro *Archicapellanus*, quia Drogo Episcopus fuit Metensis non Archiepiscopus.

Aliud & quidem verosimilius in medium attulit harum rerum longè eruditissimus Christophorus Lehmannus, nunquam satis laudandi operis, cui *Chronico Spirensi* infra dignitatem nomen est inditum, *l. 2. cap. 7. & 8.* plures uno & Archicapellanos fuisse & Palatii Comites, pro diversæ linguæ gentium ratione. Sed nec ille sententiam suam firmis satis argu-

argumentis munivit: cum disertè aliud dicat apud Hincmarum Adelardus: quorum uterque ævo illo vixit magnâ apud Reges auctoritate. Utut verò etiam Lehmannus non erraverit, saltim in Orientalis Franciæ sive Germaniæ & gentis ejusdem linguæ rebus nonnisi unus Palatii Comes & unus Archicapellanus fuit adhibitus: atque ita nec Lehmanni sententia sequiorem nunc movere suspicionem debet.

Esto itaque jam certum, anno vicesimo sexto Ludovici nostri Germanici non aliquem Adalbertum, sed solum Ansfridum Comitiva Palatii dignitate floruisse.

Non Hugonem porrò tunc sed Wigarium Archicapellanum egisse, ejusque loco non Hirminritum aut Hirminmarum sed Albertum Subdiaconum solitum tabulas Regias recensere, nunc vice SECUNDI argumenti demonstrabimus. II.

Utemur autem hîc non nisi teste unico sed omni exceptione majore, quemque cùm fidei tum antiquarum Germaniæ rerum magnæ peritiæ ergo non semel jam laudavimus. Est ille Bernhardus Mallincroth, dignitate Decanus quondam Capitularis summi collegii Mimigarderodensis sive ut hodie loquimur Monasterienſis, & simul antiqua prosapiâ generosus. Ejus *l. De Archicancellariis & Cancellariis Imperii pag. 23* hæc verba sunt, ubi de Ludovico nostro Seniore Rege Germaniæ agit. *Anno 26 regni ejusdem Regis, VViggarius Cancellarius reperitur, cujus vice literas Ludovici, datas Monasterio Hervordiensi in VVestphalia, super donatione Kasarum Dominicarum, ut habent formalia literarum, cum territorio dominicali in Silihem & Stochem, (loca sunt diœcesis Monasterienſis) in pagis Dreni & Borkoro, Comitatibus Burchardi & VVarini, Albertus Subdiaconus, quem cum modò memorato Adalberto Notario eundem censeo, signavit. Extant literæ illæ in Archivo Abbatiæ prædictæ.*

Hactenus Mallincrothus. Illum ipsummet vidisse Hervordi-

vordiense Diploma illud per est verosimile. Fuit enim ejusmodi antiquitatum diligentissimus scrutator, & vixit in Hervordiæ vicinia. Poterit igitur ille unus esse pro multis testibus; præ iis certè, qui antiquas tabulas negligenter tractant si in manus inciderint, aut non nisi ab aliena manu eas solent accipere. Jam vero, quod non nisi unus fuerit pro tempore Archicapellanus in aulis tunc Francorum Regum, nisi fallor, jam tum, ex iis quæ de uno Palatii Comite diseruimus, est manifestum. Ideoque saltim illa suspicio hîc non habet locum. Altera verò planè huc non pertinet. Quin ergo non Hugo aliquis sed Wiggarius isthoc vicesimo sexto Ludovici nostri anno Archicapellanum egerit, omni jam vacat dubitatione.

Plures uno fuisse tum recognitores Tabularum Regiarum sacrarum, hactenus nullum observavi vel leviſſimum indicium. Propterea hactenus quidem cogor quasi affirmare, anno isthoc unico Alberto Subdiacono concreditum munus hoc fuisse. Si tamen aliquando aliud probatum fuerit, non equidem reluctabor. Interea autem si non abeam ab eo quod proposui, nemo bonus, scio, vertet mihi vitio.

III. Consequens est ut TERTIVM quoque expediamus: illo nimirum vicesimo sexto Regni anno non vixisse Ludovicum nostrum in Alemannia, ac proinde nec in Palatio Podamo. In memoriam verò hîc revocandum ante omnia fuerit, præcedente Capite nos demonstrasse, annum illum esse Incarnationis Dominicæ post octingentesimum sextum & sexagesimum. Habemus autem hac in re quem testem advocemus, non nisi unum Francicorum Annalium autorem. In historiam illius anni quædam de Arsenii Legati Pontificii negotiis irrepsisse quæ anno præcedente contigerant, imò jam fuerant memorata, nonnihil aliter tamen, liquidò quilibet deprehenderit cum curâ legens. Iis autem rejectis

non

non obscurum est, hyemem illius anni transegisse Ludovicum in Bajoaria, atque inde citato itinere in Franconiam migrasse, ibique rem omnem composuisse, donec mense Novembri Ludovicus filius patri est Wormatiæ reconciliatus. Recitabimus ipsa Annalium verba ut unusquisque sine molestia possit ea quæ diximus arbitrari. *Hludovicus Hludovvici Regis filius graviter ferens, quod Rex quædam beneficia illi subtrahens Carlmanno fratri suo reddidit, patri molestus efficitur. Nam nuntiis per universam Thuringiam & Saxoniam missis quos potuit ad se traxit, & contra Regem rebellare disposuit. VVerinharium quoque, Vtonem, & Berengarium Comites à patre suo depositos suis adhibens consiliis pristinam eis dignitatem se restituturum esse promisit. Sed & Heinricum principem suæ militiæ ad Rastizen destinavit, obnixe postulans, ut ejusdem conspirationis fautor fieri non recusaret. Quo comperto, Rex Carlmannum ad tuitionem Bajoariæ derelinquens, concitus venit in Franciam, & à suis undique confluentibus honorificè apud Francofurt susceptus est, & conspirationem exortam facile extinxit. Tanta etenim multitudo fidelium suorum cum eo tunc aderat, ut pars adversa, visi timor filii ejus adfuisset, ligari procul dubio potuisset. Interea Gunpoldus quidam de satellitibus Carlmanni contra Dominum suum volens dimicare, amisso exercitu vix vivus evasit. Hludovvicus vero mediante Luitberto Archiepiscopo aliisq; pacis amatoribus, mense Novembri apud VVormatiam patri suo reconciliatur.* Hactenus Annales. Jam verò si simulac molitiones Ludovici filii intellexit *ad tuitionem Bajoriæ dereliquit Carlmannum* filium, non potuit non ad illud usq; tempus ipsemet Ludovicus pater degisse in Bajoaria. Si inde *concitus in Franciam venit*, non divertit ex Bajoaria in Alemanniam aut Bodamum. Si in Francia Orientali *in mensem Novembrem* mansit, non utique mense Aprili Bodami Diploma illud cœnobiale jussit confici. Et tamen in Diplomate legitur, conditum esse anno XXVI Imperii XI Kal. Maj.

IV. QVARTO is qui ponitur in Diplomate annus Indictionis ſecundus ſic ſatis bene convenit cum Imperatoris Pii anno viceſimo ſexto: Ludovici autem Germanici ejusdem numeri annus eſt Indictionis quartus decimus. Unusquisque videre hoc poterit ſi excuſſerit vel illam duntaxat Indictionis ſeriem, quam ſuo *Theatro Chronologico* Chriſtophorus Helvicus inſeruit. Convenit autem cum illa & Cardinalis Baronius in Eccleſiaſticis Annalibus. Scio equidem à Notariis iſthac in re ut & ab imperitis librariis frequenter eſſe aberratum. Nihil autem hoc facit in Diplomatis defenſionem. Venditatur enim illud tanquam ſit autographum aulæ Regiæ. Librarius itaque omnis hîc extra culpam eſt. Nec temere accuſaveris conſtitutos ipſiuſmet Regiæ aulæ ſcribas, quaſi illi Indictionis annos vel ignoraverint, vel in ipſis Regiis tabulis conficiendis non attenderint, & quidem usque adeo integros duodecim annos aberraverint à vero.

Annum itaque viceſimum ſextum Germanici noſtri Ludovici multis modis Diplomati adverſari, imò deſtruere ac quaſi jugulare omnem ejus auctoritatem, jam eſt demonſtratum. Pergemus autem nos etiam ad alia æque gravia.

CAPUT IX.

Contra quam Diploma dicit de Adalberto unico conditore cœnobii, demonſtratur fuiſſe tres conditores: interque eos neminem Adalbertum appellatum aut Comitem fuiſſe Palatii.

COmplura falſi crimina circa Ludovicum, quem conditorem Diplomatis eſſe voluit impoſtor, commiſſa, jam producta ſunt in lucem. Nunc etiam illa, quæ circa eum, quem ipſiuſmet Cœnobii conditorem auſus eſt venditare, ſunt deſignata

Abbildung der drey Herren Graffen, welche in der Kirchen des Fürstlichen Freystiffts Lindaw, in der Stiffter Capell begraben, vnd daselbst an der Mawr vor vhralters (wie die manier, vnd der buchstab ßuer kennen gibt) mit Oelfarben gemahlt, vnd mit einer holtzern gleich, doch newgemalten tafel bedeckt sein



COMES WOLFBICVS, | HARDEGOLDVS, | HILDEBRANDVS COMES | Anna Christina von Gottes Gnaden dises Fürstlich Freystiffts vnser lieben Frawen Abtussin, hat die gedecht, nuß der Stiffung vnd befreyung vernewert A° 1646.


Auf solche waß sein dise drey Namen in die grabdeckel gehawet.

Disen Fürstlichen des H. Röm. Reich immediat vnser lieben Frawen Freystifft Lindaw hat anfangs gestifftet Graff Adlbert, Ludowici Germanici Königs in Germanien Ostfranckreich, vnd Bayren (der auch den titul eines Kayßers gefuehrt) Sacri Palatij Comes et Magister, oder Pfaltzgraff vnd Land vogt in Rhetischen Landen. Auf dessen anlangen Hochstgedachter König vnd Teutsche Kayßer Ludowig disem Stifft ertheilt alle fürstliche hohe iura vnd Herlikeiten, in dem XXVI. Jahr seines Reichs Inductione II, welche vermuetlich weil sie dreymal sich findet in den Jahren seiner Regierung, vnd selbe gar vnderschidlich außgerechnet wirdt) gefallen vf das Jahr Christi 854. oder 869.

HHSchollenb: fc.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [155] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [156] - -

signata manifestabimus. Ac proximè quidem ostendemus, falsò in Diplomate perhiberi, unum aliquem eumque dictum Adalbertum, & Palatii Comitem, fundasse Cœnobium: tres enim operam in id contulisse, eorumque neminem Adalbertum appellatum & Comitem fuisse Palatii.

Quoniam verò ad hæc probanda utemur eo Cœnobii monumento, cujus imaginem ære expressam Socii ipsimet Hyperaspistæ *cap. 11.* exhibuerunt, etiam nos bona fide eandem hîc omnium oculis exponimus. Simul autem fidem ejus constituemus antea quam in testimonium adducatur. Non quod id necessum sit vel Cœnobii vel ejus Hyperaspistarum gratia: utpote cum ab iis ipsis & solis quidem monumentum illud sit & constructum & in caussæ suæ defensionem editum. Sed quia interest, ut lectori cuivis etiam alii, ad ferendam sententiam, quantum valeat testimonii illius autoritas, queat liquidò constare.

IGITVR *Primo* observandum est, in Capellæ Cœnobialis muro picturam antehac extitisse vetustam, referentem trium Comitum imagines: sed illam anno hujus seculi vicesimo tabula lignea nova fuisse tectam, addita hac vernacula inscriptione. *Anno 1620* den *4 Novembris*, hat die Hochwürdige Fürstin und Fraw/ Fraw Susanna/ geborne von Buebenhofen/ Abtissin des Fürstlichen Frey Adelichen weltlichen Stiffts alhie/ die Begräbnüß/ in beysein jhren Wol Adentlichen Chor-Jungfrawen Priesterschafft und Ampteuten eröffnen lassen/ befunden das den drey Hoch und Wolgebohrnen Herrn Grafen der heiligen Pfaltz/ Gebrüder und Stiffter dieses Gotteshauses/ eines jeden Gebein in besondern Sarch/ wie die darauff und demselben Sarchdeckel besonderlich mit jhren eigenen Tauffnahmen eingehawen seinte. COMES ALBERTUS PAL. MAIN RHENI, COMES MANGOLDUS PAL. MAIN RHENI, COMES ULRICUS PAL. MAIN RHENI. Hanc tabulam

anno ejusdem hujus seculi quadragesimo sexto Anna Christina Illustris Abbatissa Cœnobii, longè aliter, & quidem in eum modum, quem refert ære expressa imago, fecit pingi. Quemadmodum habuerit sese vetustissima ipsi Capellæ muro inhærens pictura: & num addita fuerint trium Comitum nomina, aut quænam: hactenus non est relatum. Hyperaspista *pag. 10* tantùm hoc testatur, imagines trium Comitum vetustissimâ picturâ pigmentis oleo temperatis muro inhæsisse. Idem testatur hujus ære expressæ tabulæ superior inscriptio. nihil præterea. Imo non videntur illa nomina & tituli Comitum, quæ Tabellæ ligneæ anno seculi hujus vicesimo sunt inscripta, in vetustissima illâ picturâ fuisse reperta, sed tunc demum Tabulæ isti accessisse. Diserte enim ait Hyperaspista. Das in Verzeichnus der Nahmen auff der gemahlten höltzern Taffel / damit die Uhralte auff die Mawer mit Oelfarben gemahlte Biltnüssen der drey Graffen bedecket worden / vor diesem gefehlet worden.

Quod attinet *secundò* ipsorummet sepulchralium trium lapidum inscriptiones, testatur Tabula ære expressa, plane ità eas sese habere atque Tabula refert. Hisce enim verbis utitur: Auff solche weise sein diese drey Nahmen in Grabdeckel gehawet. Effigies quoque Comitum illorum trium lapidibus sepulchralibus esse insculptas, non lego: eoque nec audeo affirmare, qui procul Lindavia absum. Imò videntur illæ quidem formatæ ad similitudinem vetusti illius monumenti, quo murus Capellæ fuit olim ornatus. Hoc sane significat inscriptio superior Tabulæ hujus ære expressæ iis verbis: Abbildung der dreyen Herrn Grafen / welche in der Kirchen des Fürstlichen Freystiffts Lindaw / in der Stiffter Capel begraben / und daselbst an der Mauren von uhralters (wie die Manier und der Buchstab zu erkennen gibt) mit Oelfarben gemahlet / und mit einer höltzern / gleich doch new gemahlten Taffel bedeckt sein.

Tertiò notandum, etiam in atrio Capellæ quondam hanc inscriptio-

inſcriptionem confici feciſſe Abbatiſſam Barbaram de Landenberg: Das würdige Stifft iſt geſtifftet worden / von Adelberten / Graffen der heiligen Pfaltz / gefreyet und *confirmiret* durch Keyſer Ludwig den andern im Jahr 866. Iſthac deletâ autem Abbatiſſam Annam Chriſtinam Huntpiſſiam de Waltrambs hanc ſubſtituiſſe: Dieß Fürſtliche Frey Adalich weltliche Stifft iſt von Albrechten Ulrich und *Mangoldo* Gebrüdern / Graffen der heiligen Pfaltz geſtifftet / von Keyſer Ludwig den andern gefreyet und *confirmiret* worden *Anno 866. Renoviret Anno 1534.*

Quarto cumprimis dignum obſervatu eſt, Hyperaſpiſtam profiteri, errores antehac eſſe in nominum inſcriptionibus commiſſos. Verba ejus ſunt: Sonſt kan man nicht in Abrede ſein / das in obangeregten Portal und Grabſchrifften / ſo ſich in der Stiffter Capel, wie auch in vorzeichnus der Nahmen auff der gemahlten holtzerne Taffel / damit die Uhralte auff die Mauren mit Oelfarben gemahlte Biltnüſſen der drey Grafen bedeckt worden / vor dieſem gefehlet geweſen. In hac autem nova Abbatiſſæ Annæ Chriſtinæ Tabula nihil ille deſiderat. Et verò ex Hyperaſpiſtæ ipſiuſmet conſilio hæc videtur confecta: quum illo ipſo anno quo Apologia publicata, ſimul tabulam & pingi & ære iſtam exprimi curaverit Abbatiſſa.

HISCE autem omnibus probè expenſis, ita de auctoritate & fide hujus Tabulæ omnino ſentiendum fuerit. I In quantum illa refert bonâ fide vetuſtam, quâ murus Capellæ fuit ornatus, picturam, poteſt ei tribui eadem auctoritas quam vetus illa promeruit. Illi autem certò credi non potuit, quoniam indubiè aliquot ſeculis fuit recentior prima Cœnobii origine. Hoc ſanè indicat manus pictoris elegantior, contrà quam tulit ſeculi noni decimi & undecimi imo & proximiorum aliquot ruditas. Rectè enim ſcripſit circa annum 1445 Æneas Sylvius poſt Papa Pius II cognominatus ep. 120: *Ante centum ferme annos, & antea trecentis*

quadrin

quadringentisq, non invenies qui per Italiam sermonem habuerit versum & lucidum. Sic pingendi sculpendique accidit arti. Si ducentorum trecentorumve annorum sculpturas intuearis aut picturas, invenies non hominum sed monstrorum portentorumve facies. Quod de Italiâ multò magis id verum de Germaniâ, ubi serior omnium talium fuit cultura. Quod si autem elegantior hæc sit tabula atque fuit illa vetus pictura (quod perquam est simile vero) utique non bona fide vetustam refert; ac proinde præ novitate non assequitur vel veteris picturæ auctoritatem, sed suspecta meritò esse debet ejus testimonium. Utut sit, picturis in universum rarò licet tutò credere; ne quidem illis quæ sacras ædes occupant. Id quod infinitis exemplis facile fuerit demonstrare, si opus sit: usque adeo licentia, monachorum præcipue & pictorum, extra omnes recti & sancti limites passim evagata est. Unicam nunc duntaxat sed lepidam (si hoc nomine fas est appellare facinus impium) historiam ex Beati Rhenani *Rerum Germanicarum l. 3. pag. 16. edit. Basil. anni 1531.* adducam. *Quidam,* inquit, *superioribus annis, quem adhuc audio superesse, beatum anachoretam Helveticum ut vulgus prædicat, Suetonium fuisse vocatum effinxit, illius vitam describens, & socium habuisse cui nomen esset Achatæ. Adii hominem quæsiturus undenam id assereret. Putabam enim hæc illum absq; auctore non dicere. Sed audi impudentiam. Propterea (inquit) addidi Suetonium fuisse vocatum, quod legerem è Suecia prodiisse: & quia AEneæ Virgiliano fidus Achates semper adhæsit, ideo sodalem illius hoc nomine donavi, alioqui anonymum futurum. Et tamen hæc historia, si ita vocare libet, non solum picta est in templis ac scripta, sed etiam typis excusa.*

II. Nomina loculis sepulchralibus inscripta merentur ferè indubitatam fidem. Antiquissima scilicet quæq; Germanicorum Imperatorum Regum & Principum marmora sepulchralia nihil inscriptum habent: alii lapides sepulchrales citius so-

tius sola nomina sepultorum, aſt imagines aut præconia demum duodecimo circiter seculo accipere cæperunt. Cum itaque hisce loculis tantum nomina fuerint insculpta, illa pervetusta sint necessum est, & ab origine Cœnobii saltim non multum remota. Nec est quur suspicemur, Tabulam novissimam non ita exprimere nomina qualia in lapidibus sepulchralibus reperiuntur, quum sit magna curâ confecta. Nec video quare fas sit dubitare, utrum numero tres Comites in sacello illo Cœnobii sint humati.

De subiecta fide inscriptionis ejus tabulæ, quam anno hujus seculi vicesimo fecit construi Abbatissa Susanna Bubenhofia, non est quod verbulo moneamus: quia Hyperaspista eam fassus est erroneam esse. Non tamen miti *erroris* titulo decuit prosequi, apertè falsum testimonium in sacro loco tabula publicata commissum: à quibuscunque tandem Cœnobii ministris (Abbatissam enim ipsam cum sacris virginibus facile excusaveris) scelus illud improbum atque impium fuerit perpetratum.

VERVM tempus monet, hisce jam ita quasi constitutis ad rem ipsam tandem aggredi. Ergo commissum ab impostore est falsi crimen in eo primùm, quod Diploma refert, unum aliquem (*Adalbertum Sacri palatii Comitem pro salute & remedio animarum omnium parentum suorum & suæ fundasse Cœnobium, omnibusq; suis allodiis augmentasse*: cum tamen saltim plures uno opes suas in id impenderint. Jam tum ab eruditissimo Heidero fuit hoc objectum, inque ejus confirmationem adducta inscriptio Tabulæ cùm quæ anno vicesimo constructa fuit in ipsa Capella, tum quæ in atrio ejus posita est anno 34. Hyperaspista agnoscit, illas inscriptiones esse factas sed in iis vult commissum errorem: Mangoldum porrò fraternam benignitatem auxisse, fortassis etiam idem feciſſe tertium: atque adeo hactenus fundatorum titulo etiam bi- I.

nos illos honorari potuisse. Sed vereor ut illa effugia juvent causam. Heiderus certè gessit sese rectè: quandoquidem nullo discrimine facto, ipsæmet Abbatissæ, eopse controversiæ motæ momento, tres conditores professæ fuissent non unicum, imo inscriptionem pristinam, quæ unum Adalbertum jactaverat, indubie Diplomatis fide, conditorem, aboleviſſent, tribus conditoribus substitutis. Non tantùm verò tunc demum ista Cœnobium jactitavit sed jampridem antehac. Vtemur nunc solo tantùm Bruschio teste, qui utique omnia sua debet Cœnobialium cujusque loci narrationibus. Ille autem diserte scribit, *Adalbertum à fratre Mangoldo Comite à Rosbach adjutum Cœnobium feciſſe construi.* Aut nullam porro fidem meretur Capellæ pictura, aut tres in gloriam fundati cœnobii erunt admittendi: quandoquidem tres illi pari sunt loco collocati, uno quasi omnium nomine ædem sacram offerente. Non temere autem solent fundatori adjungi in sacræ capellæ sepulchris, qui non sunt ejusdem meriti. Tres autem non unus ibi ante secula complura sepulchrum suum invenerunt. Revera itaque tres numero, non unicus aliquis in Diplomate laudari fundator debuit. Atque adeo hoc ipso commissum est falsi crimen.

Non urgebimus tamen nos justâ qua possumus vehementiâ hoc delictum: quandoquidem ipsemet Hyperaspista à suis esse hac in re peccatum confitetur, inprimis verò quoniam ipsi debemus magnas gratias, editæ in lucem publicam Tabulæ illius ære expressæ nomine: aut potius Deo optimo maximo, qui perspicaciſſimum cæteroquin Hyperaspistam (divinâ nemesi, quantum videtur, scelus illud anno vicesimo in sacrâ æde perpetratum vindicante) fecerit non videre quæ omnium patent oculis, & in mero meridie plusquam cæcutire.

II. Alterum igitur falsi crimen, & quidem omnium ferè potiſſimum, commisit impostor in eo, quod, Cœnobium condidisse

disse Adalbertum Comitem Palatii, fecerit Diploma profiteri, cum tamen nulli Adalberto, nulli Palatii Comiti, hoc debeatur. Testimoniis aliunde quæsitis hîc opus non est. Sufficit unica illa in Cœnobio anno 1646 picta & curante ipsomet Hyperaspistâ publicata Tabula. Exhibet scilicet illa, (alteram enim, anno 1620 improbo scelere confictis inscriptionibus, PAL. MAIN RHENI, conspurcatam tabulam nunc non moramur) trium Comitum in Capella sepultorum, adeoque primorum Cœnobii conditorum nomina, ex ipsis sepulchralibus saxis antiquissimis, ac proinde fidei optimæ, petita. Inter ea autem nomina non comparet nomen *Adalberti*, aut *Palatii Comitis*. Tres illi simpliciter *Comites* audiunt: *Palatii Comes* nemo. Unus appellatur COMES EKBERTUS, alter MANEGOLDVS, tertius COMES WODEREBICUS aut SODEREBICUS. Provoco ad ocularem Tabulæ inspectionem. Nec enim arbitror quenquam usque adeo insipientem cucurbitas, uti Adalberti nomen inter illas sepulchrales inscriptiones inveniat. Quod lynceus Hyperaspista EKBERTUM COMITEM non adverterit, soli acceptum fero divinæ vindictæ, hominem veritati vim facientem excœcanti. Et verò ille apertis oculis summe curiosis ALBERTUS legit ubi est EKBERTUS.

Non multo minùs autem idem Hyperaspista cœcutivit in lectione ejus chartæ, quam ex veteri picturâ manu primarii trium conditorum exhibet Tabula. Illâ ait Vindex Cœnobii hæc contineri: COMES ALBERCHTVS PALATII MAGISTER IN RHETIA. *Albertus*, inquit, per abbreviationem aut syncopem idem est quod *Adalbertus*. Syllaba PAL. significat PALATII, & MS est MAGISTER. In quarta voce errore Orthographico H non suo positum esse loco, debuisse autem collocari post R, cautsatur.

Verum enimverò *primò* nondum est satis probata Tabulæ

bulæ hujus fides; quod ſcilicet veteris picturæ ſingulos apices juſtâ curâ reddiderit. Si permitteretur remotâ tabulâ murum ipſum inſpicere, equidem non dubito apparituram haud levem diverſitatem. Saltim hactenus ſecurè non licet in omnibus iſtis Tabulam admittere. Vtque admiſerimus, ne ipſamet quidem vetus illa pictura fidem ſibi facere eſt idonea. Id quod jam tum ante liquidò oſtendimus.

Adhoc nemo niſi præjudiciis excæcatus illam Hyperaſpiſtæ lectionem approbaverit, etſi Tabula fideliter veterem picturam fuerit ſecuta. Nec ALBERTVS ſane tibi nec ALBERCHTVS, niſi divinanti & quia ita vis, occurrit. Quin dixeris, & ibi, ſi rectè ſeſe omnia habeant, legendum EKBERT. potius quàm ALBERT. Porro PA quidem conſpicitur non PAL. Ea autem quæ ſequuntur tantum habent affinitatis cum MAGISTER, atque vox DEVS & DIABOLVS. Non enim vel illud MS, unde auſus eſt Hyperaſpiſta *Magiſter* fabricare, ibi videre eſt. Nec temere mihi quis RHETIAM ibi invenerit, niſi oculis ſuis vi facta. Fatendum igitur omnino eſt, illa legi non poſſe, præ vetuſtate vel pictoris ruditate literis corruptis aut perditis.

Præterea ALBERTVS ALBERCHTVS & ADALBERTVS ejusdem eſſe originis nomina, non equidem negaverim: uſus tamen converſationis humanæ non permittit unum eundemq; hominem promiſcue hiſce nominibus uſurpare. Perinde atque ex voce JOANNES formata eſt JOHAN, JAN, HANS, GIOVANNI. Solet tamen quis non niſi una voce audire, quæ ſcilicet uſu recepta eſt. ADALBERTVS itaque non dictus eſt ALBERTVS aut ALBERCHTVS. Non ſane æquo animo Comes, atq; adeo Vir illuſtris dignitatis, ita mutari ſuum nomen fuiſſet paſſus: nec permiſiſſet quisquam illi faventium.

Quidnam porrò ſive veteris ſive novi monſtri eſt, *Palatii*

Magie

Magiſter in Rhetia? Quis ſcriptorum ævi Francici Carolini ita locutus eſt? Nemo, hercule, nemo. Figmentum eſt. Fabula eſt unius Hyperaſpiſtæ, excogitata in adamati ſibi Cœnobii gratiam. Sed, & ſi Albertus Cœnobii conditor fuit Palatii Magiſter in Rhetia, ſaltim tum temporis non fuit Comes Palatii. Hic enim ea tempeſtate perpetuus erat in aula, adeoque Rhetiam tunc non potuit adminiſtrare. Comites porrò Palatini regionum diu poſt Ludovicum Germanicum noſtrum cæperunt demum conſtitui. Primus Arnolphus Bajoariæ aliquem dedit. Rhetiam ſeorſim habuiſſe Palatinum Comitem nusquam legitur: nec videtur veroſimile. De Comitis Palatii & Palatinorum Comitum in provinciis differentia & vario officio, diſſeremus plura capite XI. Nunc ſatis eſt notaſſe, neminem trium Cœnobii conditorum, qui ſepulti ſunt in Cœnobialis ædis Capella, Comitem fuiſſe Palatii aut ita audiiſſe: certè nullum reperiri vel leviſſimum indicium illius Comitivæ Palatii dignitatis, cuiquam illorum competentis.

HÆC quæ jam attulimus lucent ſanè ſole meridiano clarius. Fateor tamen, quia ſunt quaſi παράδοξα, non ſine cauſſa poſſe hîc quatuor animos nonnullorum ſuſpenſos quaſi tenere. *Primum eſt*, quî fieri potuerit, ut contra lapides ſepulchrales conditorum Cœnobialium, Auctor Diplomatis Adalbertum produxerit Palatii Comitem. *Alterum*, à præclaris ſcriptoribus itidem eſſe traditum, quod Adalbertus Cœnobii ſit conſtructor. *Tertium*, factum item hoc eſſe ab auctore ipſiuſmet Vrbici Chronici, quem proin de Mangoldo teſtem quoque laudat hoc loco Hyperaſpiſta. *Quartum*, quî potuerit in Cœnobio ipſo naſci perſuaſio de tribus conditoribus, Adalberto, Monagoldo, & Ulrico.

Primi cauſam arbitror eſſe, quod compluribus ſeculis I.
nemo ſepulcra illa luſtraverit: atque ita ignorata fuerint lapidibus inſculpta nomina, etiam illa tempeſtate quâ fictum

fuit Diploma, ſeculo circiter decimo tertio. Veniſſe igitur impoſtor ſibi viſus eſt in vacuam poſſeſſionem, mendacio ſuo dandi novum Cœnobii auctorem. Adalbertum autem Palatii Comitem videtur oportunè in aliquo Ludovici Pii diplomate deprehendiſſe, quod conditum fuerat anno Imperii viceſimo ſexto: unde ſuum nebulo fabricavit.

II. *Alterum* non eſt quod miremur. Omnes enim, quotquot Adalbertum agnoſcunt conditorem, ſunt longè recentiores fictione Diplomatis, & ceu ſolet contingere viris bonis, decepti illi ſunt fama ſuppoſititiæ Tabulæ; cum accurate in ejus conditionem omnem inquirere non pateretur inſtitutum, vel ingenuus candor. Imo Diplomatis exemplum aliquod vix in ullius manus pervenit, multò minus ejus viſum eſt autographum, atque adeo examen ejus non potuit à viris doctis antehac inſtitui. Sequente etiam capite demonſtrabitur, doctiores nonnullos deprehendiſſe quidem dubitandi ſcrupulos, ſed cum laqueum expedire non poſſent, varia commentos eſſe, ita tamen ut nec ſibimetipſis ſatisfacerent.

III. Autores *Tertio* Chronicorum Lindavienſium itidem fuerunt multò recentioris ævi & tenuis plærumq; judicii. Itaque cavere ſibi non potuerunt à fabulis Cœnobialibus. Nullius illos eſſe fidei, quum non ſemel jam monuiſſet Heiderus imò probaſſet, cumprimis in additamentis magni operis *pag. 559. lit. hh.* non debuiſſet Hyperaſpiſta illis teſtibus hîc uti de Mangoldo; niſi prius Heideriana illa ſententia & probatione confutata. Scio autem, ne ipſos quidem Cœnobiales illorum Chronicorum teſtimonio velle ſtare; quoniam ſæpenumero Cœnobii deſideriis adverſantur.

IV. Cœnobium *quarto* videtur fabulas ſibi finxiſſe, partim ex memoria antiquæ traditionis de uno pluribus conditoribus, quorum aliquis fuerit dictus Mangoldus, partim Diplomatis fide: quod genuinum eſſe denique ſibimetipſi perſuaſit,

ut

ut fieri assolet. Fortassis etiam accessit fama de tribus fratribus, Comitibus Palatinis, Tybingæ & Brigantiæ Dominis, Adelberto Manogoldo & Vlrico, itidem Cœnobii Anhausiensis conditoribus. Proclive sane fuit hominibus credulis & imperitis, persuadere sibi ob nominum affinitatem, suos esse, quibus reapse cum Cœnobii Lindaviensis constructione nihil potuit esse commercii. Adducemus hoc loco integram Bullam Papalem, quæ fratrum illorum benignam facit mentionem, qualis illa reperitur apud Brusschium *pag. 1.* ubi agit de monasterio Anhausiano. Fortassis enim hac lectâ quis idem mecum suspicabitur. Quanquam in pari propè habeam discrimine, sive credatur hoc sive non credatur. Verba autem Bullæ Papalis ita sese habent.

CELESTINVS Episcopus, servus servorum DEI dilectis filiis Monachis S. Martini de Anhausen, tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis. In nomine patris & filii & spiritus sancti. Desiderium quod ad Religionis propositum & animarum salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impartire suffragium. Eapropter dilecti in Domino filii, Venerabilis fratris nostri Gualteri Episcopi precibus inclinati, vestris justis postulationibus clementer annuimus: præfatum Monasterium: quod ab egregiæ recordationis viro Manogoldo Palatino Comite, ejusq; filiis, præfato videlicet fratre nostro Gualtero nunc Augustensi Episcopo, Adalberto & Vdalrico in proprio allodio constructum est, & beato Petro cum omnibus ad ipsum pertinentibus oblatum: sub ejusdem Apostolorum Principis & nostra protecti-

protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti Privilegio communimus. Statuentes, ut quaſcunq; poſſeſſiones vel decimas, quæcunq; etiam bona idem Monaſterium inpræſentiarum juſte & canonice poſsidet, aut in futurum conceſsione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, Deo propicio, poterit adipiſci: firma vobis veſtrisq; ſucceſſoribus & illibata permaneant. Concambium, eo quod de loco (in quo ipſum Monaſterium ſitum eſt) eum Eccleſia S. Petri de Oetingen (ad cujus Parrochiam pertinebat) utriusq; partis aſſenſu rationabiliter factum eſt, authoritate Apoſtolica confirmamus. Liceat autem vobis communi conſilio Advocatum (quem ad defenſionem ejusdem Monaſterii utilem eſſe cognoveritis) libere eligere: ipſumq; (ſi inutilis apparuerit) removere, & alium quem utiliorem provideritis ſubſtituere. Obeunte verò Abbate (qui pro tempore ibidem fuerit) nullus qualibet ſurreptionis aſtutia & violentia præponatur: ſed liceat vobis communi conſilio vel partis conſilii ſanioris, ſecundum Dei timorem & S. Benedicti Regulam, abſq; ullius contradictione Abbatem eligere, Chriſma, oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſeu Baſilicarum, ordinationes Monachorum (qui ad ſacros Ordines fuerint promovendi) à Diœceſano ſuſcipiantur Epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit, & gratiam atq; communionem Sedis Apoſtolicæ habuerit, & eagratis & abſq; aliquâ pravitate vobis voluerit exhibere. Alioqui liceat vobis Catholicum quemcunq; volueritis adire Antiſtitem: nimirum qui noſtra fultus

authori-

authoritate quod postulatur indulgeat. Sepulturam quoq; illius loci liberam esse concedimus, ut quicunque se illic sepeliri deliberaverint, ni forte excommunicati sint, nullus obsistat: salva tamen justitia matris Ecclesiæ. Ad indicium autem hujus à Sede Apostolica perceptæ libertatis, Aureum unum nobis nostrisq; successoribus, annis singulis persolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, præfatum Monasterium temere perturbare: aut ejus possessiones aufferre, vel oblatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus inquietare: sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnibus profutura. Salva Diœcesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam infringere, aut sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove admonita, si non satisfactione congrua emendaverit, Potestatis dignitatisq; suæ honore careat, reamq; se Divino judicio existere de perpetua iniquitate cognoscat: & à sacrosanctissimo Corpore & Sanguine Dei & Divini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat: atq; in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit Pax Domini nostri Jesu Christi: quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen.

Hactenus Bulla: qua hoc caput finio.

CAPUT X.

Famam de Adalberto conditore Cœnobii unicè natam esse ex Diplomate. Quæcunq; autem de illo sive Hyperastæ sive alii scriptores referunt, haud niti ullo aliquo veteris ævi testimonio, sed meras esse gerras aut inanes conjecturas: in universum & sibi mutuò, & ipsi etiam Diplomatis fabulæ adversari.

IAm tum professi sumus, à scriptoribus quidem nonnullis ttadi, quod Comes aliquis Adalbertus constructerit Lindavienſe cœnobium, illos autem deceptos fuisse à fama quam Diploma excitavit. Cum autem non nisi paucis verbis agere id tum licuerit, ea autem sit scriptorum illorum dignitas ut nisi in clara luce omnia collocentur, possit nihilominus sequior suspicio supereſſe, majorem operam nunc adhibebimus. Igitur initiò producemus saltim illorum, qui inter eos, qui ab Adalberto cœnobium esse constructum referunt, sunt potissimi, ipsamet verba, deinde illa sub examen revocabimus.

I. Esto horum primus *Gaspar Bruschius:* quoniam unus ille majore reliquis studio Monasteriorum Germanicorum res singulari est volumine prosequutus, & omnes de Adalberto fabulas coëgit in unum. Ejus verba hæc sunt *pag. 70 Monasteriorum Germaniæ Chronologiæ* suæ. *LINDAVIENSE Canonissarum nobili stemmate natarum, ab omni voto immunium, nullaq; prorsus veste Monastica indutarum, nec ullo cœlibatus juramento ab honestis nuptiis exemptarum Dominarum amplissimum Collegium, in Lacu Acronio, & ejusdem nominis insulari Civitate situm, antiquitus Lendaugiense, ob maximam ad locum natura portuosum appellendi è Lacu commoditatem dictum: capit annum Christi*

Christi circiter 810 ex pia liberalitate ac munificentia Adalberti cujusdam Comitis de Rorbach. Qui Patre Leotobico natus, Caroli Magni consanguineus, Sacrique Palatii Magister, & Provinciarum Rheticarum præfectus, eum aliquando procellosis Aeronii Lacus fluctibus penè obrutus de vita desperasset, & precabundus vovisset, eo sese loco in Beatæ ac Deiparæ Virginis Mariæ honorem, gratitudinis ergò constructurum templum & Cœnobium, ubi salvus & incolumis littori appulisset: casu in hanc insulam ventorum vi delatus, eam purgari, & à fratre Mangoldo Comitè à Rorbach adjutus, Cœnobium ibi construi fecit. Cui nomen ab eventu & felici appulsu suo indidit, ut Lendoa vel Lendaugia (quæ vox hodie adhuc accolis in ore frequentior ferè est, quam Lindaugia) nuncuparetur. Idem verò ille Adelbertus Xenodochii etiam Lindavienſis opulentissimi fundator fuisse dicitur. Qui tandem anno Domini 841 decima die Maji occisus legitur à copiis Ludovici Regis Germaniæ & Bavariæ non procul à Lacu Brigantino, dum is à Cæsare Lothario præsidii loco in Rhætia positus esset, ut prohiberet, ne Caroli Calvi exercitus è Burgundionibus adveniens cum Ludovici fratris agmine jungeretur. Postea anno Domini 866 ab Imperatore Ludovico secundo, Cæsaris Lotharii filio, datis Privilegiis, ac asylo insuper in fontium refugium concesso, confirmatur Adalberti Comitis, Lothario Cæsari tam fidelis præfecti & Ministerialis, nova ista fundatio, additâ præterea istâ etiam dignitate ac prærogativâ singulari, ut Abbatissa ejus loci eum aliis Sacri Rom. Imp. Ecclesiasticis Prælatis Princeps esset Sacri Rom. Imp. cui in publicis Pompis liber deberet præferri, quemadmodum Buchaugiensi etiam Abbatissæ in celebrioribus Pompis liber & nudus gladius antiquitus anteferri est solitus.

II. Bruschio proximus succedat *Sebastianus Munsterus*, qui *Cosmographiæ suæ l. 3.* integro *cap. 239* agit de Lindavia urbe. Adferemus autem ejus verba, prout illa in vernacula operis editione habentur, quia Latinis nonnihil sunt locupletiora. Volgends über lange Zeit/ nemlich 800 Jahr hernach/ hat Adel-

bertus des hochberümbten Keysers Caroli Magni angeborner Freund / und desselbigen Enckels Pfalzgraffe oder Hoffmeister / von wegen einer Schiffnoht / so jhn auff dem Weiten See (also hat man dazumahl den Boden See geheissen) bestanden / ein Closter unser lieben Frawen an das Ende / an welchen er aus derselbigen Gefahr gesund an das Land kommen / zu stifften verheissen. Also hat genanten Pfalzgraffen Adalbertum das Wetter an die Insel geworffen / dahin er von stund an das gelobte Closter und Munster auff gericht / für Edelfrawen ein Zuchthauß erbawet / und es von der Geschicht her / wie manns dann noch heute zu Tage in den Rheinthal nennet / Ländaw geheissen hat. Welches nicht lang darnach Keys. Ludovicus der II im Jahr 866 mit solchen *privilegien confirmiert* / und nachgehender Zeit die Graffen von Rorbach so ehrlich begabt haben / daß es trefflich zugenommen / ein grosse Walfahrt dahin entstanden / und endlich so reich ist worden / daß die Aebtissin darin / ein Fürstin deß Römischen Reichs / Ordnung hat müssen in mitler weile machen / daß jhr Pfalzvogt / so zu Wasserburg ein halb Meil unter den Closter am See gesessen / nicht über 12 Pferde / wann er gen Lindaw ist geritten / in daß Closter stellen solte.

III. Tertius optimo jure audiendus est, rerum Helveticarum diligentissimus & judicio pollens historicus, *Joannes Stumphius l. V. cap. IX. pag. 51.* Qui ita refert. Nach dem die Römer dieser Landen vertrieben / und die gegne den Franckreichischen Königen unterthan / und dem Schwäbischen und Alemannischen Fürstenthum untergetheilt ward / ist diese Insel und Ow demselbigen Hertzogthum auch untergeben. Daß bezeuget das Alte Frawenkloster in dieser Stadt gelegen / welches von Graff Adelberten dem Landsfürsten und Rhetischen Herrn (des Keiserlichen Franckischen Hoffs Dienstman) erstlich gestifftet / und von Keiser Ludwigen dem anderen bestätiget und *Confirmiert* ward / *Anno domini 856*, oder nach etlicher rechnung *866*. Dieser Graff Adelbert sol

seyn

seyn gewesen von Geschlecht einer von Gravenspurg oder Altorff (jetz Ravenspurg genant) welches Geschlecht noch bey Keyser Friderichs des I zeiten in wesen und träffentlichem ansehen was. Die Uhrsache dieser Stifftung was/ das Graff Adelbert (der auch ein Lands Herr in Churer Rhetien was/) Rupertum seinen Feind/ der jhn des Lands vertreiben wolt/ in einem Streit bey Cizers/ zwischen Chur und Meyenfäld/ ꝛc. erschlagen hat/ und denselben also todt gen Lindaw führen/ und in dem new gestifften Closter bestatten lassen. Hievon besich weiter daß 10. Buch am 18. Cap.

Quoniam ita vult Stumphius, ex illo etiam decimi libri octavo decimo capite quædam huc adferemus. Umb diese Zeit (Anno Domini 840) lebte und herschet Adalbertus ein Sohn Hunfrid und Graff in Churer Rethien/ ꝛc. K. Ludwig der I hat ein Dienstman/ genent Rupertus/ der bewegt bemelten Keyser so viel/ daß er jhm die Churer Rhetiam zum eigenthum verliehe/ das geschach. Auff das Rupertus Adelbertum mit gewalt vertrieb/ und jhn seines Lands beraubet. Adelbertus zoch in Histriam/ seines Bruders N. (der ein Herr in Histria was) hülff begerende. Der zoch gewaltiglich mit jhm wieder Rubertum/ kahmen mit jhm zum Streit bey dem Dorff Zizers/ brachten Rupertum zur flucht/ in welcher flucht er von einem Roß zum Todt verletzt ward/ daß er den Geist auffgab. Den ließ Adelbertus in das Closter Lindaw führen/ und daselbst bestatten. Damit behielt er die Rhetisch Landschafft biß an sein end/ ꝛc. Idem paulò pòst addit: Umb diese zeit *Anno 860* hat in Churer Rhetia geherschet und gelebt Graff Adelreich ein Landsherr/ des vorbenanten Adelberti Sohn. Er hat ein Tochter/ Henna genennt/ die ward vermählet einem Graven von Lentzburg/ ꝛc.

Operæ videtur pretium addere hîc quæ Stumphus jam tum retulit capite & pag. præcedente. Illa autem sic sese habent. Darnach *Anno Do. 822* schicket Keyser Ludwig Hunfredum den Graffen von Chur in Botschafft zum Papst Paschali

gen Rom ꝛc. Dieſer Hunfridus was ein Herr in *Hiſtria* oder Iſterich/ und auch in Churer Rhetien. Er hat das Cloſter zu Schenniß in Gaſtern geſtifftet/ darvon hernach am 28. Cap. geſchrieben ſteht. Dieſes Hunfredi nach kommen werdend eins theils in nachfolgenden figürlein verzeichnet.

Hunfrid Herr in *Hiſtria* und Churer *Rhetia*.

- Adelbertus ein Graff in Rhetia — Adelreich ein Graff in Rhetien. — Henna Grävin zu Lenzburg/ Adelreichs Tochter/ *Anno* 890.
  - Adelbert Graff zu Lenzburg/ *Anno dom.* 920.
- N. ein Herr in *Hiſtria*, Hunfridi Sohn/ Adelberti Bruder.

IV. Hactenus Stumphius. Poſt hunc verò proximè audiendus meritò eſt *Martinus Cruſius* Annalium Suevicorum ſcriptor, velut is Stumphio eſt recentior. Ejus hæc ſunt verba *Annalium l. 1. parte 2. pag. 6.* de prima Cœnobii origine. *Anno 810 initium factum eſt Lindavienſis in Alemannia Cœnobii: de quo nunc breviter narrabimus: ipſum oppidum Lindavium alio tempore, ubi occaſio data fuerit, deſcripturi. Lindaugienſe (inquit Caſpar Bruſchius) Canoniſſarum nobili ſtemmate natarum, ab omni voto immunium, nullaq; Monaſtica veſte indutarum, nec ullo cœlibatus juramento ab honeſtis nuptiis excluſarum, Virginum, ampliſſimum Collegium, in lacu Acronio, & ejusdem nominis inſulari civitate, ſitum eſt; antiquitus Lendaugienſe dictum ob maximam ad locum naturâ portuoſum appellendi è lacu commoditatem. Cœptum eſt circiter ſalutis annum 810 ex munificentia Adalberti cujusdam, Comitis de Rorbach: patre Leotorobico nati, & Carolo M. conſanguinei, aulæq; Magiſtri ac Provinciæ Rhæticæ Præfecti. Hic enim cum quodam tempore procelloſis Acronÿ lacus fluctibus pene obrutus, de vita ſua deſpe-*

desperasset: votumq; fecisset, se in quem locum incolumis evasisset, ibi ad B. Virginis Mariæ honorem, templum & Cœnobium constructurum: in hanc fortè insulam ejectus eam purgavit: auxiliog; fratris Manegoldi Rorbachensis Comitis ceu voverat, condidit. Cœnobio autem nomen, à felici appulsu suo (seiner glücklichen zulándung) Lendoæ vel Lendaugiæ nomen fecit: quæ vox adhuc hodie accolis fere magis quam Lindaugiæ (von den Linden à tiliis ibi plantatis) usitata est. Fertur idem Adalbertus, opulentissimum quoque Lindoviæ Xenodochium fundasse. Postea autem, cum 841 Lotharius Ludovici Pii F. Imperii habenas invitis fratribus invasisset, occisus esse 19 Maji dicitur, ab exercitu Regis Germaniæ & Hunniæ Ludovici, qui Lotharii frater erat, non longe à Brigantino lacu: quamvis à Cæsare Lothario, præsidii loco in Rethia collocatus erat: ut probiberet, ne Caroli Calvi exercitus è Burgundionibus adveniens cum Ludovici fratris agmine jungeretur. Postea anno 866 (Munst. 856) ab Imp. Ludovico II Cæsaris Lotharii filio, datis privilegiis, & concesso fontibus asylo, confirmata est Adalberti Comitis, qui tam fidelem se Lothario præstiterat, hujus Cœnobii fundatio. Addita est hæc dignitas: ut Abbatissa hujus loci, cum aliis sacri Rom. Ecclesiasticis Prælatis, Princeps esset S. Romani Imperii: cui in publicis pompis liber præferretur: quemadmodum Buchaugiensi etiam Abbatissæ, in celebrioribus processionibus liber & gladius nudus antiquitus præferri solitus est.

Hæc omnia isthoc loco Crusius. Idem Crusius & in Paralipomenis cap. xx pag. 85 in hæc verba disserit. Anno deinde 810 circiter Adelbertus de Rorbach, Caroli Magni cognatus, è tempestate periculosa in hanc insulam elapsus Monasterium D. Virgini ex voto condidit: ubi nobiles virgines receptæ sunt, quæ tamen nubere possunt. Existimatur igitur Lindoviæ esse nomen Lendouua, vel Lendaugia à felici Adelberti huc appulsu, Zulendung in dieser Aw. Confirmato autem circa 866 quibusdam immunitatibus hoc cœnobio, ab Imp. Ludovico II, multisq; huc peregrinationibus religio-

nis

nis ergò fientibus, acceſſerunt ædificia etiam aliorum: ut cauponum & inſtitorum. Ita vicus inde factus eſt, ac poſterius, oppidum. Hactenus Cruſius.

V. Egit autem de hoc argumento etiam *Joannes Gulerus*, literis & armis vir juxta inſignis, in ſua *Rhetiæ hiſtoriæ* quam vernacula lingua edidit ſeculi hujus anno ſextodecimo. Nos hîc omnia etiam illius recitabimus, quamvis nonnihil prolixiora queant videri: quandoquidem opus illud Guleri in paucorum eſt manibus, & Hyperaſpiſtæ ad hunc teſtem præcipue non dubitaverunt provocare.

Ille igitur fol. .92 primam Cœnobii conſtructionem atque originem hiſce verbis narravit. Welches alles ſich zugetragen habe / zu den Tagen Caroli des Groſſen: unter welchem auch (nach etlicher meinung / auff daß abſterben hin Conſtantii des Biſchoffen zu Chur / Landvogt und Keyſerlichen Stadthalter über die Retiſche Provintz worden ſey Adelbert ein Graff / der mit hülff ſeines Bruders Graff Mangolds das Frawen Cloſter zu Lindaw an Bodenſee / im DCCCX Jahr / geſtifftet hat. Er ſol Kayſers Caroli Blutsverwandter / und ſeines Hoffs Dienſtman geweſt ſeyn. Etliche nennen jhn ein Graffen von Rorbach: andere von Buchorn: andere von Brägantz: andere / von Veringen: andere von Altorff. Ich kan an keinen Ort dieſer Sache halben einigen ſatten bericht nicht finden Dann die alten Inſtrumenten ſetzen die Geſchlächt und Herſchafften nicht / ſondern laſſen es allein bey den Taufnahmen bleiben. Es mögen der Adelberten mehr als einer / in unterſchiedlichen Herrſchafften geweſt ſeyn: alhie / wie auch an vielen andern Orten / kan nicht gewüſſes geſchloſſen werden.

Idem Gulerus fol. 94 ita loquitur. Zu dieſen Zeiten erhub ſich ein groſſer Kampff und ſchwerer Streyt in Churer Retien / von wegen der Landvogtey und Herſchung über dieſelbig gegne. Dann einer mit Nahmen Rupert Keyſer Ludwigs alter wolverdienter Dienſtmann / lag bemeltem Keyſer / der niemanden nichts verſagen kont /

ſo

so lange und viel in Ohren/ mit mancherley ungegründtem fürgehen/ daß er jhm die verwaltung Retierlands endlich einwilliget: welches Graff Adelbert/ Graff Hunfrieds Sohn/ und auch des Keyserlichen Fränckischen Hoffs Dienstman/ dem das Ampt eines Vorstehers über das Retische Gebiet ordentlicher weise auffgetragen war/ nit gut heissen wolte/ vermeint solches solte jhme/ dieweil er es nicht verwürckt hette/ mit solcher unfug nicht benommen werden. Aber Rupert wendet für/ der höchste Gewalt an denen Enden stehe bey dem Keyser/ der macht habe seines gefallens solchen zuverwenden: einjeglicher hat zu Hoff seine Gönner/ die jhm Recht geben/ und seine Sachen so viel müglich auffhielten. Mithin aber hat sich Rupert dermassen verfasset gemacht/ daß er an Volck und allerhand vorbereitung der gewaltiger war. Derwegen er seine Gegenpart mit Herrskrafft abtrieben/ sie jhres habenden Befehls beraubet/ und damit zuvollkomner Besitzung Retierlands kommen ist. Adelbert nam seine Zuflucht in Histrien zu seinem lieben Bruder Burckharden/ der in derselben Landschafft nach dem ableiben jhres Vaters herrschet/ und rufft jhm wieder diese gewaltthätige an jhme geübte vertreibung umb Hülff und Raht an: im welchem jhm der Bruder nicht ermanglet/ sondern alsbald sich seines Elends und Unglücks nicht minder hitziglich annahme/ als wann diese Sache jhne selbst antreffe/ derhalben er sich angehends so starck er immer mocht mit einem Kriegsheer verfasst macht: Zog drüber selbst eigner Persohn mit seinem Bruder/ durch die nechsten gelegenheiten/ wol versehen herauß. Hingegen feyret Rupert auch nicht/ sondern umbschlug sich allenthalben umb Hülff und Bestandt/ damit wann es ja Noht thun würde/ er wieder seinen Feind zur gegenwehr gnungsam und nach nohturfft verfast wehre. Hiemit/ da zogen diese beyde Kriegshauffen auff einen ander zu/ und kamen nicht über eine teutsche Meilwegs unter Chur/ beym Dorff Zizers zusamen/ stalten sich beederseits in gute Ordnung/ und grieffen einander Feindlich an. Der anfang des Streits war über die massen hart/ und verhielten sich

beyde Parteyen ein gute Zeit so Käck und Streitbar/ das man nicht wissen möcht/ wohin sich daß Glück des Siegs endlich neigen würde. Nach und nach aber nahmen die Adelbertischen überhand/ und schlugen endlichen Ruperten mit seinem Volck in die Flucht: In welcher Rupert von Pferde zu todt verletzt ward. Bracht jhn also sein Ehr und gut-geitz nicht allein umb sein Haab und Gut/ sondern auch umb sein Leib und Leben: Wie dann gewohnlich alle die in Unfall gerahten/ die andern Leuten nach dem jhrigen stellen. Er ward hierauff aus Adelberts befehl gen Lindaw an Bodensee geführt/ und auß Sanfftmuht deß Obsiegers/ daselbst im Frawen Closter ehrlich zur Erden bestattet. Damit behielt Adelbert die Retische Herrschafft biß an sein end: Die verbleib auch seinem Sohn Adelreich/ dem Vater Henne/ die einem Graffen von Lentzburg/ nachkomender Zeit/ als man nach der Menschwerdunge unsers Heylands gezehlet DCCCXC Jahr/ ist Ehlich versprochen und vermählet worden.

Idem Gulerus, agens de iis quæ contigerunt anno Christi DCCCXLI inter filios Ludovici Pii Imperatoris, hæc habet fol. 95. Keyser Leuther hat ein Kriegsvolck in die Retische Land geleget/ zuverhüten daß Ludwig und Carl mit jhre macht nicht möchten zusamen stossen. Diese Keyserischen werden unfern vom Bragentzersee/ von Könige Ludewigen/ deß X Tag Meyens geflüchtiget/ und jhr Führer Graff Adelbert/ der Retisch Landvogt/ auch viel redliche Leut mit jhme erschlagen. Etliche meinen dieser Adelbert sey nicht der Landpfläger in Rehtischen/ sondern ein ander Herrführer des Keysers gewest. Dergleichen zweiffels erhebt sich an vielen Orten in alten Geschichten/ weil die Nahmen und Titul der Graffschafften und Geschlächten von Keyser Heinrichs deß II Zeiten schier niemahlen zu den Tauffnahmen hinzu gesetzet würden: ja noch bey Regierung Keyser Heinrichs des IV ist dieß selten geschehen: Folgends aber ist solcher Brauch mit Nutz der Historien in übung kommen/ &c.

De Rhetiæ rebus post factam inter Pii Imperatoris filios divisio-

divisionem Gulerus porro ita scribit fol. 96. Dieser Zeit hatten die Römischen Keyser in Retischen Landen nichts mehr zu gebieten. Denn die Keyser musten sich der Landen vernügen die jhnen durch theilungen und eroberungen untergeben waren. Dergestalt hat weder Keyser Leuther/ so lang er seid der volgezogenen Landstheilung gelebet/ noch sein Sohn Ludwig/ der anno DCCCLV als der Vater in ein Mönchskutten geschloffen/ an seine statt Röm. Keyser ward worden/ unserm König Ludewigen dem älteren von Ostfrancken Germanien und Bäyren keinen eingriff in Retischer Beherschung thun mögen. Was daselbsten durch die hohe Obrigkeit verrichtet werden solt/ kam nicht für den Keyser/ sondern vor König Ludewigen. Sein Landvogt über Retien war Graff Adelreich Adelberts Sohn/ dessen oben gedacht. Die gemein Verwaltung aber deß gantzen Hertzogthumbs Schwaben war Berchtmairo anbefohlen: welcher dieselbig nachwerts König Ludwigs jüngstem Sohn Carolo freywillig übergab.

Adferemus postremò etiam partem aliquam Tabulæ Genealogicæ, quam idem Gulerus produxit fol. 91. Quandoquidem etiam illa pertinet ad Adelbertum putatitium Cœnobii conditorem, & Hyperaspista ad eam provocavit.

Geburts Tafel Hunfrieds/ Stiffters deß Closters Schennis.

Hunfried Herr in Histrien und Graff in Churer Retien

Adelbert Graff in Retien. Burchart Herr in Histrien

Adelreich Graff in Retien.

Henna/ Adelreichs Tochter/ anno DCCCXC ward vermehlet Arnolden Graffen zu Lentzburg

Vdalreich/ der Reich/ Graff zu Lentzburg anno DCCCCXX.

Reliquam Tabulæ hujus Genealogicæ partem, quia res nostras non tangit, omittimus.

VI. Noviſſimus, niſi fallor, omnium hoc argumentum attigit *Gabriel Bucelinus* Imperialis Monaſterii Weingartenſis Aſceta Theologus, Prior S. Joannis Baptiſtæ in Veltkirkirch. Ejus liber, cui titulum fecit: *Rhetia Etbruſca Romana Gallica Germanica Sacra & Profana Topo-chrono - Stemmatographica:* prodiit in lucem Auguſtæ Vindelicorum anno demum hujus ſeculi ſexageſimo ſexto, atque ita totis viginti poſt librum Cœnobialem Lindavienſem annis.

Hujus autem hæc ſunt verba Rhætiæ pag. 171. *A. C. 827. Rhætiæ Præſidem agit Adalbertus Agilolfingus, Hunfridi, de quo ſupra, Rhætiæ Comitis filius, fundator Monaſterii Virginum Nobilium Lindavienſis, una cum fratribus Mangoldo & Vdalrico ibidem ſepultus. Quorum ibidem inſignia vetuſtiſſima produnt, ex Altorfii Comitibus non Veringæ ſive Linzgoviæ, Buchornii & Rordorfii fuiſſe oriundos, cum hi omnes diverſiſſima à Leone Agilolfingico & Guelphico inſignia geſtaſſe, compertiſſimum habeatur. Fragmentum Geneſeos ſubiicimus.*

Hunfridus ex Adelberti ſive Adalrici & Ethiconis poſteris, qui Alemanniæ atque Alſatiæ Duces extitere, ipſe Præſes Rhetiæ creatus & Comes ejusdem dictus Dominus Hiſtriæ & Rhætiæ Curienſis.

Adelbertus Comes Rhætiæ Curienſis &c. Præſes. — *Burcardus Dominus Hiſtriæ.*

Adelbertus, Albertus ſive Adelricus, Comes Palat. Fundator Lindav. — *Mangoldus ſive Manegodlus Comes Palatinus Rheni.* — *Vdalricus Comes Palatinus Rheni ſepultus cum fratribus.*

Henna ſive Hemma ex Comitibus Palat. Rheni: uxor Arnoldi Comitis de Lenzburg, mater Vdalrici Divitis, avia Arnoldi junioris, proavia Vdalrici.

Ejusdem Bucelini hæc quoque verba ſunt p. 173. *A. C. 837. Celebre nunc nomen in Rhætia Adalberti, filii an nepotis, ejus de quo pridem*

pridem Hunfridi Rhætiæ Comitis, qui à Langaro fluvio rerum potitus usq; Brigantium & Lindovium, is ipse, quem conditorem Lindavienſis Parthenonis ſupra memoravimus. Hunc etſi ſanguine Cæſari & Regibus junctum, ſuſpectum credulo nimium Cæſari Rupertus quidam reddidit, tantumq; effecit, ut ipſe pro Adelberto Rhætiæ præeſſe juberetur. A. C. 838 Adalbertus aà fratrem ſuum Burcardum Hiſtriæ Comitem profugerat. Qui hoc anno auxiliis fratris ſubnixus, Rhætiam cum exercitu repetens, Rupertum calumnitatorem bello petiit. Pugna prope Ciceronis pagum (Cicers vulgo appellant) acri contentione ſuſcepta fuit, qua Rupertus occubuit, quem Adalbertus injuriæ immemor, honorificè admodum in ſuo Lindavienſi Cœnobio ſepeliri curavit.

Item pag. 174. *Anno C. 839. Liberati tyranno Rhæti, dum ſub veteri domino quieſcere ſperarent, novo tumultu omnia denuò concitantur* &c.

Item eadem pagina: *A. C. 841. Ludovico & Carolo Regibus fratribus Lothario bellum inferre parantibus, hic collecto ex Rhætis exercitu, cum Ludovicus aſcitis ſibi Francis Saxonibus Haſſis & Sclavis per Sueviam in Gallias tenderet, prope Brigantium occurrens, impedire conatus eſt, ſed fruſtra, cum ille prævalens viribus noſtros facilè retunderet & in fugam ageret, non paucis eo prælio, eosque inter Adalberto Præſide noſtro, ſummo totius patriæ luctu deſideratis 10. Maji.*

Sequente poſtremo *pag.* hæc leguntur. *A. C. 842 Adelricus Præſes ſit Rhætiæ.*

Poſt hoſce ſex denique audiendus omnino nobis fuerit ipſemet etiam *Hyperaſpiſta*. Huic enim Diploma Cœnobiale fuit in manibus, imo ejus defenſio ſuſcepta eſt. Itaque ſaltim veroſimile jam tum eſt, illum reliquis fuiſſe cautiorem, & quicquid allatum ab illo, præ aliis ſi non verum, ſaltim ſpecie veri non carere. Verba ejus hæc ſunt poſt recitata nonnulla Guleri pag. 18. Daraus wir nit nicht allein unſer VII.

intent so weit bestättigen / das dieser berühmte Landtvogt in Rhetin Adelbertus/Graff Hunfriedens Herren in Histrien/und Graffen in Churer Rhetien Sohn/Graff Burckhardten Herrens in Histrien Brüder / nicht alleine (wie Gulerus in der Geburts Tafel besagten Hunfrieds/ als Stiffters deß Closters Schennis in dem allegirten 7. Buch Rhetischen Sachen fol. 19. bezeuget) sey der erste Urheber und Hauptstiffter / dieses uhralten Stiffts gewesen / sondern auch daß er mit Fug und Vernunfft nicht könne angeben werden für den Heerführer Keysers Lotharii/welcher anno 841 in der Schlacht bey Bregentz in daß Graß gebiessen. Dann weil er kurtz zuvor/ nemlich umb daß Jahr 838 wieder willen und verordnung Ludovici Pii, den newerlich auffgestelten Rhetischen Landtvogt mit Kriegesmacht überzogen/ und sich selbiger Landtvogtey Steghafft bemächtiget (welche expedition sich leichtlich biß auff anno 840 da Ludovicus gestorben/ hat können erstrecken) ist nicht zuvermuhten/ das Lotharius, diesem seinem Herrn Vater wiedersetzlichen Landvogt hab die Armee wieder seinen Bruder vertrawet / oder daß er Adelbert auff Lotharii seiten sich gelencket. Als der zubesorgen hette/ Lotharius, so im gantzem Regiment dem Herrn Vater wolte gleich gehen / möchte dessen intention in anderwertiger bestellung Rhetischen Landtvogtey nach setzen / und den Todt Ruperti/ auch sein Adelberti Wiedersetzligkeit rechen. Derowegen nit zuzweifelen er habe sich alsbald auff Ludovici Germanici seiten begeben/ von jhme der Rhetischen Landvogtey confirmation erhalten/ und noch viel Jahr gemelten Ludovico solche trewe tapffere Dienste geleistet / daß er billig das prædicat Fidelis Vasalli eines trewen Lehen und Dienstmanns/ und die Ehre Comitis Sacri Palatii eines Pfaltzgrafens verdient: auch werth gewesen das auff sein begehren Keyser und König Ludwig / daß von jhme Adelberto gestiffte Gottshauß Lindaw nicht allein zu confirmiren / sondern auch mit herlichen Privilegiis und Freyheiten zubegaben/bewegt worden.

Diese sein längere biß auff die Stifft Lindawische confirmation

und

und darüber außlauffende Lebenszeit wird gantz glaubwürdig daher erwiesen: daß seines Sohns Adelreichs Tochter Henna erst in anno 890 ward vermählet Arnolden Grafen zu Lentzburg/ wie Gulerus l. c. f. 91. b. und wiederumb f. 94. b. auch Stumpfius lib. 10. cap. 17. fol. 584. a. und cap. 18. f. 585. b. bezeugen. Wann dann unser Stiffter Adalbertus (wie mans in gemein unbedachtsam ohne Grund vorgibt) anno 841 gestorben/ und Adelreich sein Sohn als gleich nach jhme die Rehtische Landtvogtey angetreten/ weil nit zu zweiffeln/ er sey damahls so zu schwärer Amptung qualificirten Alters und also von 25 in 30 Jahr gewesen: so hette er Adelreich bey der Hochzeit seiner Tochter 70 oder mehr Jahr erreichet/ und wäre sie Henna/ als welche vermuhtlich gemainen Lauff nach von jhme in frischen jüngern Jahrn erzeugt worden/ ein funfzig oder mehr jährige verlegene Hochzeiterin gewesen. Hæc omnia habet quoque Hyperaspista. Alia enim ejusdem heic adducere, nullum fuerit operæ pretium.

CAPITIS X.

Pars altera.

Examen septem de Adalberto perq; eum condito Cœnobio narrationum.

HISCE SEPTEM de Adalberto & prima cœnobii origine narrationibus auditis, possumus jam inoffenso pede ad earum examen progredi. Præsertim quoniam satis fortè feciſſemus officio nostro: si unicum duntaxat Hyperaspistam audiviſſemus.

In universum autem *ante omnia* hoc jam est ceu demonstratum atque certum habendum: conditorum Cœnobii neminem ADELBERTUM fuisse nominatum. Illo autem posito jam tum liquet, omnes illas quas attulimus narrationes

nes esse erroneas; saltim ea parte quâ Adalberto alicui primam tribuunt Cœnobii originem.

Secundò attendendum cumprimis etiam hoc est: omnes illas narrationes esse perquam recentes, superiore videlicet & hoc seculo demum natas. Quales non sunt idoneæ testes rerum octingentis retro annis gestarum, nisi accesserint ex veteri ævo petita bonæ fidei documenta. At verò ad talia quædam prisca monumenta, nemo illorum narratorum provocavit vel uno verbulo. Quidam non obscurè significaverunt, Adalbertum à sese credi conditorem Cœnobii, quandoquidem Diploma Cœnobiale ita refert: reliqua sese debere vulgi variis traditionibus aut conjecturis. Hinc autem manifestum est: etiamsi à nobis non esset demonstratum, à nullo Adalberto Cœnobium esse conditum, tamen narrationes illas cùm in universum omnes, tùm singulas quasque non mereri certam fidem.

Quantumvis autem, hæc cum ita sese habeant, non sit necessum, ulteriorem aliquam operam impendere in censuram singularum narrationum; ne desim tamen aliquâ in re veritatis patrocinio, etiam illum laborem non subterfugiam. Nisi autem fallor, luculentum mox erit, *Primò* nemini narratorum præterquam Hyperaspistæ, illorum Diplomatis vel apographum fuisse lectum. *Secundò* etsi in nominando Adalberto nonnihil juvent Diplomatis fidem narrationes illæ, nullam tamen earum non adversari Diplomati. *Tertiò* saltim plerasque illarum narrationum planè ἀσύμφωνα referre: atque adeo nec cum sibimetipsis convenire, invicem verò omnes secum pugnare.

Progrediemur autem in examinandis istis narrationibus illo ordine quo à nobis sunt in medium adductæ. Ac
I. proinde in BRUSCHII narrata primò omnium inquiremus.

Princi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [184] - 160

Principiò igitur attendendum, Bruſchium ſolere non niſi Cœnobialium hic alibi acceptis relationibus niti; atque adeo quæcunque hîc narrat non aliunde quàm à Lindavienſibus cœnobitis ſuæ tempeſtatis eſſe accepta. Id ipſum verò etiam inde confirmatur, quandoquidem Bruſchius ſuæ narrationis nullum hoc loco nominat teſtem ſive veteris ſive recentioris ævi. Quid autem illis ſit narrationibus fidendum, nemini non jam tum conſtat. Hyperaſpiſtæ eorumque amici indubie probabunt Caroli Stengelii ſententiam, qui *præfatione in Monaſteriologiæ partem primam*, non dubitavit iſthoc uno nomine Aubertum Miræum *Originum Benedictinarum* ſcriptorem lectoribus ſuſpectum reddere, *quod Bruſchio, qui res monaſticas non bona fide tractavit, nimis fideliter inhæſerit.* Quanquam ego, fides Bruſchii cur ſit in dubium vocanda non videam: deceptum autem ſæpiſſime à ſuis relatoribus virum bonum quidem ſed credulum, & induſtria magis quam judicio valentem, etiam ipſe affirmo.

1. Et vero in hac ſua narratione haud injuria dixeris, hominem ſtatim quaſi in janua impegiſſe, dum ait: Cœnobium *antiquitus Lendaugienſe ob maximam ad locum natura portuoſum appellendi è Lacu commoditatem dictum*: paulo poſt verò ſcribit, primum Adalbertum, cum ſalvus ex procelloſis Lacus fluctibus in inſulam iſtam appuliſſet, ab illo eventu & felice appulſu, inſulæ nomen *Lendoæ* vel *Lendogiæ* dediſſe. Nec enim quod primo & uni Adelberto evenit, idem ἁπλῶς attribui loco poteſt. Non tamen nunc illas minus accuratas affirmationes Bruſchio vertemus vitio. Eſſe autem omne hoc de nomine ab Adelberti appulſu inſulæ indito, inane commentum, certiſſimo argumento illud eſt, quod in nullo monumento vetuſto compareat *Lendau* aut *Lendaugia*, ſed *Lindaugia*. Imò nos infra adducemus certiſſima teſtimonia, ex ipſomet ſeculo nono decimo & undecimo (ne nunc dicamus

de seculis omnibus sequentibus) ubi *Lintauiæ* & *Lindaugiæ* vocabula supersunt. Quod hodie vulgus interdum *Lendau* loquatur: non meretur adduci in argumentum fabulæ, contra perpetuum usum veterum monumentorum, & loquelam meliorum quorumvis nostri ævi, quia nemo ignorat quàm soleat rudis plebs vocabula pronunciando corrumpere. Rectè Stumphius vir judicio valens scribit l.v.fol.51. Lindaw hat jhren Nahmen von der Insulen darauff sie gebawet ist/ welche die Teutschen gewönlich ein Ow nennend/ als Meynow im unterm Bodensee/ Reichow im Cellersee/ Agtnow und Lägulow im Zürchsee ꝛc. und darzu von den Linden so man gewönlich in die Owen setzet/ denn man alda an etlichen Orten noch sicht. Et vero ut Büchow à fagis ita Lindow à tiliis accepit nomen: eoque jam à plurimis seculis inclutæ Urbi tilia pro insigni est. Nec ipsummet Cœnobium *Lentou* audiit in suis tabulis unquam. Adversatur quoque hoc ipsum Cœnobiali Ludoviciano Diplomati, ubi de Adalberto scribitur: *obtulit obtutibus nostris quoddam Cœnobium sanctimonialium nomine LINDAVGIA.*

Quamvis perquam sit verosimile, natam, de Adalberti in insulam divino quasi appulsu, & hinc dato insulæ nomine, fabulam, in ipso Cœnobio; ad conciliandam monasterio apud rude ac superstitiosum vulgus sui loci venerationem, & affectati in totam insulam juris aliquem prætextum. Idque pene communi hominum morbo. Qui jam tum Titum Livium ita fecit Historiæ suæ Romanæ præfari. *Quæ ante conditam condendamve urbem, poëticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare nec refellere in animo est. Datur hæc venia antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat.* Sed in promptu veritati hic quidem vindictæ occasio est. Si vera enim fabula, mendax est Diploma. Ac proinde sua isthac fabulâ plus perdit Cœnobium quàm lucratur. Quin etiam

infra

infra nos probabimus, extra insulam primò fuisse conditum Cœnobium, atque isthuc migrasse, cum jam pridem oppidum ibi vigeret *Lintau* nomine. Quibus omnibus fabulæ vanitas evertitur.

2. Æque commentitium & fabulosum est id quod Bruschius narrat, de Adalberto *Caroli Magni consanguineo Sacri Palatii Magistro & Provinciarum Rhætiarum præfecto* : ab illo conditum fuisse Cœnobium anno seculi noni decimo. Enimvero jam tum liquidò demonstratum est capite præcedente, nullum Adalbertum aut Palatii Comitem Cœnobium illud condidisse. Nullum quoque isthac ætate audiisse *Sacri* Palatii sive Comitem sive Magistrum, nec Palatii Comitem potuisse tum simul Præfecturæ alicujus provinciæ vacare, sequens caput docebit. Diplomati quoque ipsi omnis hæc fabula contradicit. Si enim conditum jam est Cœnobium anno seculi noni decimo, non potuit illius conditor anno demum seculi sexagesimo sexto petere Cœnobio à nepote Caroli Magni privilegia immunitates & alia beneficia. Debuisset etiam illius consanguineitatis aliqua in Diplomate fieri mentio. Et verò fertur Diploma quoddam ipsiusmet Caroli Magni, concessum Monasterio Divitis Augiæ, in qua Adelberti illius cognati Carolini memoria reperitur satis honorifica. Etiam illud Diploma commentitium esse, fortassis aliàs ostendetur quidem: aptum tamen est monstrare, ab impostore isto rectiùs fuisse observatum τὸ πρέπον quam ab illis qui Bruschium deceperunt. Quandoquidem illius Diplomatis etiam in hoc commentario nostro erit usus, nos illud hoc loco recitabimus, ut duntaxat etiam illa quæ jam tum diximus liquidò omnibus appareant. Dabimus autem, prout habetur in laborioso & præstante opere Martini Mageri *De Advocatiâ armatâ cap. V. n. 434.*

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE Trinitatis. CAROLVS divina favente gratia Imp. Augustus. Si sanctorum Monasteriorum loca ne labantur frequenter sustentamus, sustentando ditamus, non solùm Deum per hoc nobis placamus, sed etiam nostri totius regni statum corroboramus. Quapropter omnium præsentium ac futurorum comperiet industria, qualiter Vlmam nostram regalem villam pro animæ nostræ ac parentum nostrorum remedio ad monasterium, quod constructum est in insula quæ in Alemanniæ partibus sita Sintleohesuna nuncupatur, ubi venerabilis præsul Hetto spirituali turmæ præest, cum omnibus appendiciis suis & locis adjacentibus tradimus atque transfundimus, ut fratres ibidem regulariter subsistentes, & divino operi die noctuque jugiter insudantes, dum à nostris sumptibus alacriter procurantur, assiduis eorum precibus Deum nobis propitium facere dignentur. Vtque prædictus Hetto cum fratribus suis, monachis videlicet atque clericis, in præfata insula, exterioribus curis remotis, Deo servire liberius, atq; securius insistere valeat, cum ipsius Abbatis desiderio suorumque monachorum rogatu, ADELBERTVM cognatum nostrum in supradicta Vlma Advocatum ac defensorem constituimus, & eundem, quia quales futuri homines sint ignoramus, ne statuta nostra vel quisquam suorum successorum transgrediatur, in præsenti eum juramento tenaciter obligamus. Hac de causa nostræ placuit providentiæ, eodem Adelberto

defuncto

defuncto, in præsentia Abbatis suorumque successorum ac fratrum, videlicet monachorum, hac perpetua potestate: ut sapientum usi consiliis ex his, quos inter potentes seculi noverint & invenerint meliores & æquitatis amatores, eligant huic loco, sicut & in cæteris locis suis, competenter Advocatos & defensores: eo tamen tenore, ut quandocunque sui commissi prævaricator, aut in rebus vel hominibus, quod vulgo **Balmund** dicitur, existat, statim sine mora sine judicio Advocatiam perdat. Qui Advocatus & omnes sui successores, quale servitium in præfata villa Vlma ab Augensi Abbate ejusdemque ministris deinceps percepturi, vel qualem justitiam ipsi Abbatibus sint facturi, breviter hîc determinavimus. Statuimus ergo & præcipimus, si præsens ADELBERTVS Advocatus vel quisquam suorum successorum in prædicta villa placitare voluerit, quando vel qualiter aut quoties hoc fiat, in Abbatis arbitrio pendeat, & ab eo disponatur: ut non cum pluribus quàm cum triginta equis ad placitandum veniat, & tale servitium, quale tunc reperitur, & quod prædictæ militum & equorum multitudini congruat & sufficiat, eidem Advocato prælibato Abbas decenter & honestè exhibeat. Et ut hoc nunc & in futuro cunctis pateat, regali nostro imperio sancimus & confirmamus, ut nullus Advocatus in præfata villa majus servitium ab Augensi Abbate vel suis ministris quasi ex debito exigat, aut ad libitum sibi statuat ipse, sive quasi ex jure ultra statutum quicquam usurpare sibi vel vendicare audeat.

Insuper statuimus atque jubemus, quicquid placitando acquirit, tertia parte sibi retenta, duas Abbati reddat, & nullum Advocatum vel exactorem præter se sine Abbatis permißione constituat. Addimus, quod nihil privati muneris vel servitii in eadem Villa, vel à quolibet locorum illuc pertinentium, sive à cellariis, quasi ex debito & statuto sibi jure exigat, ac mansiones vel pernoctationes uspiam frequentare audeat. Quod si præsens Advocatus vel quisquam suorum successorum hæc nostra statuta transgrediatur, sine judicio & absque spe recuperationis jubemus, ut Advocatia statim privetur, & alter fidelior ac justitiæ amantior sano consilio in ejus locum subrogetur. Et ut hoc scriptum nostrum atque decretum ab omnibus firmiùs observetur & obnixius, annuli nostri signo sigillique impreßione firmari jußimus. Dat. Anno Salutis 813.

Hactenus Diploma. Pergemus nos ad alias fabulas quibus Bruschius imponi sibi pallus est à Cœnobialibus. Priùs verò meretur observari, dicere Bruschium, *Adalbertum à fratre Mangoldo Comite à Rorbach adjutum Cœnobium construi feciße*: nulla facta mentione tertii Ulrici. Hoc sanè suspicari quem faciat, ætate Bruschii, non fuisse conspicuas in sacello sacræ ædis Cœnobialis trium sed duorum duntaxat conditorum imagines. Mihi tamen pro fide illius conjecturæ animus non est cum quoquam contendere.

3. Cum nullus autem Adelbertus condiderit Cœnobium, indubie fabulosum quoque est, illum *Xenodochii Lindavienßis fuisse fundatorem*. Ne nunc urgeam, Xenodochium illud ab ullo conditorum Cœnobii esse institutum, hactenus non esse probatum, nec probari posse. *Opulentiam* certè Xenodochii

dochii neutiquam deberi beneficio ullius Cœnobialium conditorum, ne defensorum quidem aliquis temerè negaverit: etsi fortassis de suo etiam aliquid eleemosynæ in pios Xenodochii usus singuli Cœnobii conditores contulerint. Benè tamen in hac narratione sibi ipsi cavit Bruschius: dum nihil hujus ipsemet asserit, sed addit: *dicitur*. Namque tale quid *dictum* Bruschio esse, credimus facilè; etsi id quod *dictum* est à vero fuerit alienum.

4. Adalbertum porrò Caroli Magni cognatum & Palatii Comitem, anno DCCCXLI in prælio fuisse interemptum non procul à lacu Brigantino, fabulosum itidem est. Qui enim tum temporis cæsus est à Ludovico Germanico Adalbertus, fuerat quidem Comes Palatii apud Ludovicum Pium Imperatorem, (id quod saltim verosimile jam tum fecimus *pag. 77*) illum autem Carolo M. fuisse consanguineum aut ejus Palatii Comitem, ne quidem habet speciem veri: quia de hoc Adalberto ejusque cæde, & Annalium Francorum auctor, & Nithardus cumprimis *l. 2. de dissidiis filiorum Ludovici* non semel egerunt, sed nullo facto indicio minimo ejus cum Carolo Magno aut Imperatore Ludovico Pio sanguinis vinculi: neutiquam id omissuri, cum præsertim in ejus moribus describendis Nithardus nihil dissimulaverit *pag. 454* editionis Wechelianæ.

5. Fabulosum itidem esse, quod Ludovicus Lotharii filius Imperator anno 866 Privilegiis confirmârit à cœso illo Adalberto conditum Cœnobium, liquet jam tum ex iis quæ docuimus *cap. V.* Nihil scilicet in Germania fuit juris illi Ludovico Imperatori, ac proinde nec Cœnobio privilegia potuerunt ab illo concedi. Diploma porrò Cœnobiale, quò respicit Bruschius, disertè affirmat, ipsummet Cœnobii conditorem Privilegium petiisse atque impetrasse. Dum Bruschius itaque tradit, conditorem jam periisse anno quadra-

gesimo

gesimo primo seculi noni, aperte contradicit Diplomati. Quod non facturus indubiè fuisset inspecto ante Diplomate: ut omninò sit certum, ne apographum quidem Diplomatis in Bruschii fuisse manibus.

6. Fabula præterea est, asylum esse sontibus constitutum anno seculi noni sexagesimo sexto. Nec enim ejus in Diplomate vel leviſſimum exstat vestigium. Hyperaspista *cap. IV pag. 32* conatur quidem Jus illud Asyli etiam ex Diplomate arcessere, quandoquidem scilicet ibi cavetur, ne quis judex secularis *homines tam ingenuos quam & servos super terram ejusdem monasterii commanentes distringendi* habeat potestatem. Verum hæc quidem interpretatio vim facit ipsi Diplomati. Non enim illi qui fuga sese aliquem in locum proripiunt, quos etiam asylum liberat, ibi *commanentes* dici solent, sed duntaxat illi qui alicubi fixam habent sedem. Ad *Terram* porro *monasterii* pertinent etiam curtes, agri, & reliqua loca quæ à monasterio possidentur: non sola autem Cœnobii domus. Nemo tamen hactenus adeo fuit impudens & iniquus, ut arrogare ausus fuerit Cœnobio jus asyli in omnes etiam agros aliaque loca quæ Cœnobium possidet: etsi immunitatem à judicio seculari, personalem pariter realemque, habitatoribus istorum locorum studuerint vindicare. Ad rem etiam nihil facit quod ex *lege III Alemannorum veterum* adducit Hyperaspista *de liberis servisve ad Ecclesiam fugientibus*. Primò enim lex illa solis Ecclesiis istam concedit libertatem, non autem extenditur ad omnem Ecclesiasticam *terram*, quod hîc sequitur ex Hyperaspistæ interpretatione. Non etiam secundo lex illa judicem secularem ordinarium omnem cohibet, sed solos privatos quoslibet: quod ex historia temporum istorum notum est: ac proinde, non nisi hactenus lege isthac asyli aliquod jus Ecclesiis est datum. Quæ porrò ex Munstero & Friderici III Imperatoris rescripto adducit Hyperaspista, probant

bant quidem, Cœnobium sibi arrogasse jus asyli in refugium sontium, ast illud esse in Diplomate Ludoviciano concessum, neutiquam probant. Inepta porro est probatio juris asyli quam Hyperaspista adfert ex nummis quibusdam: ceu infra suo loco demonstrabitur. Et verò quî manus amputatæ signum denotet jus asyli? Utque denotet, non profecto probat jus asyli à Ludovico esse concessum.

7. Fabula denique etiam est: *additam* tunc temporis *istam dignitatem ac prærogativam singularem, ut Abbatissa Cœnobii cum aliis Sacri Imperii Ecclesiasticis Prælatis Princeps esset Sacri Romani Imperii, cui in publicis pompis liber debeat præferri.* De hac certe dignitate ne χεὺ quidem extat in Diplomate. Ut proinde non minus hîc quam cum de asylo constituto ageret Bruschius, à Diplomate multum fuerit diversus: indubie quod nihil ejus ipsemet legisset. Sed & vereor, ut liquidò probari vel uno exemplo queat, in solennibus pompis librum Abbatissæ olim præferri solitum. Dignitatem porrò titulumque Principis ne hodie quidem sive Spirense Judicium sive Cæsaris aula Abbatissæ attribuit. Et cæpisse à nonnullis Abbatissas ita honorari demum intra hosce ducentos proximos annos, recte monuit probavitque Consultissimus Heiderus, in eruditissimâ responsione ad *Septimam Ingestionem* Cœnobii, qua de Principali Abbatissæ dignitate agitur, magni *Apologetici operis pag. 53.* Cui dissertationi oppositum fuit sese quidem Cœnobiticus Hyperaspista *cap. IV*, integra sua deductione quarti quod vocat Argumenti, cum primis verò à *pag. 64*: non ausus tamen est, originem Principalis dignitatis suæ Abbatissæ vel à tempore lati Diplomatis, vel ab ejus constitutione intrepide arcessere. Diserte imò scribit *pag. 61.* Es sey nicht gewiß / umb welche Zeit ein Abtissin die Fürstliche *dignität* und *titulatur* erlanget. Tametsi quoque velit, vi Ludoviciani Privilegii data Abbatissæ jura fisci & territorii

ritorii (de qua re alias) atque ita esse jacta fundamenta Principalis dignitatis, fatetur tamen, das nicht alle die damit (nempe illis laudatis juribus) begabt/ als viel Prælaten Grafen und Herrn/ zu Fürsten erhebt werden oder worden; Item: Ob wol die austrückenliche Worte des *Privilegii* nit also lauten. Tantumque asserit, daß nit unglaublich / *Ludovicus Germanicus* habe die Eptissin zu Lindaw mit Fürstlichen Würden begabt. Quæ verba arguunt hominis animum, avidum quidem tuendæ iniquæ πλεονεξίας, vi veritatis tamen ad agnitionem recti subinde compulsum, atque ita fluctuantem inter veri & falsi amplexus.

Et verò ipsum quoque Cœnobium nunc hoc nunc illud asseruit. Etenim legitur *pag. 51* magni operis Heideriani, coram Judicio Provinciali Sueviæ in libello oblato 4 Octobr. Ann. 1638, sine rubore hæc verba à parte Cœnobii esse adducta. Die Stadt Lindou sey überflüssich *informiret* / daß ein Fraw Abtissin deß Fürstlichen freyen Stiffts (zu Lindaw) von Keyser Ludwig den Andern zu einer Fürstin des Reichs erhebt worden sey. *Pag.* autem *516 lit. g* producitur epistola scripta ab Abbatissa Susanna ad Commissarios Cæsareos, ubi post breviter relatam summam Diplomatis ita scribitur: Und ist diese Gottselige *fundation* so standhafft und erträglich gewesen/ das mit der Zeit/ meine in Gott ruhende Vorfahren / zu des heiligen Römischen Reichs Fürstlichen Stand und *dignität* erhoben.

Paulo aliter sese gesserat Hyperaspista *pag. 34*. Ubi Ludoviciano Diplomate asserit concessum duntaxat Cœnobio jus Status immediati inter Ordines Imperii: additis hisce verbis: Ferner folget aus dickermelten dem Ludowigschen *Privilegio inserirten Regalibus* und Herligheiten / das ein Abtissin zur Lindaw allezeit ein unmittelbahrer Stand des Reichs gewesen. Und hat also ein gnugsahmes *fundament Ludovicus Germanicus* in erwehnten *Privilegio* geleget / aus dem hernach die Fürstliche Würde und

de und Hocheit erwachsen. Ob wol / wann ein Frau Abtissin die Fürstliche Würde und *prædicat* angefangen zu führen / und auff was weise jhr diese *dignität* ist *conferiret* worden / nit bewust ist. Idem *pag. 35* fatetur: nullum reperiri indicium tituli Principalis ab Abbatissa usurpati ante annum 1471. Atque adeo, quod Heiderus dixit de titulo illo intra ducentos annos demum accepto, cogitur etiam invitus approbare. Nec potuit illi, quod Heiderus affirmavit, titulo Principali non solere vel Cæsarem vel Cameram Spirensem dignari Abbatissam *pag. 34.* aliud quidquam opponere Hyperaspista, quam semel à Carolo V & semel à Ferdinando I aliter factum. Heiderus proindè recte utriusque loci usitatum & ordinarium scribendi stilum ursit: non attentis iis quæ semel iterumque scribarum incuria contigerunt. Non est quur hoc loco tangamus quod ex Munstero adfert Hyperaspista, quia est nimis ineptum. Non etiam illud ex Wehnero petitum, quasi Wehnerus Heidero repugnantia dixerit: quod falsissimum esse unicuivis patere potest, quia Wehnerus Lindavienſis Abbatissæ tituli Principalis non meminit, nec illum hodie receptum esse negavit Heiderus. Et vero de hisce forte plusquam satis jam est actum.

Cæterum ut summatim isthæc omnia complectamur. Perinde velut in aliis ita & in eo quod Ludoviciano Privilegio collata Abbatissæ Principalis sit dignitas, bono Bruschio egregie fuit impositum: quamobrem etiam hæc ejus relatio non potuit non esse fabulosa.

Quàm Bruschii quidem igitur à Cœnobio accepta traditio tantum non tota sit fabulis referta plus satis jam est manifestum. Consequens est ut in SEBASTIANI MVNSTERI narrationem inquiramus, quam fidem mereatur. II.

1. Etiam Munsterus verò primùm ἀσύστατα narrat: Adalbertum fuisse consanguineum Caroli Magni & ejus nepotis Comitem

mitem Palatii, & tunc demum condidisse Cœnobium, quod non multo pòst Ludovicus secundus anno 866 confirmaverit. Consanguineus enim ille Caroli Adalbertus jam tum imperante Carolo minimùm fuit virili ætate: quomodo ergo par fuit fungendo officio Comitis Palatii regnante nepote Caroli, & quidem adhuc anno 866, quinquaginta amplius annos post Carolum defunctum? Adhoc, ceu jam tum diximus, adversatur illud Diplomati, quod utique mentionem feciſſet illius neceſſitudinis & vinculi conſanguineitatis, ſi quod fuiſſet. Hæc itaque prima eſt Munſteri fabula.

2. Quæ ſubjungit porrò Munſterus de Adalberti ad inſulam appulſu, & Cœnobio hinc indito nomine, jam tum convicta ſunt falſi. Itaque poſſunt & illa fabulis ſecundo loco accenſeri.

3. Quem hoc loco deſignet auctorem Privilegii anno 866 conceſſi, non diſertè expreſſit Munſterus. Quantum ille autem aliàs hac in re peccaverit, dictum jam eſt *pag. 107* Demonſtravimus autem nos, neque à Lotharii filio qui verè fuit Imperator id nominis ſecundus, neque à Ludovico Germanico Privilegium illud eſſe conditum. Itaque hoc etiam tertia poteſt fabula numerari.

4. Comites Rorbachienſes locupletaſſe Cœnobium, nullo certo documento poſſe adſtrui, argumento eſt quoniam Stumphius Gulerus & alii qui ſumma adhibitâ induſtriâ vetera omnia illarum regionum monumenta excuſſerunt, nihil tale affirmant. Sit itaque hæc fabula quarta.

5. Nullam quoque meretur fidem Munſteri narratio de frequentibus religioſis peregrinationibus ad Cœnobium inſtitutis. Saltim enim ſeculo decimo & undecimo non fuiſſe Cœnobium in exiſtimatione vitæ ſanctiſſimæ, infrà docebitur. Nec ulla ſupereſt memoria divinorum miraculorum quæ ibi primis iſtis ſeculis contigerint: qualia ſolent religioſos

giosos peregrinatores allicere. Potest itaque hoc censeri Munsteri fabula quinta.

6. Quod porro retulit Munsterus, de constitutione Abbatissæ, jam opulento reddito Cœnobio, quemadmodum gerere sese debeat Advocatus, illud liquidò ostendit non esse Munstero lectum Diploma. Certe huic adversatur. Diploma enim vult, constitutionem illam jam tum anno 866 circa Cœnobii initia esse factam, & à Ludovico ipso Imperatore non autem ab Abbatissâ. Sed & notum, tales constitutiones condere non esse Abbatissarum: sed eorum qui summâ valent potestate in ipsos Advocatos, qualis numquam competiit Abbatissis. Numerari igitur poterit hoc in fabulis loco sexto.

In quo numero nunc desinam. Etsi etiam illud quod habet Munsterus de Abbatissa, quasi jam tum olim fuerit habita in censu Imperii Principum: quod item Advocatus Wasserburgi vixerit, quum id non nisi de præfecto sit verum: haud injuria prioribus septimo & octavo loco queant accenseri.

Multum diversus à Bruschio pariter & Munstero est III.
STVMPHIVS, longe etiam magis quam illorum uterque sibi cavit à fabulis. Quod equidem factum arbitror, quoniam Cœnobialibus narrationibus minus adhibuit fidei.

1. Quod tamen Adelberto alicui Comiti tribuerit Cœnobii primam constructionem, indubie accepit ex fama è Cœnobio sparsa. Gulerus enim utique fatetur, nulla reperiri monumenta quæ id testentur. Quoniam autem ea fama à nobis jam tum est falsi convicta, primus hic meritò habendus est error Stumphii.

2. Videtur *secundo* non satis sibi constare in eo, dum narrat, occasionem instituendi Cœnobii fuisse victoriam Adalberti de Ruperto, & tamen cœsum Rubertum fuisse mox sepultum in jam noviter constructo Cœnobio.

3. Nos verò etiam pòst probabimus, eo tempore nondum fuisse constructum cœnobium, in insulâ quidem atque adeo Lindaviæ. Quod si igitur fuerit Rupertus in Cœnobio humatus, alibi id factum est. Accedit, quod illius sepulcri in Cœnobio Lindavienſi nullum vel minimum superſit vestigium, nulla memoria. Quod itidem argumento est, Rupertum alibi sepulcrum suum inveniſſe.

4. Quid quod haud injuria totum illud bellum inter Adelbertum & Rupertum sit suspectæ fidei? Non enim in historiâ Vitæ Ludovici Pii, non in Annalibus Francicis, ubi talia solent cum cura memorari, hujus quidquam reperias. Nec verò est simile, ex Histria usque in Rhetiam adveniſſe auxilia tanto numero ut Rupertum potuerint vincere: aut tale quid impunè potuisse fieri, rebus Ludovici Imperatoris adhuc integris. Taceo, quod Guleri & Bucelini de bello hoc narrationes dissentiant, & hoc ipso rem itidem faciant dubiam.

Non uno porrò modo hæc narratio Stumphii repugnat Diplomati, ac proinde ejus fidei derogat haud parum, tantum abest eam inde juvari. *Primo* enim Stumphius Adalbertum narrat fuisse Rhetiæ Curienſis præfectum, Diploma autem Comitem Palatii: non potuit autem quis utroque munere simul fungi, ceu proximo capite latiùs demonstrabitur. Nec Diploma facit mentionem Præfecturæ Curienſis, nec Stumphius Comitivæ Palatii dignitatis. *Secundo* diserte testatur Stumphius, jam tum anno DCCCLX Adalberto, qui ad obitum usque Rhetiam administraverat, succeſſiſſe in Rhetiæ Præfectura filium Adelrichum. Diploma autem narrat, adhuc anno 866 superfuisse Adalbertum & Sacri Palatii egisse Comitem. *Tertio* diserte Diploma significat, confirmationem à Ludovico Imperatore impetratam anno 866: Stumphius autem dubitat, & inclinat in sententiam quæ confirmationem

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [198] - 174

tionem credit factam anno 856. Indicant sane hæc, Diploma ipsum nec visum nec lectum fuisse Stumphio, sed ex fama tantùm aliquid de illo acceptum.

Quæ CRVSIVS recitat *l. 1. parte 2. Annalium Suevicorum*, quia totidem verbis ex Bruschio sunt descripta, novam animadversionem non exigunt: laborant autem iisdem quibus Bruschiana vitiis. IV.

Sed & ipse ex Carolo Sigonio notavit, Ludovico secundo Lotharii filio nihil fuisse in Germania juris, ac proinde neutiquam Bruschium sequi etiam in ea re debuit, quasi ille Imperator Cœnobii constitutionem confirmaverit. Verba ejus *l. 2. parte 2. cap. 11. Annalium* hæc sunt de Ludovico isthoc Lotharii filio: *Eum, ait Sigonius, ex paterna avitaq; hereditate solum Imperii titulum cum Italiæ Regno tenuisse. Itaq;, ut qui trans Alpes nihil haberet, unam ab eo benè exultam fuisse.*

Quæ ex Paralipomenorum *cap. XX* adduximus Bruschiana sunt & Munsteriana. Omnia itaque contaminata fabulis quidem: quoniam verò jam tum in illas animadversum est, nova opera fuerit supervacua.

Liquidò autem apparet: nec Crusio lectum fuisse Diploma ipsum: saltim enim alioquin non dixisset, Confirmationem Imperatoriam factam *circa* annum octingentesimum sexagesimum sextum, quum in Diplomate iste annus diserte fuerit significatus.

GVLERVS etiam ipse perperam quidem credidit famæ, ab Adalberto aliquo Comite Cœnobium Lindaviense esse institutum. In plærisque tamen cautiorem aliis sese gessit, ac proinde longe minùs animadversionem incurrit. V.

1. Recitat enim quidem etiam ille fabulam de condito Cœnobio per Adalbertum Caroli Magni cognatum, sed prudenter addit illud: nach etzlicher Meinung. Ipsemet nihil certi definit. Indubie autem hoc acceperat ex Bruschio & Mun-

Munſtero. Recte etiam ſubjungit narratæ fabulæ, ſeſe de illo Adalberto, cujas fuerit, non potuiſſe ullum certum teſtimonium conſequi, varias autem ſententias circumferri. Id quod argumento eſt, in antiquis monumentis de omni hac re nihil certi reperiri, & recentiores narrationes multum inter ſeſe diſſidere. Vt ſolet nimirum, quando nonniſi per mendacia quidquam hominibus eſt perſuaſum.

2. Quid de bello inter Adalbertum & Rupertum Rhetiæ Præfectos geſto ſit credendum, jam tum ad Stumphium diximus: itaque non eſt neceſſum illa repetere. Quod pluribus verbis hoc bellum fuerit exſecutus Gulerus, quàm eſt factum à Stumphio, liquidò apparet deberi non melioribus monumentis ſed artificioſæ amplificationi. Vt proinde qua parte à Stumphio, præſtante hiſtorico, diverſa narrat, minorem meritò fidem mereatur.

3. Fabuloſum quoque illud eſſe, quod narrat Gulerus de Ruperti defuncti cadavere in Cœnobio Lindavienſi ſepulto, jam tum à nobis eſt demonſtratum.

4. Videtur etiam ἀσύστατα dicere Gulerus. Quando narrat, victorem illum Adelbertum ad obitum usque Præfectura Rhetiæ functum, eique cœſo anno 41. ſucceſſiſſe filium Adalrichum, cujus filia Henna anno nonageſimo nupſerit Comiti Lenzburgenſi. Stumphius enim quidem itidem perhibuerat, anno nonageſimo vixiſſe Hennam filiam Adelrichi, at tum temporis nupſiſſe, aut Adelbertum periiſſe anno 41, non dixerat. Male itaque accepit verba illa Stumphii de Henna Gulerus. Imprudenter quoq; ſuum Rhetiæ Præfectum Adalbertum credidit illum eſſe qui à Ludovico Germanico fuit cæſus. Ipſe enim recte monuit, omnem Rhetiæ gubernationem à Ludovico Germanico dependiſſe. Quî igitur veroſimile ſit, patri infenſiſſimo hoſti Regis, ſucceſſorem mox filium datum eſſe in Rhetia, & quidem in Provincia

Italiæ

Italiæ ac proinde Lotharii ditioni perquam vicina, ab ipso Germanico Ludovico?

Observari tamen meretur, quod ipsemet Gulerus satis significet, debere hæc sese recentium quorundam sententiis, & alios longe alia narrare: ac proinde nec illum velle sibi hac in parte securè credi.

Repugnat vero etiam Gulerus Cœnobiali Diplomati, nec videtur illud unquam inspexisse. 1. enim conditum refert Cœnobium non à Sacri Palatii Comite ut Diploma, sed à Rhetiæ Præfecto. 2 circa annum 866 non Adelbertum sed ejus filium Adelrichum vixisse. Quæ apertâ fronte Diplomati adversantur. Sed & Gulerus nusquam vel verbulo meminit Diplomatis, non omissurus ejus mentionem si vidisset. Certè ea quæ attuli non scripsisset si Diploma approbasset.

Consequens est ut BVCELINVM quoq; sub examen vocemus. Et verò ut alibi passim ita & hîc deprehendimus illum perquam audacem in historia; non certis & antiquis testimoniis suffultum narrare quælibet, sed ex affectu animi huc illuc flexo: nec *prout gestæ sunt res sed ut geri potuerunt*, quod de Simeone Metaphraste censuit Cardinalis Bellarminus in eximio *De scriptoribus Ecclesiasticis* libro. Mox sanè patebit, in sua hac narratione Bucelinum secutum fuisse ex parte Gulerum, ex parte verò Cœnobialem illam mendacem tabulam, non quæ ultima anno seculi quadragesimo sexto in sacello Cœnobii constituta & ære expressa in lucem publicam prodiit, sed quæ anno vicesimo, curante Abbatissâ Susannâ Buebenhofiâ, in sacra illâ æde accepit sedem, cujusque inscriptionem dedimus *cap. IX pag. 133.* cum verò neutiquam illa convenirent, quâ est audaciâ, finxisse novam historiam ex suo ingenio. Librum Hyperaspistæ aut tabulam ultimam anno 46 ex Hyperaspistæ præscripto confectam, non videtur vidisse Bucelinus, etsi Rhetia hujus annos viginti sit recentior: VI.

cæteroquin indubiè ad ultimum hoc Cœnobii placitum historiam conditurus, quo in Cœnobium fuit affectu. Fortassis verò meretur veniam Bucelinus, passus sese decipi à tabula; credens nempe nefas esse tam sacro testimonio diffidere, præsertim in ipsa sacra æde jactitanti consensum ipsorummet sepulcralium veterum monumentorum, recenter tunc solenni & sancto ritu in lucem & conspectum plurimorum fide dignorum hominum, ipsarumque adeo & sanctimonialium virginum & earum Abbatissæ, productorum. Difficile sane est religionis specie fucatis testimoniis non credere: eoque & nos mitiora quæque nunc suspicabimur. Age verò examinemus nonnihil quæ protulit Bucelinus magis sigillatim.

1. Occurrit igitur statim initiò duplex manifestissima sibimet ipsi facta contradictio. *Prima* hæc est. Hunfridi Comitis filius Adalbertus laudatur *fundator monasterii virginum nobilium Lindavienſis, unà cum fratribus Mangoldo & Vdalrico ibidem ſepultus:* in subjecta mox Tabula Genealogica, fundator ille & frater Mangoldi atque Vdalrici dicitur fuisse Hunfridi nepos. *Altera* isthæc. Adelbertus Burchardi Histriæ Domini frater filium Hunfridi fuisse refert Tabula: Historia autem anni 837 ubi de Adalberto Burchardi fratre agitur: *Celebre nunc nomen in Rhetia Adalberti filii an nepotis, ejus de quo pridem Hunfridi Comitis, is ipse quem conditorem Lindavienſis Parthenonis ſupra memoravimus.* Acceperat videlicet ex Stumphio & Gulero, illum conditorem Adalbertum filium fuisse Hunfridi: turbavit autem hominem pictura Cœnobialis, Adalberto fundatori binos fratres Mangoldum & Vdalricum jungens nulla facta mentione fratris Burchardi, & tempus confirmati monasterii in annum sexagesimum sextum rejiciens.

2. Quod porrò dicit Bucelinus, Adelbertum cum fratribus Mangoldo & Vdalrico in Cœnobio sepultum, debe-

tur

tur mendaci illi picturæ Cœnobii: antehac enim nemo id dixerat.

3. Ex Altorfii Comitibus fuisse illos oriundos, assertio Bucelini unice item nititur pictis in tabula Cœnobiali insignijs leonum. Hoc enim volunt verba: *Quorum ibidem insignia vetustißima produnt &c.*

4. Guelphos esse Agilolphingicos, merum est commentum Bucelini. Agilolphingorum enim familia vetus Bajoariæ Reges & Duces dedit: Guelphos Alemannicos illa stirpe esse oriundos, nemo antiquorum scriptorum asseruit: Bajoaricorum autem Guelphorum primum fuisse Azonis Marchionis Itali filium, diserte testatus est σύγχρονος & magni judicii auctor Lambertus Schafnaburgensis. Quanquam nihil faciat ad nostrum institutum, quicquid hujus credideris.

5. In nepotibus Hunfridi Tabula Genealogica intolerabilem in modum ineptit. Cum enim Stumphius pariter & Gulerus non nisi unicum nepotem memorarint, Bucelinus nullo teste ausus fuit tres recensere. Cum porrò nepos ille & Stumphio & Gulero appelletur Adelricus, Bucelinus tamen non verecundatus est ita scribere: *Adelbertus Albertus sive Adelricus.* Cum Adelricus præterea Stumphio & Gulero tantùm audiat *Comes Rhetiæ*; Bucelinus nulla facta mentione *Rhetiæ Comitatus*, appellat illum *Comitem Palatinum Rheni:* Hennamq; Adalrici filiam scribit, *fuisse ex Comitibus Palatinis Rheni.* Et tamen *pag. 175.* scribit de hoc ipso Adelrico: *Adelricus præses fit Rhetiæ.* Facit adhoc Bucelinus Mangoldum quoque & Vdalricum Comites Palatinos Rheni. Fuisse autem Bucelinum deceptum fabulatrice illa Cœnobii picturâ liquidum quidem est: sed passum sese tali aliqua fabula decipi Bucelinum nullam patitur veniam, quoniam monachus ille omnem ætatem historiæ impendit seq; rerum veterum peritia plurimum jactavit: vel leviter autem in historia versatum non fugit, Comi-

tum Palatinorum Rheni originem aliquot secula esse recentiorem. Laudandus tamen Bucelinus, quod confidens mendaci tabulæ, non etiam dederit nobis Comites Palatinos Mainios. Usque adeo autem figmenta illa Tabulæ à vero dissonant, ut ipsemet Hyperaspista coactus fuerit in hæc verba erumpere. Sonsten kan man nicht in abrede sein / daß in obangeregten Portal und Grabschrifften / so sich in der Stiffter Capel, wie auch in verzeichnüß der Nahmen auff den gemahlten höltzernen Taffel / damit die Uhralten auff die Mauer mit Ohlfarben gemahlte Biltnüssen der drey Graffen bedeckt worden / vor diesem gefehlt gewesen. In dem gemelte Grafen angeben worden als Comites Palatini Main & Rheni; dann zu geschweigen das Main Lateinisch nichts heisset / (weiln der Fluß Mayn in Lateinischer Sprach Mœnus genennet wird) so waren die Comites Palatini Rheni damahls nit in rerum natura, und seint Comites Mœni niemahls darein kommen. Hæc ipsemet Hyperaspista.

6. De prælio inter Adelbertum & Rupertum commisso, diximus jam tum sententiam ad Stumphium & Gulerum. Vt & de consanguineitatis vinculo, quo etiam Bucelinus Cæsari ac Regibus Adelbertum conjungit, ad Bruschium. Notari tantùm heic singularis unius Bucelini audacia meretur, qui *Zizers* vicum non dubitavit Latine vocare *pagum Ciceronis*; quasi vero & Cicerones olim Rhetiam incoluerint.

7. In narratione eorum quæ anno 841 contigerunt insignitam Bucelini audaciam fingendi observare denuo licet. Etenim affirmat, Adelbertum illum quem cum exercitu Lotharius Imperator misit ad impediendam Ludovici & Caroli fratrum conjunctionem armorum, quiq; deinde à Ludovico Germanico cæsus, fuisse Præfectum Rhetiæ, usumque collecto ex Rhetis exercitu. At is qui eopse tempore vixit in Caroli Calvi partibus, Caroli Magni ex Bertha filia nepos, luculentus scriptor funesti illius fraterni belli Nithardus *l. 2.*

Adel-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [204] - 180

Adalbertum illum appellat *Comitem Metensium*, & quod Austrasios duceret in armis *ducem Austrasiorum*: nulla facta Rhetorum mentione. Verba ejus sunt *pag. 454* edit. Wechelianæ. *Lotharius dolo an vi Ludovicum aut subdere, aut quod mavult perdere posset, tota mente tractabat. In quo negotio congruè Othgarium Magontiæ sedis Episcopum & Adelbertum Metensium Comitem convocat. Habebat enim uterque Ludovicum ad mortem usq; exosum. Jam enim Adelbertus ex infirmitate, qua pene per annum detentus fuerat, velut in supplementum fratricidii respiraverat. Erat enim eo in tempore ita prudens consilio, ut sententiam ab eo prolatam non quilibet mutare vellet. Cujus instinctu Lotharius collectam hinc inde infinitam multitudinem Rhenum trajecit. &c. Igitur Adelbertum ducem, quem supra Comitem memoravimus, ob hoc inibi reliquit, ut & populum sacramentis sibi firmaret, & si Ludovicus ad Carolum ire vellet, nullo modo posset. &c.* Pag. 457 *Quamobrem Cadhellonicam Karolus adiit urbem: ibiq; matre una cum Aquitanis recepta, repente nunciatur, quod Ludovicus cum Adhelberto Austrasiorum duce prælio commisso vicisset, Rhenoq; trajecto ob illius adjutorium quantocyus posset veniret.* Hæc Nithardi esse vera ut Buceliniana in Rhetorum gratiam ficta, nemo prudens dubitabit. Eo prælio tamen & Rhetorum Præfectum periisse haud negaverimus, modò idoneis id probatum fuerit testimoniis. Bucelinianorum enim fides stetit duntaxat in nomine *Adelbertus*: quasi præter Rhetiæ Præfectum ejus nominis nemo fuerit alius. Qua in narratione longe rectius sibi jam caverat Gulerus.

8. Postremò etiam illud Bucelinianum de Adelrico, illum patri cœso in Rhetiæ præfecturâ jam anno 842 successisse temerarium effatum est. Successisse tamen patri, quoniam & Stumphius pariter & Gulerus constanter affirmant, vero non est absimile.

Cæterùm quid de Buceliniana narratione ex vero sit existiman-

existimandum jam liquet. Addendum nunc etiam est, ne illum quidem, etsi ex pictura Cœnobiali mirificè transformatam, cum Diplomate consentire. Et vero si Adelbertus Hunfridi filius est conditor Cœnobii, quod semel iterumque professus est Bucelinus, multum illius narratio à Diplomate discedit. *Primò* enim hic Adelbertus non fuit Comes Palatii sed ad finem usque vitæ præfuit gubernandæ Rhetiæ: Diplomatarius autem Adelbertus Comitem Palatii egit non Præfectum Rhetiæ. *Secundò* Adelbertus ille Bucelinianus anno 41 jam periit: Diplomatarius autem Comes fuit Palatii adhuc sexagesimo sexto. *Tertiò*, Hic fidelis fuit vasallus Ludovici: Ille autem *Ludovicum ad mortem usq; habuit exosum.* *Quartò*, Hic jam tum anno 827 Rhetiæ egit Præfectum, & illo circiter tempore Cœnobium condidit, ac proinde jam tum indubie quadraginta præter propter annorum fuit: Ille quadraginta demùm annos pòst Comitem potuit Palatii agere: quo munere virum octogenarium potuisse fungi, non est verosimile. Si Hunfridi nepos condiderit Cœnobium, ne in hoc quidem Diplomati consensit. Nam hic Adelricus fuit dictus non Adalbertus: nec Comes Palatii fuit sed Rhetiæ Curiensis. Vtque fuerit Comes Palatinus Rheni, non fuerit tamen Comes Palatii: hæc fanè quàm multum differant, consequens caput pluribus demonstrabit.

VII. Verum de Bucelinianis fortasse plusquam satis. Superest uti etiam quæ HYPERASPISTA narravit examinemus

Igitur illud quidem fatendum venit, illum à Diplomate quam minimùm dissidere. Quod non est mirum, quoniam ille unus videtur habuisse Diploma ad manum, & totus in id incubuit ut Diplomati fidem conciliaret, quod reliquorum nulli fuit propositum. Convenienter itaque satis thesi adamatæ illas de Adalberto fabulas formavit. Hinc non fecit sua quæ Bruschius, Munsterus, Crusius, & Gulerus habent

habent de condito Cœnobio jam tum imperante Carolo Magno circa annum DCCCX, ab Imperatoris illius cognato Adalberto, & Lendaugiæ prima nuncupatione. Non alia tamen de causſa quàm quia adverſantur nimis Diplomati. Quam cupidus cæteroquin fuerit etiam illarum fabularum, quia *pag. 11* §. Iſt derwegen verba Guleri de illo Adalberto interpolaverit ſuis illis: darin als Adelbert in Waſſersnoht war/ hat er nach außweiſung Lindawiſchen und andern Chronicken Gott verlobt an den Ohrt ein Cloſter zu bawen/ da er anlenden könte/ welches in dieſer Inſel da daß Cloſter ſtehet jhme Gott vergönt: plusquam ſatis prodidit. Eadem ſola de cauſſa vehementer impugnat narrationes de Adalberto cæſo in prælio contra Ludovicum Germanicum: quoniam ſcilicet illa præpopera mors turbaſſet omnem Diplomatis fidem. Ea autem argumenta quibus nos uſi ſumus, non adhibuit præ inſcitia.

Verum enimverò quod ſine omni teſtimonio veteri & novo, & contra conſenſum optimorum quorumvis, auſus fuerit pro libitu homo ille fingere hiſtorias, hoc ſanè intolerabile eſt. Quod Rhetiæ enim Comitibus primam Cœnobii originem vindicet, in eo potuit quidem auctores laudare Stumphium pariter & Gulerum: diſerte autem idem Stumphius: Umb dieſe Zeit anno 860 hat in Churer Rhetia geherſchet und gelebt Graff Adelreich/ des vorbenanten Adelberti Sohn: diſertè item Gulerus de Ludovico Germanico Rege: Sein Landvogt über Rhetien war Graff Adelreich Adelberts Sohn. Ex adverſo Hyperaſpiſta auſus eſt fingere, adhuc anno 866, Rege Ludovico, Rhetiæ Præfecturâ functum Adalbertum. Vterque item diſerte ſcribunt, ab anno 39 ad obitum usque Rhetiam adminiſtraſſe Adelbertum, Hyperaſpiſta autem fingit, illum interea fuiſſe & Comitem Palatii. Summa etiam temeritate non dubitavit ſcribere, es iſt nit zu zweifflen/ Adelbertum Rhetiæ Præfectum acceſſiſſe Ludovici Regis partibus contra Lotharium

tharium: nullo teſte adducto, ſed inepto aliquo argumento. Quidniautem adhæſerit potiusLothario tunc potentiori,ſicut fecit Abbas S. Galli? Perinde atque inani ratiocinationevoluit probare, anno 841 non ſucceſſiſſe patri Adelricum, quoniam ſcilicet ejus filia Henna anno demum 890 nupſerit Comiti Lenzburgenſi. Aſt nupſiſſe non dixit Stumphius ſed tantum quod illa tum temporis vixerit: ſolus Gulerus autem quia id tradit merito dubium eſt. Eſto tamen. Quidni verò poruerit Adelricus jam anno 841 fuiſſe viginti quinque annorum, atq; ita ſatis idoneus Rhetiæ gubernandæ; Henna item patre jam ſexagenario circiter nata nubere ætatis anno viceſimo aut amplius poſt patris obitum?

Quantumvis porrò ita hæc veteratoria quadam arte finxerit callidus Hyperaſpiſta, omnibus tamen illius figmentis planè ſubruendis plusquam ſufficiunt, ea quæ jam tum demonſtravimus; nempe quod nullus Adalbertus Cœnobium condiderit,quodq; illo anno,quo Diploma fertur confectum, nullus Adelbertus Comitem egerit Palatii. Quæ duo itidem demonſtrant, bonos quorum narrationes produximus viros, à Cœnobialibus peſſimè quidem fuiſſe deluſos in Adalberto agnoſcendo tanquam primo Cœnobii conditore, atque eo etiam impoſturæ & deluſionis bonorum nomine Diplomatis fabricatorem deteſtationem mereri; non potuiſſe tamen ita ſeſe de reliquo gerere, quin à Diplomate multum recederent.

CÆTERVM quod narrationes de Adelberto Cœnobii conditore, quotquot hactenus prodierunt in lucem, pluri mùm & inter ſeſe, & à Diplomate, & à vero diſſentiant, quoniam ſatis eſt oſtenſum, hunc quoq; locum nunc deſeremus. Modò unum hoc addiderimus: longè rectiùs potuiſſe Hyperaſpiſtam rebus Diplomatis conſulere, ſi dixiſſet, ignorari cujus ditionis Comes fuerit Adelbertus Diplomati laudatus. Perinde ſcilicet atque nos fatemur, quales Comites fuerint tres

tres illi, quorum ſepulchra ſuperſunt in Capella Cœnobii, neſciri. Ita certe multis objectionibus potuiſſet prævertere. Nec vero etiam nos non agnoſcimus, plane iſthac tempeſtate etiam alios fuiſſe celebres Adelbertos Comites. Cujuſmodi fuit utique Stumphio ſæpe laudatus Thuricenſis Comes. Quamvis nec ita effugiſſet Hyperaſpiſta vim eorum quæ *cap. IIX & IX* diſputavimus,

CAPUT XI.

Neminem ætate veterum Francorum Regum aut Imperatorum audiiſſe Comitem SACRI Palatii. Quum tamen in Diplomate ita uſurpetur Adalbertus, indicio id certo eſſe, non illud Diploma confectum ſeculo Chriſtiano nono: per autem veroſimile, ab impoſtore eſſe fabricatum poſt tempora demiq; Fridericiprimi Imperatoris. Ingens porrò diſcrimen eſſe, inter Comites Palatii & Comites Palatinos provinciarum, demonſtratur adverſus Hyperaſpiſtam & alios.

ILlo anno quo conditum ſe eſſe jactitat Diploma, non Adalbertum ſed Ansbertum fuiſſe Comitem Palatii: eorum porrò qui Cœnobii Lindavienſis prima jecerunt fundamenta neminem dictum Adalbertum aut Palatii fuiſſe Comitem, atque ita iſthac unâ in re duo graviſſima falſi crimina à Diplomatis auctore eſſe commiſſa, jam liquet. Etiam verò tertium eodem hoc loco impoſtorem commiſiſſe falſi crimen, nunc itidem demonſtrabimus. Hæret autem illud in epitheto SACRI: dum ſcilicet Adalbertum nuncupavit falſarius *SACRI Palatii Comitem*. Nemo ſcilicet *SACRI Palatii Comes* audivit ſtante republica veteri Francorum, ſed nudè

Comes Palatii appellatus est, quicunque illa quidem tempestate isthoc functus est munere. Quin imò ex Justinianeo Codice id genus loquendi acceptum, atque ità Diploma post Friderici primi Imperatoris ætatem denique esse consarcinatum, ostendemus.

QVO autem res omnis fiat exactè manifesta, præmittenda mihi fuerint nonnulla, de Aulæ sive Palatii veterum Francorum Regum Carolovingicæ familiæ constitutione & præcipuis officiis. Scripsit de hoc argumento Ludovico Pio imperante singularem libellum, titulo *De Ordine Palatii*, Adelhardus utriusque Corbejæ Gallicæ & Germanicæ Abbas, magnæ vir nobilitatis pariter & in republica auctoritatis, propinquus scilcet Caroli Magni & eidem à consiliis. Quod opusculum tanti fecit Hincmarus Remensis Archiepiscopus, etiam ipse nobilitate doctrina ac dignitate inter ævi sui primos, ut rogatus à Ludovico Balbo Rege Caroli Calvi filio ac successore, consilium de reparando collapsæ reipublicæ statu, prudentissimæ suæ ad Regem istum Epistolæ non dubitaverit saltim plæraque istius libelli inserere. De illo hæc præter alia notavit vir rerum Ecclesiæ veterum summè peritus Stephanus Baluzius ad Agobardum pag. 33. *Mortuus est anno DCCCXXIII postridie Kal. Ianuarii, cum anno superiore Brevem sive Libellum conscripsisset, de iis quæ deinceps observari volebat in monasterio Corbejensi, qui liber editus est in Tomo IV Spicilegii Domni Lucæ Dacherii Monachi Benedictini.* Cæterùm nos etiam heic ex laudato ante libro quædam excerpemus: ea tamen duntaxat quæ ad nostrum faciunt institutum. Non enim usquam ille integer supereſt: etsi fragmenta quædam in manus suas incidisse, testetur Freherus *l. 2. Orig. Pal. c. 1.* Igitur cum Adelhardus apud Hincmarum *epistola XIV c. XIX* Sirmondianæ omnium Hincmari operum editionis, retulisset, in Aula sive Palatio potiores fuisse duos ministros regios

Capella-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [210] - 186

Capellanum & Comitem Palatii, addit: *E quibus præcipui duo, id est Apocrisiarius, qui vocatur apud nos CAPELLANVS vel Palatii Custos, de omnibus negotiis Ecclesiasticis vel ministris Ecclesiæ, & COMES PALATII, de omnibus secularibus causis vel judiciis, suscipiendi curam instanter habebant. Vt nec Ecclesiastici nec Seculares priùs Dominum Regem absq; eorum consultu inquietare necesse haberent, quousq; illi præviderent, si necessitas esset, ut causa ante Regem meritò venire debeat.* Capite xx de Apocrisiario ita disseritur: *Apocrisiarius quidem de omni Ecclesiastica religione, vel ordine, nec non etiam Canonica vel Monastica altercatione, seu quæcunq; Palatium adibant pro Ecclesiasticis necessitatibus, sollicitudinem haberet, ut ea tantummodo de externis Regem adirent quæ sine illo plenius definiri non potuissent.* De Comite etiam Palatii hunc in modum: *Comitis autem Palatii inter cætera pæne innumerabilia in hoc maximè sollicitudo erat, ut omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ propter æquitatis judicium Palatium aggrediebantur, juste & rationabiliter determinaret, seu perversè judicata ad æquitatis tramitem reduceret: ut & coram Deo propter justitiam, & coram hominibus propter legum observationem, sanctis placeret. Si quid verò esset tale, quod leges mundanæ in suis definitionibus statutum non haberent, aut secundùm gentilium consuetudinem crudelius sanctum esset quàm Christianitatis rectitudo vel sancta auctoritas meritò non consentiret, hoc ad Regis moderationem perduceretur: ut ipse cum his qui utramq; legem nossent, & Dei magis quàm humanarum legum statuta metuerent, ita decerneret, itaq; statueret, ut ubi utrumq; servari posset utrumque servaretur; sin autem, lex seculi meritò comprimeretur, justitia Dei conservaretur.* De duobus illis negotiorum reipublicæ in Palatio summis ministris, eodem seculo Christiano nono, Walefridus Strabo Fuldensis Monachus ita scripsit. *Quemadmodum sunt in Palatiis Prætores vel Comites Palatii, ita & illi quos summos Capellanos Franci vocant.* Item. *Sunt & illi quos summos Capellanos*

lanos Franci vocant Clericorum cauſsis prælati. Comitem Palatii ſolis ſecularibus negotiis expediendis tunc fuiſſe præfectum, liquet etiam ex epiſtola Hincmari Remenſis Archiepiſcopi Fulconem Comitem Palatii rogantis, ut ſuperſedeat cognitioni ſuper accuſatione quadam coram ipſo inſtituta, quod hoc judicium ad Synodum Epiſcoporum non judicem Laicum pertineret. Accipienda quoque de duobus illis ſunt verba cæteroquin nonnihil obſcuriora Epiſtolæ Epiſcoporum Remenſis & Rhotomagenſis Diæceſeos ad Ludovicum Germanicum Regem ſcriptæ anno 858, quam loco XXIII inſeruit Capitulis Caroli Calvi vir rari inter ſuos candoris & doctrinæ Jacobus Sirmondus, cum nemo tunc fortè Archicapellani munere in Palatio Ludovici fungeretur: cap. VII pag. 180. *Vt ſi Epiſcopus pro quacunq; neceſsitate Eccleſiaſtica ad vos direxerit, ad quem ſuus miſſus veniat, per quem quæ rationabiliter tenuerit obtineat, in Palatio veſtro, ſicut Comes Palatii eſt in cauſsis reipublicæ, miniſterio congruum conſtitutum habere.* Et verò de Archicapellano conſtituendo rectè etiam Sirmondus hæc interpretatus eſt in ſuis doctiſſimis Notis, ut & Illuſtriſſimus Pariſienſis Archiepiſcopus operis incomparabilis *de Concordia Sacerdotii & Imperii l. 4. cap. 7. n. 4.* Rectè porrò in eruditiſſimis ad Marcam additionibus *pag. 219* editionis Pariſienſis, quæ prodiit anno hujus ſeculi ſexageſimo nono, admonuit, ejusmodi rerum peritiſſimus, optimeq; de Eccleſia editis in lucem atque illuſtratis, præter Marcæ opus iſtoc, compluribus veteris ævi ſcriptoribus meritus, Stephanus Baluzius, cum quo contractam mihi amicitiam plurimùm gaudeo: Archicapellanos etſi Abbates eſſent ea polluiſſe dignitate, ut etiam in Synodis principem locum ſuper ipſos Archiepiſcopos obtinerent, à Regibus tamen pro arbitrio fuiſſe conſtitutos & viciſſim loco motos. Quorum poſterius confirmare maximè queunt Diplomata Regia de ſacris negotiis confecta: qualia nonnulla

etiam

etiam nos produximus; ex quibus patet tantùm non singulis propemodum annis alium atque alium hoc munus in Palatio obiisse. Quale quid circa Comites Palatii itidem tunc temporis indubie est observatum: minus tamen facilè probatu nobis est, quoniam deficiunt ferè Diplomata Regia de civilibus negotiis.

Non fert institutum huic argumento immorari: sed & erit illud libro *de Judiciis Germanicis* planè exactequepertractandum. Itaque nunc sufficiat didicisse, negotia reipublicæ in Palatio duas in summas classes isthac Francorum Regum tempestate fuisse divisas, in Sacras nimirum & Civiles, atque singulis summum curatorem fuisse præfectum, illis Archicapellanum, hisce Comitem Palatii.

AD NOSTRVM igitur propositum ut jam aggrediamur, Archicapellanus quoniam sacras causas administrabat in Palatio, dictus illa ætate est satis frequenter *Sacri Palatii Archicapellanus:* nunquam verò ita audiit rerum secularium summus in Palatio minister, sed nudè duntaxat *Comes Palatii.* De Archicapellano in ipsis iis quæ adduximus Diplomatibus *cap. V pag. 34* exstat exemplum, ubi Gozbaldum Abbatem vocat Ludovicus Rex noster *sacri Palatii nostri supremum Capellanum.* Dudum ante, in *Præfatione Concilii apud Moguntiam habiti anno DCCCXIII* imperante adhuc Carolo Magno, Hildebaldus Colonienſis Archiepiscopus appellatur, *Sacri Palatii Archiepiscopus.* Diplomati quoq; Caroli Magni, quo instituit Episcopatum Bremensem, habeturque in *Historia Ecclasiastica* Adami Bremensis, ut & alteri quo Trutmannus est Comes institutus, apud Meibomium *in notis ad Vitikindum p. 63*, jam anno 788 hæc verba subscripta fuerunt: *Hildebaldus Archiepiscopus Colonienſis & Sacri Palatii Capellanus.* Operum Agobardi Lugdunensis Archiepiscopi *Tomo I*, optimæ omnium editionis Baluzianæ *pag. 192* exstat Epistola Agobardi *ad Proceres Palatii, contra præceptum impium*

impium de baptiſmo Iudaicorum mancipiorum, hiſce verbis incipiens: *Dominis & ſanctiſſimis, beatiſſimis viris, illuſtribus; Hilduino ſacri palatii antiſtiti & VValæ Abbati, Agobardus ſervulus.* Vixerunt autem omnes hi, ſcriptaque adeo hæc epiſtola eſt, imperante Ludovico Pio Caroli M. filio. Recte autem ad illa verba notavit doctiſſimus Baluzius: Hilduinum hunc, *Summum Capellanum vocari Præcepto Ludovici Pii pro Hildebaldo Epiſcopo Matiſconenſi, quod extat in Bibliotheca Cluniacenſi.* Addiditque: *Habebant Principes noſtri in Palatio ſuo quempiam Eccleſiaſtici ordinis virum qui cæteris præemineret, dictum ob hoc Sacri Palatii antiſtitem, vel Sacri Palatii Archiepiſcopum.* Quod poſtremum tamen nondum mihi eſt perſuaſum: de *Archiepiſcopi* ſcilicet titulo, ſi Archicapellanus non niſi Epiſcopus eſſet. Etſi enim ita Hildebaldum audiiſſe in præfatione Concilii Moguntini, paulo ante ſit dictum; videtur tamen id mendoſum, legendumque: prout diximus ab Hildebaldo alibi eſſe ſubſcriptum. Eadem verò de cauſſa Eccleſia Senonenſis, in epiſtola ad Hilduinum ſcripta, quæ reperitur ad calcem Tomi ſecundi Conciliorum Galliæ, vocat illum, *ſacris negotiis à Deo prælatum.* Autor porro hiſtoriæ *Vitæ Ludovici Pii* anonymus à Petro Pithœo editus, agens de Imperatoris illius extremis *pag. 424* editionis Wechelianæ ſcribit: inter alios decumbenti adfuiſſe Drogonem *Metenſem Epiſcopum nec non Sacri Palatii Archicapellanum.* Henr. Caniſius præterea Canones edidit Synodi, quam inſcribit Regiam Ticinam, ſed perperam, cum ſit habita Ticini, quæ urbs regni Italici fuit tum regia, anno Chriſtiano DCCCL, Lothario cum filio Hludovico imperante. Ejus *cap. 161* hæc ſunt verba: *Suggerendum eſt beatiſſimis Imperatoribus, quia hi qui Monaſteria & Xenodochia ſub defenſione Sacri Palatii poſuerunt, ideo feciſſe probantur, quod à nullo melius quàm à ſummis poteſtatibus protegenda crediderint.* Alia ex ævo iſthoc teſtimonia adducere, nullum fuerit operæ pretium

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [214] - 190

tium. Indubie verò respexerunt huc Episcopi Diœceseos Remensis & Rhotomagensis in suâ ad Germanicum nostrum Ludovicum epistolâ cap. v *Palatium vestrum debet esse sacrum & non sacrilegum.*

Quanquam verò illam appellationem tunc temporis Archicapellanus meruerit, quoniam tamen Comes Palatii circa secularia vel civilia duntaxat negocia fuerit versatus non autem sacra, nemo illorum Comitum dictus tum fuit *Sacri* Palatii Comes, sed simpliciter Comes Palatii. Id ipsum unico illo testor argumento; quia ex omni Francicorum Regum ævo nullum potest adduci exemplum, nullum vestigium, nulla vola *Sacri Palatii Comitis*, aut *Sacri Palatii*, quando de civilium negotiorum curatione res est, etsi Comitis Palatii mentio supersit frequentissima.

Hinc verò consequens omninò est, Diploma Lindaviense neutiquam ævo Francicorum Regum esse confectum, sed ab ejus fabricatore grande falsi crimen etiam in suo *Sacri Palatii Comite* perpetratum esse.

Videtur hoc ipsum nec sagacissimum Heiderum præteriisse. Etsi id quod ait, *pag. magni voluminis 867. octava suspicione*, in titulo Adelbertino Comitis Palatii Sacri, *postremum verbum magis Romanorum quam Francorum stylum redolere:* queat ita accipi, quasi simpliciter vox *Sacri palatii* Francorum Regum ævo in nullo usu fuerit. Etiam Hyperaspista tamen ignoravit, dictionis illius usum circa Archicapellani officia, modò à nobis indicatum. Eoque nihil ejus adducens, inter sua quæ *capite VIII, pag. 109* Heidero respondit, confugit ad Limnæum & Besoldum, qui docuerint quod à Romanis sua dignitatum nomina Germani olim acceperint, Romanis autem omnia Cæsarea olim fuerint *Sacra* nuncupata, quodq; etiam num hinc Imperium vulgo *Sacrum* audiat. Indubie multùm gloriaturus

& in-

& insultaturus Heidero, si eorum aliquid, quæ de *Archicapellanis Sacri Palatii* nos diximus, veniisset ipsi in mentem.

Sunt autem nullius plane momenti quæ attulit contra optimum Heiderum Hyperaspista. Perinde enim atque verum est quod affirmat, Romanos non accepisse sua dignitatum discrimina à Germanicis gentibus, ita falsum est quod Francis talia omnia à Romanis sint mutuati. Latina illa verba *Comes* & *Dux* debentur, fateor, sequiori Romani Imperii ævo. Quoniam nimirum scriptores Latini Germanorum observaverunt aliquam similitudinem inter Graviones aut Hertzogios Germanicos & Romanorum Comites Ducesque, atq; deessent commodiora vocabula, quibus nostra illa Germanica Latinè exprimerentur. Reapse tamen Germanica nostra & Romana plurimùm differunt, si officia Gravionum & Comitum, Ducum item & Herzogiorum expendantur. Si sanè duntaxat solam videas rationem judiciorum, quibus Germanorum Graviones ab omni retrò ætate præsederunt, longe illa Germanica olim semper abfuerunt à Romanorum institutis. Vtque ad rem nostram redeamus, Palatii Romani & Francici regimen toto cœlo fuerunt diversa. Quod Hyperaspista existimaverit illa fuisse similia, arguit ejus imperitiam. Heiderum verò ab ejusmodi accusatione res ipsa absolvit.

Frivolum porrò est quod ex Besoldi & Additionatoris ejus Thesauro Practico adducit: (ipse enim horum nihil in antiquis Francicis monumentis legit) in Capitulari Caroli Magni *l. 3. cap. 77. & l. 2. Leg. Longobard. tit. 45* legi quidem Comitis Palatii appellationem sine addita voce *Sacri*, verùm & inscribi titulum Codicis *de Comitibus & Archiatris Sacri Palatii*, in textu autem deesse vocem *Sacri*. Ineptum inquam hoc est, nec doctissimus Heiderus illo est argumento usus. Nos non provocamus ad sola illa Capitularium Francorum aut Legum Langobardicarum verba; sed simpliciter negamus, in ul-

in ullo Francorum veterum Regum monumento occurrere illud *Comes Sacri Palatii.*

Quod addit, *omnia Principum esse sacra*, agnoscimus verum esse ex sententia Romanorum: Francorum Regibus idem fuisse visum, pernegamus. Est autem nunc quæstio non de institutis Romanis sed de Francicis.

Iuperium hodie *Sacrum* vulgò appellari, non profecto & Heidero fuit ignotum. Sed ignoravit Hyperaspista, hanc appellationem â Friderici primi Imperatoris ævo demum cæpisse: ante à prima usque origine Regni Francorum nunquam fuisse auditam. Paulò pòst eâ de re plenius aliquid adferemus.

Impudenter postremò Hyperaspista ausus fuit insultare senectuti & oblivioni eruditissimi optimique Heideri; quod scilicet ignoraverit Comites Palatii solitos nonnunquam dici Comites Sacri Palatii Lateranensis, idque Limnæum interpretari de Palatio Lateranensi quod est Aquisgrani. Non est nobis nunc res cum Limnæo, sed cum Hyperaspista nugarum superbo mangone. *Primum* verò unde constat Hyperaspistæ, illa Limnæi ignorata fuisse Heidero? Etsi sanè non approbaverit, non tamen ignoravit. *Secundò* nugæ sunt & fabulæ, Comites Palatii florente Francorum regno nonnunquam dictos, *Comites Sacri Palatii Lateranensis.* Delirium *Tertiò* est, Comites Palatii, qui in Francorum Regum fuerunt aulis sive Palatiis, ab Aquisgranensi Palatio nomen suum accepisse: cum fuerint, ante conditam domum Aquisgranensem Lateranis dictam.

Debuisset Hyperaspista ex antiquis monumentis Francorum Regni rerum saltim unum attulisse testimonium ejus quod in Diplomate reperitur: nempe tunc quenquam audiisse *Comitem Sacri Palatii.* Nihil hujus potuit: rudis in illis monumentis volvendis hospes. Nihil hujus potuit vel ex

Limnæo vel ex Besoldo vel ex alio aliquo exsculpere, omni sua adhibita industria. Ne tamen nihil egisse imperito lectori queat videri, non dubitavit alienas vendere ineptias.

CÆTERUM ut in viam redeamus, certo est certius, stante Francorum republica neminem audiisse *Comitem Sacri Palatii*. Unde &, quandonam ergo & unde fabricator Diplomatis illum titulum fuerit nactus, forte non absre fuerit heic inquirere. Ex more Francorum ævi non esse acceptum, jam tum liquidò probavimus. Non etiam verosimile est, forte fortuna fabricatori isti in mentem venisse aliquem *Sacri Palatii Comitem*: sed aliunde acquisitum esse & exemplo aliorum. Nulli autem populi, præter solos sequioris Cæsarei ævi Romanos, tales *Sacri Palatii Comites* agnoverunt. Ac proinde Romanum exemplum imitatus hac in re fuit impostor. Verumtamen & illius Romani moris nullum temere reperire est testimonium aut indicium, præterquam in Codicibus Romanarum Legum cum Theodosiano tum Justinianeo. Et verò etiam Theodosiani Codicis libri sexti titulus dicimus sextus inscribitur: *De Comitibus & Archiatris Sacri Palatii:* perinde atque curâ Triboniani pòst eandem inscriptionem accepit Titulus decimus tertius libri duodecimi Justinianei Codicis. Ex alterutro igitur illorum Codicum accepit suum *Sacri Palatii Comitem* Diplomatis fabricator. Ex Theodosiano nanciscì non potuit; quoniam saltim in Germania ejus nulla fuit quondam vel memoria, multo minùs ulla auctoritas. Ne in Italia quidem à Justiniano usque ulla itidem Codicis istius mansit existimatio. Quo factum, ut in universa Italia hactenus non potuerit ullum istius Codicis manuscriptum exemplum reperiri. In Gallia porrò locum veri illus Codicis occupavit is quem Anianus jussu Regis Alarici consarcinavit, & pòst confirmavit ipse Carolus Magnus: quapropter ne ibi quidem Codex Theodosianus integer nunc supersit.

Libro

Libro *de Origine Juris Germanici cap. XX* hæc latius fui jam pridem persequutus. Codicis igitur Justinianei denique exemplum fuit secutus Impostor: & in suum Diploma transtulit nomen quod invenitur inscriptum soli titulo sexto decimo libri duodecimi. Jam verò ille quidem Codex seculo demum duodecimo cæpit in majore aliquâ esse existimatione per ipsam Italiam, in Germaniam ejus aliqua noritia fortè venit illius demum seculi fine. Id quod itidem latiùs ostendimus illius nostri *de Origine Iuris libri aliquot capitibus*, cumprimis *vicesimo tertio*. Hinc autem jam unicuivis fit manifestum, Diploma illud, ista denique minimùm tempestate, si non seriùs, ab Impostore esse confictum: atque adeo clarissimè etiam isthoc indicio prodi nequissimi hominis fraudem & improbum scelus.

Inepte verò etiam Impostor credidit, Comitem Palatii Francici more Romano rectè dici *Comitem Sacri Palatii*. Romana enim Sacri palatii Comitiva non officium aliquod denotavit Palatii, ut apud Francos; sed, (ceu etiam Petrus Pithœus notavit in sua de Comitibus Palatinis dissertatione inserta libro Gallice conscripto de Comitatu Campaniæ) duntaxat nomen fuit dignitatis, quo videntur appellati illi qui alias censebantur *in primi ordinis Comitiva*. Quapropter etiam Archiatris nonnullis hæc dignitas data est olim in Palatiis sequioris ævi Imperatorum, ut & Professoribus Constantinopolitanis, aliisque: quorum nemo functus est officio aliquo quod competiit Comiti Palatii Francico. Velut etiam Francicorum illorum Regum tempore vox *Comes* unicè significavit judicem, qui aliàs vernacula lingua Grave appellabatur: nihil aliud. Officium itaque semper denotavit, nunquam meram aliquam dignitatem, quod tamen Romano illo ævo sic satis fuit frequentis usus. Id quod saltim obiter heic monuisse fortassis haud erit absque pretio operæ.

Obſervandum autem omnino eſt, etſi jam illo ſeculo duodecimo Codicis Juſtinianei reverentia denuò cæperit, non tamen illam veteris Romani ævi conſuetudinem, de Cæſareis rebus *Sacri* cognomento appellandis, reductam eſſe. Enimvero Cæſareum Palatium ἁπλῶς vocatum eſt olim *Sacrum*: ceu liquet ex Codice etiam *De Profeſſoribus & Medicis*, ubi legitur, *univerſi qui in Sacro palatio inter archiatros militarunt*, ex Codice item *De privilegiis eorum qui in Sacro palatio militant*: ne denuo nunc repetam Codicem *De Comitibus & Archiatris Sacri Palatii*. Non enim nunc adducam *titulum 34. l. 1. Codicis* qui vulgo inſcribitur *De officio Comitis Sacri Palatii*: quia rectè cenſuit Cujacius ſcribendum: *De Officio Comitis ſacri patrimonii*. At verò de *Sacro* etiam *cubiculo* eſt Titulus v libro XII Codicis. De *magiſtris Sacrorum ſcriniorum* agit Titulus ejusdem libri nonus: ut Titulus XIX *De proximis ſacrorum ſcriniorum cæteris q. qui in ſacris ſcriniis militant*. Titulo XI fit mentio *Sacri ſtabuli*. De *Sacrarum largitionum Comitibus* quidem agit Titulus v: *Palatinis* autem viceſimus quartus ejusdem libri. Alia Comitum non tango. Ab iſthac autem arrogantia ſemper abſtinuerunt Germanici Imperatores. Et *Sacri palatii* cognomentum manſit penè ſoli Pontificio Palatio illi quod Romæ circa Eccleſiaſtica occupatur, cujus præfes audit Magiſter Sacri Palatii, aut Sacri Palatii Lateranenſis, more jam tum Chriſtiano ſeculo nono & retrò amplius recepto. Quum ſane ſui temporis Conſtantinopolitani Imperatores ἁγίους aut *Sacros* ſeſe appellarent, Fridericus id nominis primus, fortiſſimus noſtrorum Imperatorum, graviſſime id ſuperbiæ nomine perſtrinxit: Imperium tamen ipſum Romanum primus omnium *Sacrum* appellavit. Qua de re jam tum antehac quædam annotavimus ad Lampadium pag. 105 & 262. Hinc etiam ille Henricus *ſacri palatii notarius*, qui inter alios legationem in Græciam obiit miſſus à Friderico

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [220] - 196

derico isthoc I Imperatore, apud Radevic. *l. 4. cap. 78.* ex Curia Romana Papali fuit assumptus, ut Legatus tertius Petri Polani Venetorum Ducis filius, Venetiis. Tanto magis ergo nullam excusationem meretur Diplomatis fabricator, quod intolerabili stultitia non dubitaverit voces illas *Sacri palatii Comitis* suo quem finxerat Adalberto attribuere. Nec verò quidquam illum juvare potest, quod Guntherus Friderico I Imperante cecinerit *libro quarto sui Ligurini* de Hermanno Comite Palatino Rheni:

Hermannus & SACRAE Comes inclytus aulæ
Cujus erat tumido tellus circumflua Rheno.

Poëtæ enim loqui ita licuit: at nomine Imperatoris loqui aliter atque fert stilus Curiæ, nemini fas est, sed crimen grande. Indubie vero etiam Guntherus eâ in appellatione secutus est Codicem Justinianeum qui tum primùm revocatus nonnihil erat in usum, non veterem aliquem Germaniæ morem.

VERVM de hisce satis. Quam fœdum enim & *sacrum* falsi crimen hac etiam in re patraverit Diplomatis fabricator, quamque multis demùm post Ludovicum, cui ausus est nebulo Diploma illud attribuere, seculis id cæperit, sole meridiano jam clarius est.

Hactenus igitur quidem possumus illum Impostorem jubere in orco suo, unde impurum caput extulit, nonnihil quiescere: non possumus autem non Hyperaspistæ caussâ, quoniam præbetur hîc nobis occasio, adhuc aliqua addere. Quamvis enim ille noverit, suum illum Adelbertum in Diplomato dictum esse *Sacri Palatii Comitem*, non dubitavit tamen eundem facere *Palatii Magistrum in Rhetia*. Atque eo ipso prodidit, sese etiam cùm aliis tùm illo etiam nonnullorum errore infectum, tanquam Provinciales Palatini Comites ejusdem olim fuerint conditionis cum iis qui verè erant

Francicorum Regum ætate *Comites Palatii*. Non accuſo hominem, quod ſolus aut primus hîc aberraverit. Jam ante ipſum id factum eſſe à Viris præclaris, fateor. Quoniam tamen ille iſthoc ſuo errore vim veritati nunc adeo facit, & improbam Diplomatis fidem audet eo ſtatuminare, cogor quaſi, hoc loco errorem iſtum nonnihil ſaltim diſcutere: idque eò magis, quia jam tum ſuprà id me facturum promiſi.

Igitur per omnem Germaniam varios olim fuiſſe conſtitutos Palatinos Comites, certum eſt. At verò *primum* nemo illorum dictus eſt Comes Palatii, ſed Comes Palatinus. *Secundo* tunc demum illi ſunt conſtituti, quando Duces hæreditarios inſtituere placuit, atque ita ſeculo circiter decimo. *Tertio* illorum munus ab officio veterum Palatii Comitum omni ex parte fuit diverſum. Quorum omnium conſequens eſt, eo ipſo quo Diploma profitetur Adalbertum ſuum fuiſſe *Comitem Palatii*, negari quod fuerit Comes aut Magiſter Palatii in Rhetia.

Ut de tribus illis ordine ſigillatim aliquid dicamus, neminem Comitum Palatinorum qui provinciis præfuerunt, dictum eſſe *Palatii Comitem*, ſecure aſſero, quandoquidem ex omni illo ævo vetere certus ſum nullum produci poſſe aſſertioni huic meæ adverſum teſtimonium. Et vero illud *Palatii Magiſter in Rhetia* ne legi quidem in pictura Cœnobiali ſed fictum eſſe ab Hyperaſpiſta, jam tum oſtenſum eſt *pag. 140.* Imo vix reperias quenquam dictum illa tempeſtate *Magiſtrum Palatii:* etſi ita nuncupatos illos qui aliàs audierunt *Majores domus* nonnulli referant. Enimvero in Oratione Eumenii Rhetoris *pro Scholis* legitur & *Palatii Magiſterium*, ſed ævo Carolino vox illa fuit inſolens: & ne ſeculo quidem Chriſtiano quarto aut quinto frequens inter Palatii Romanorum Imperatorum officia, eo jue uni fortaſſis Eumenio memorata. Ad

ta. Ad majestatem solito majorem Germanici Imperii, cum Fridericus primus Imperator seculo duodecimo ex more prisco certis Principatibus contulisset in perpetuum septem Officiorum Imperii dignitatem, Comitem Rheni quasi substituit in locum veterum Palatii Comitum: non tamen illi Principes solemnibus formulis dicti fuerunt *Comites Palatii* sed *Comites Palatini*. Illud sanè Güntheri:

Hermannus q. sacræ Comes inclutus aulæ:

jam tum indicavimus Poëticum esse, non ex stilo Curiæ. Perinde atque ejusdem notæ est etiam illud Güntheri passim: *Comes aulicus ille*, pro Comite Palatino Rheni. Vt etiam istud

Ille Palatinæ custos celeberrimus aulæ
Non potuit vitare Comes.

Audiit quidem Friderico I Imperatore etiam Otto non tantum *Comes Palatinus de Bajoaria*, sed etiam *Comes Palatii l. 3. cap. 20.* apud Radevicum: sed ille reapse Palatii Comitem in aula agebat Friderici, perinde ut alter, qui socius fuit narratæ ibi legationis, Reinoldus erat aulæ Cancellarius. Sic apud Luitprandum Ticinensem *l. 11. cap. 15. & 16.* memoratur *Odalricus Comes Palatii:* etiam verò ille fungebatur isthoc munere in aula Berengarii Regis.

Velut autem Comes Palatinus provincialis non Comes Palatii, ita ex adverso item *Comes Palatii*, Carolino quidem ævo, (nam omnia post multùm mutavere donec plane perierint) non temerè audiit *Comes Palatinus*, non certè solemni aliquo Curiæ usu. Perperam sanè Freherus, & jam ante illum P. Pithœus, in verbis Eginardi de Carolo Magno, *etiam dum calciaretur aut amiceretur litigantes audiente*: vocem *Comitis Palatii* mutaverunt in Comitem Palatinum. Eoque nec idem Marquardus Freherus V. C. Ansfridum, qui Palatii fuit Comes, appellans *Comitem Palatinum*, observavit Curiæ stilum quem

quem vocant, sed illam vulgarem loquendi rationem est secutus, qua omnes Palatio ministrantes *Palatini* usurpantur. Quorum potissimi Carolina tempestate dicti aliàs sunt *Proceres Palatii*. Quo ævisui more Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus, Ludovico Pio Imperante, epistolam Matfredo magno Palatii tum ministro (ab ipso Ludovico Imperatore dictum *virum Illustrem* notavit eruditissimus Baluzius in præclaris ad Lupum Servatum Notis. *ep. 29)* missam inscripserat: *Ad Matfredum Procerem Palatii:* & illi, cujus jam meminimus ad Hilduinum & Wenilonem scriptæ, titulum fecit: *Epistola ad Proceres Palatii.*

II. Alterum quod asseruimus constat item ex eo, quod ante institutos Ducatus Provinciales, nulla reperiatur memoria in monumentis antiquis Comitum Palatinorum, provinciarum gubernationi admotorum. Et Carolus quidem Magnus illos qui antehac fuerant in regno Francorum Ducatus ejusmodi antiquavit: prudenter judicans minimè illos expedire Regio regimini monarchico, si præsertim ad filios essent devolvendi Ducatus hereditario quasi jure. Æque prudenter sese gessisse filium Ludovicum, aut nepotes, non dixerim. Arnolphus videtur in Germania quidem primus omnium illud cautè antiquatum institutum reduxisse quodammodo in Bajoariam: filius ejus Ludovicus longè fuit ea in re ipsomet patre suo prodigalior. Ex eo autem denique observare est, mentionem fieri in antiquis monumentis Comitum Palatinorum, qui provinciis una cum Ducibus fuerint præfecti. Hinc Andreas Ratisbonensis Presbyter, cujus Chronica Bajoariæ debet lux publica Marquardo Ftehero, *p. 31* scribit de Arnolpho: *Arnolfus Regum Europæ famosissimus castrum Schiera in terra Bavariæ construens, Comitatus Palatinos ibidem instituit.* Alii Palatinorum illum Comitum exordia Saxonicis Cæsaribus demum adscribunt. Utque verum fatear, idem mihi videtur

videtur verisimilius, jamq; tum probatum est alibi, ubi de *Judiciis Germanicis* disputavi. Non sanè hoc Andreæ testimonium magni est momenti. De illius autem ordinis Comitibus Palatinis ita loquutum est *l. 3. Art. 53 Speculum Saxonicum*, cujus auctor initio seculi decimitertii, ceu probavimus *l. de Origine Iuris Germanici cap. 30*, vixit: *Quælibet provincia Teutonicæ terræ suum habebat Palantzgravionatum, Saxonia, Bavaria, Franconia, & Suevia. Quæ antequam à Romanis superabantur Regna fuerunt, à quibus ipsa in Ducatus nomina fuerunt permutata. Attamen Illustres in vasallos, & vexillorum feuda obtinuerunt.* Non quidem vera sunt quæ hic narrat auctor de institutis per Romanos Germaniæ illis Ducatibus: de suæ tamen tempestatis moribus, quod nempe istis regionibus sui fuerint Comites Palatini, tutò potuit testari. Et verò ita sese rem habuisse, compluribus possit aliis testimoniis confirmari si opus fuerit.

Observari autem meretur, à nullo veterum scriptorum memorari seorsim Rhetiæ Comites Palatinos: sed Sueviæ, cujus olim pars fuit Rhetia, Palatinos Comites Tybingæ potissimùm floruisse, ac proinde Tybingensium Palatinorum Comitum memoriam passim celebrari.

Officium *Tertio* Comitum Palatinorum provincialium quàm diversum fuerit à munere Comitum Palatii, facile deprehendere est, facta utriusque comparatione. Et verò munus Comitum Palatii quale fuerit, paulò ante ex Adelhardo recensentem Hincmarum jam audivimus. Quale Comitum Palatinorum fuerit non aliunde licebit rectiùs dignoscere, quàm ex iis quæ de Comitibus Palatinis Bajoariæ, duo illius terræ longe clarissimi & magno judicio pollentes historici memoriæ prodiderunt. Princeps illorum est Joannes Aventinus, Alter Wiguleius Hund. Illius *libro quarto Annalium Bojorum fol. 491* hæc sunt verba. *Otto Imperator primus Everhardum* III.

(*Regulum* h. e. Ducem *Bojorum*) *ferociùs resistentem capit, in Sueviamq; relegat. Everhardum fratrem Berchtoldi superioris Bojariæ regno præficit, eiq; neptem suam ex sorore Gerbyrgam, filiam Gisalberti, despondet. Arnolphum inferiorem & Hartmannum fratres Everhardi, Curatores templi Fruxinensis, Præfectos Prætorio Bojariæ declarat. Quæ tunc maxima dignitas secundùm Regulum* (h. e. Ducem) *erat: Comes Palatinus vocatur. Is vicem Cæsaris præsidendo Senatui Principali defungebatur, fidem Imperatoris implorantibus aderat, jusq; reddebat, fiscum Augusti, prædia Salica, redditus Regios procurabat. Nihil citra ejus autoritatem Duci aut decernere aut statuere licebat. Si Senatusconsultum Reguli displicebat, intercedebat ad Cæsaremq; referebat.* Idem Aventinus *l. 7. fol. 661* ita scribit. *Rapotho secundus* (Comes de Ortenberg) *Matyldam sororem Ludovici Bojorum Ducis uxorem duxit: atque anno Christi MCCIX occiso Ottone à VVittelsbach, Prætorio Bojariæ suffragiis Bojorum præfectus est. Qui tum summus honor secundum Præsidem erat: dignitate cæteros antecedebat, vicariam operam & curam prædiorum Cæsarianorum fiscique procuratorem præstans Imperatori.* Alia ejus verba ex fol. 695 addere nihil attinet. Aventini autem illa usque adeo probavit Hundius, ut tantùm non omnia Germanicè verterit in illa Appendice partis secundæ operis, cui titulus Bajerischer Stammenbuch / quam inscripsit kurtzer Auszug etzlicher Historischer *observationen*, sub litera P. Verba ejus sunt: *Palatini* die Pfaltz oder Landgraven. Ist vor Jahren in Bayrn das höchst fürnembst Ampt gewesen / nach den Königen oder Hertzogen in Bayrn / nemblich Stadhalter der Römischen Kayser und König / oder als Vicari und Anwäld des Römischen Reichs. Die haben das Obrist Landrecht besessen / auch derselben Röm. Käyser und König Zinßgülten und Steuren eingenommen und eingebracht. Item wer wieder den König oder Hertzogen zuklagen hat / der thet es vor den Pfaltz oder Landgraven. Der bracht es darnach weiter an den Käyser / Kö-

ſer König oder Hertzogen / ꝛc. Refert ejusdem nonnihil Wiguleius ipſa parte prima deß Bayreſchen Stammenbuchs / ubi agit de Scheirenſibus, ut & parte ſecunda *pag. 24 & 27:* ſed fruſtra fuerit addere.

Jam verò ſi contenderis officia Comitum Palatii & Comitum ejuſmodi Palatinorum, utique magnum inter utrumque eſt diſcrimen. Nobis nunc ſatis obſervaſſe eſt, quod *Primùm* hi Comites Palatini extra Palatium in provinciis ordinariè vixerint: Comites Palatii autem pars aulæ fuerint & aulam ſint comitati, rariſſimè extra aulam degerint. Et verò Eginhartus *l. de vita Caroli Magni cap. 9* narrat quidem, bello Hiſpanico per inſidias cæſum à Vaſconibus Anshelmum Comitem Palatii: at expeditioni illi interfuit ipſe Carolus Magnus: eòque præter hunc etiam Regiæ menſæ præpoſitus Eghartus tunc periit. Utrumque autem fuiſſe aulicum miniſtrum liquet etiam ex hiſce verbis Adelmi monachi ad annum 778: *In hoc certamine plærique aulicorum, quos Rex copiis præfecerat interfecti, ſunt.* Annotavimus quidem etiam ipſimet nos *pag. 76* Adalbertum quendam fuiſſe Comitem Palatii apud Ludovicum Pium, & tamen copias quoque duxiſſe contra Ludovicum Bajoariæ tum Regem Pii filium: verùm etiam illi expeditioni adfuit ipſemet Pius Imperator: & duravit utrumque bellum non niſi brevi tempore. Huc pertinet quod Monachus S. Gallenſis narrat de Legatis Regis Græcorum: *Quo cum venirent, videntes Comitem Palatii* (qui nempe erat in comitatu Imperatoris) *in medio procerum concionantem, Imperatorem ipſum eſſe ſuſpicati, terræ tenus ſunt proſtrati.* Sicut extra aulam itaque tantum non ſemper degerunt Comites Palatini, ita Comites Palatii perpetui fuere in Aulæ comitatu. Et illi non niſi extra aulam, hi ſolùm in aula potuerunt officio ſuo fungi. Vtrumque autem munus ſimul rectè obire fuit utique ἀδύνατον.

Quàm circa multùm alia etiam *secundo* occupati fuerunt Palatini Provinciarum Comites, atque Comites Palatii! Functos tamen & Comites Palatinos per provincias vicem Imperatoris in judiciis non minùs atq; in aula Comites Palatii, certum est. Nonnulli huc trahunt id quod in Speculo Saxonico *art. 52. libr. 3.* scribitur: *Palanzgravius judex existit Imperatoris, & Burggravius Marchionis.* Sed perperam: Articulus enim ille asserit, ipsum Imperatorem subjectum esse judicio Comitis Palatini. Id quod accipiendum indubie est de rebus Imperatoriæ in provincia aliquâ possessionis, quales erant complures fiscalinæ quæ appellabantur. Et verò hæ solæ pertinebant ad judicium Palatinum provinciæ cujusque: longe plures autem & aliæ spectabant ad judicium Comitum Palatii.

Hæ diversitates autem duæ etiam *Tertiam* efficiunt: quod nempe pro tempore unus tantum fuerit Comes Palatii, at Comites Palatini ratione numeri Ducatuum plures. Imò ex quo Comitiva illa Palatina dignitas facta fuit hereditaria, etiam in una eademque provincia frequenter ejusdem familiæ plures titulo Palatinorum Comitum audierunt.

Jus etiam dixerunt *quarto* Comites Palatii tantùm in Palatio sive aula: at Comites Palatini in suæ cujusque provinciæ Palatiis regiis variis. Qualia quinque olim fuisse in Saxonia ait *Speculum Iuris Saxonici articulo 62.*

CVM verò multis adeò modis differentes Carolovingici imperii temporibus (de quibus solis nunc sermo est) inter sese fuerint Comites Palatii & Comites Palatini, quàm graviter impegerit Hyperaspista pro Comite Palatii subst ituens Comitem Palatinum, jam sole meridiano clarius est. In universum autem Hyperaspistæ circa hunc locum complures sunt errores. *Primus* est: quod unà cum Diplomate Adalbertum vocaverit *Sacri* Palatii Comitem, cum tamen nemo ætate Carolina sic fuerit dictus. *Secundus:* quod crediderit, idem fuisse Comitem

mitem Palatii & Comitem Palatinum provinciæ. *Tertius:* quod voluerit, Ludovico Germanico regnante fuisse jam institutos Comites Palatinos provinciales. *Quartus:* quod Comites Palatinos Rhetiæ obtruserit, qui olim nulli memorati sunt. *Quintus* denique: quod titulum Magistrorum Palatii finxerit, priscis temporibus Francorum planè ignotum. Quæ peccata cum jam sint omnibus patefacta, non est etiam cur nos huic loco ampliùs immoremur. Nec enim nostri instituti est, omnia quæ ad veteris ævi Comites Palatii aut Comites Palatinos attinet, hîc exsequi.

CAPUT XII.

Circa eos, quorum intercessione privilegium esse datum refert Diploma, duo falsi crimina impostorem commisisse; alterum quasi Imperator Episcopos titulo Illustrium *appellaverit, alterum quasi intercessorum unus fuerit Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus.*

QUanta & quam multiplicia in Diplomate falsi crimina patrata fuerint, cùm circa eum, quem auctorem Diplomatis, tùm circa eum quem Cœnobii Conditorem & simul privilegii impetratorem impostor venditavit, hactenus claræ est luci expositum. Nunc demonstrabimus, bina alia ejusdem notæ peccata in Diplomate esse commissa circa eos, quorum intercessione voluit nequam ab Imperatore Ludovico privilegium esse impetratum. Illorum *alterum* est, quod ausus sit fingere, ab Imperatore Ludovico Episcopos fuisse insignitos titulo ILLUSTRIUM: *alterum*, quod eorum qui intercessione sua privilegium impetraverint unum fecerit esse Rabanum Maurum Archiepiscopum Moguntinum. *Prius* ab ævi illius moribus planè est alienum, & longe demum pòst, idq; potissimùm seculo circiter undecimo, nonnihil in usum traductum. *Posterius*

adversatur omni certissimæ de Rabano Mauro historiæ, utpote quæ constanter narrent, tempore conditi diplomatis Rabanum pridem desiisse in vivis esse. Vtrumque ordine paulò apertiùs oculis exponemus.

I. Igitur illa quidem tempestate, sive seculo Christiano nono, Episcopos non esse ILLVSTRES dictos, non equidem dubito asseverare, fretus omnibus illius ævi monumentis. Nihil sanè est certius, quàm nullum, ex omnibus quæ superant monumentis sive Ecclesiasticis sive civilibus, posse produci bonæ fidei testimonium, quod pronunciato meo adversetur. Poterunt Diplomatis amatores exercere industriam suam; poterunt etiam alii curiosis oculis lustrare omnia. Certus sum, quotquot fuerint, oleum quod ajunt atque operam perdituros.

Quibus honoratis titulis tum temporis Reges vel Imperatores Francici usu Curiali Episcopos sint prosequuti, queant vel illa, quæ à nobis *capite tertio* & *quarto* sunt producta diplomata, in quibus quidem Episcoporum fit mentio, liquidò ostendere. In Ludovici Pii Imperatoris Paderbornensi Diplomate *pag. 13* ita legitur: *quia Venerabilis Vir Baderadus Episcopus Ecclesiæ*. Ejusdem Diploma Trajectinum *pag. 17* sic habet: *quia Rixfridus Venerabilis Vir veteris Trajecti Ecclesiæ Episcopus*. Inter Ludovici Germanici Regis Diplomata Paderbornense ita legitur *pag. 27*: *Qualiter Venerabilis Episcopus fidelis q; noster Batheradus nomine*. Idem titulus *Venerabilis* in eodem Diplomate ter repetitur. Illius Regis Diploma Patavienſe *pag. 38* hæc habet: *cui præsenti tempore Venerabilis Vir Keginarius Episcopus præesse videtur*. In Diplomate Altahensis monasterii *pag. 41* ita habetur: *qualiter Vir Venerabilis Gotzbaldus VVirtzburgensis Ecclesiæ Episcopus*. Item *per præfati*

Venera-

Venerabilis Episcopi petitionem & amorem. In ejusdem monasterii alio Diplomate *pag. 42* ita legitur: *quia Vir Venerabilis Gotzbaldus VVirzburgensis Episcopus.* In ejusdem Ludovici Regis Diplomate Vltrajectino Hungerus Episcopus nullo plane titulo honoratur. Capite nono hujus libri *pag. 143.* adduximus Diploma Cælestini Papæ, ubi ita scribitur: *Eapropter dilecti in Domino filii, Venerabilis fratris nostri, Gualteri Episcopi precibus inclinati.*

Hæc sola, quamvis pauca, possunt utique docere stilum, ut vocant, curiæ; quodque non Imperatores duntaxat & Reges sed etiam ipsimet Papæ, non *Illustres* sed *Venerabiles* appellare Episcopos tum soliti sint. Edita autem sunt integra volumina Ecclesiasticorum Diplomatum ab Imperatoribus & Regibus nostris profectorum. Cujusmodi tabulis præ aliis excellunt Metropolis Salisburgensis Hundii qualem illustravit Christophorus Gevvoldus, Historia item Trajectensium Episcoporum Wilhelmi Hedæ, & Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini Trevirensis Nicolai Zylleſii, variique libri Auberti Miræi: in quibus observare est, illum titulum *Venerabilis* non isto duntaxat Carolino seculo, sed etiam aliquot sequentibus seculis, tantùm non in perpetuo mansisse usu literarum Curiæ Imperialis aut Regiæ. Et verò apud Hedam (ne alia volumina nunc sigillatim advocem in testimonium) seculo adhuc duodecimo Conradus Imperator *pag. 163* editionis Buchelianæ ait: *fidelis noster Hardbertus ejusdem loci* (Trajecti) *Venerabilis Episcopus.* Item: *dicti Hardberti Venerabilis Episcopi fidele servitium.* In alio Diplomate *pag. 166* idem ait: *fidelis noster ejusdem loci Venerabilis Episcopus.* Item: *petitione fidelis nostri Hardberti ejusdem loci Venerabilis Episcopi.* Imo & ipse Fridericus primus eundem observans morem, in diplomate conscripto anno 1166 *pag. 171*, hisce verbis utitur:

Contro-

Controverſiam quæ inter Godefridum Venerabilem Trajectenſem Epiſcopum & Florentium Comitem Hollandiæ de Comitatu Friſonum agitabatur. Quid, quod etiam ſequentibus aliquot ſeculis ille titulus in Curiæ uſu ſic ſatis manſerit frequens? Et verò Fridericus ſecundus Imperator apud Hedam *pag. 196* memorat *Venerabilem Trajectenſem Epiſcopum.* Imo & Carolus IVtus apud eundem Hedam *pag. 247* laudat *Venerabilem Joannem Epiſcopum Trajectenſem.* Vt *pag. 248 & 249* ἁπλῶς *Venerabilis Trajectenſis Epiſcopus* commemoratur. Primus omnium, apud Hedam quidem, Sigiſmundus Imperator in diplomate ſcripto anno milleſimo quadringenteſimo decimo ſexto hiſce verbis *pag. 275* uſus eſt: *Sane Venerabilis & Illuſtris Fridericus de Blanckenheim Epiſcopus Trajectenſis, Princeps & Conſiliarius noſter, & Sacri Imperii devotus fidelis.* Alibi titulum *Illuſtris* interdum fuiſſe & Epiſcopis antehac adhibitum, non nego: Carolino autem ævo ullum Epiſcoporum iſto titulo audiiſſe pernego.

In libro Marculphi editionis Lindenbrogianæ (Bignoniana enim multùm eſt diverſa) ſtatim Formulâ primâ Charta Regalis de Epiſcopatu ita incipit: *Ille Rex Viro Apoſtolico illi Epiſcopo.* Secunda: *Domino ſancto, ſede Apoſtolicæ dignitatis colendo.* In ſexta legitur. *Noverit ſolertia veſtra, nos ad petitionem Apoſtolici viri Domini ill. ill. urbis Epiſcopi.* In ſeptima eſt: *dominis viris ſanctis ac venerabilibus Apoſtolicis in Chriſto patribus omnibus Epiſcopis.* In octava: *ex inſtitutione ſedis Apoſtolicæ ſeu reliquorum Epiſcoporum.* Nona hæc habet: *Igitur Apoſtolicus vir ill. ill. urbis Epiſcopus.* Vndecima: *Karolus gratia Dei Rex Francorum tam præſentibus quam & futuris Dominis ſanctis & Apoſtolicis & venerabilibus in Chriſto patribus.* Duodecima: *Ad petitionem Apoſtolici viri ill. urbis antiſtitis.* Trigeſima octava aliter nonnihil ſonat: *Ille Rex vir illuſter Domnis ſanctis ac venerabi-*

libus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [232] - 208

libus in Christo patribus, omnibus Episcopis, vel omnibus Abbatibus. Centesima decima ita incipit: *Domino sancto & Apostolica sede colendo Domno & in Christo patri ill. Episcopo ille Rex.* Centesima duodecima: *Domino sancto & Apostolico, domno & Patri ill. Episcopo ille Rex.* Reliquas consimiles formulas adducere nihil attinet. Ipsemet Marculphus librum suum consecrans Landerico Episcopo ita loquitur: *Domino sancto, meritis beatissimo, & Apostolico semper honore suscipiendo, omniq; preconio laudis celebrando, Domino ac reverendissimo Papæ Landerico.* Et verò etiam præter Reges, aliis quoq; tum fuisse in usu titulos ejusmodi Episcopales, liquet ex formula venditionis, quæ est centesima vicesima nona: *Domino sancto & Apostolico, Domino & patri ill. Episcopo.*

Observandum verò hîc est: adhuc ætate Caroli Magni ipsismet Regibus Episcopos audiisse *Apostolicos*, & sedes Episcopales *Sedes Apostolicas*, idque recepto pridem in Gallia more. Enimvero & Clodovæus Rex in Epistola ad Synodum Aurelianensem primam scribit: *Orate pro me Domini sancti & Apostolica sede dignissimi.* Apud Gregorium Turonensem *l. 9. cap. 41. & 42* duæ epistolæ hoc habent exordium: *Dominis sanctis & Apostolica sede dignissimis.* Eadem ratione Sidonius Apollinaris *l. 1. ep. 1* cathedram Tricassinam appellavit *Apostolicam sedem.* Idem alibi passim Episcopale munus vocat *Apostolatum.* Ad quæ loca differens doctissimus quondam Arvernorum Præses Joannes Savaro, rectè notat, dictos tum Episcopos in universum *Apostolicos*, quod in Apostolorum locum successissent. Eodem autem modo apud Hedam in Diplomate Caroli Martelli scribitur: *Vbi & Apostolicus vir Dominus & in Christo pater noster VVillibrordus Archiepiscopus* &c. Item in Diplomate Pipini Regis: *Apostolicus Vir & in Christo pater Bonifacius Vrbis Trajectensis Episcopus.* Supersunt ejusmodi complura ex ævo illo: sed huc adducere nullum fuerit commodum. Quamtumvis autem ille titulus Episcopa-

lis tum fuerit receptissimi usus, vel ex iis tamen quæ adduximus Ludovici Pii & Ludovici Germanici diplomatibus videre est, sensim illum jam Ludovico Pio imperante fuisse antiquatum, inque ejus locum successisse minus illud epitheton *Venerabilis*. Quod quî factum fuerit, non equidem certò asseveraverim. Quandoquidem tamen ex eo usque tempore solus Romanus Pontifex *Apostolicus* dictus est, &, solus ille jactitavit *Apostolatum* suum & *sedem Apostolicam*, per est verosimile, factam illam tituli Episcopalis mutationem arte & instinctu Romanæ Curiæ.

Perinde atque vox *Papa* & *Pontifex*, antehac Episcopis omnibus communis, deniq; ad solos Romanos ita transiit, ut jam Gregorius septimus non verecundatus fuerit ex sua cathedra pronunciare: *unum est nomen in mundo, Papæ videlicet.* Fortassis autem Romani prætextu illo hoc nomen *Apostolicus* solis sibi vindicaverunt, quod *Apostolicæ* cathedræ debeant audire solæ illæ quas ipsimet Apostoli immediatè instituerunt: qualis in Occidente situna sedes Romana. Et verò ist hac significatione vocabulo illo videtur usus jam olim Tertullianus *l. de præscriptionibus* quando ita loquitur. *Percurre Ecclesias APOSTOLICAS, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, repræsentantes fidem. Proxima est tibi Achaja? Habes Corinthum. Si non longe es à Macedonia, habes Philippos. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adiiceris, habes Romam.* Singulari decreto antiquum & receptum omnium Episcoporum titulum subitò adeò mutavisse, per sanè est verosimile.

Quâcunque vero tandem ratione id fuerit factum, illud constat ex Marculpho, ejus ætate neutiquam Episcopos audiisse seculari *Illustrium* titulo, sed alio à secularibus planè diverso. Vixisse autem Marculphum Carolo Magno adhuc Rege, certum est. Etsi enim formula nonagesima octava

Ludo-

Ludovicum Imperatorem memoret, non tamen illa videtur esse ab ipsius Marculphi manu: ut multæ aliæ accesserunt more in hisce solito. Unde & illa nata est libri illius manuscriptorum exemplorum diversitas.

Non grave fuerit ex illius ævi scriptoribus adducere & alios titulos, quibus isthæc tempora decorarunt Episcopos, cum in manibus versentur libri. Sed hoc agere nullum fuerit pretium operæ, quandoquidem autores illi, pro suo quisque affectu & ingenio privato, aliter atque aliter sese gesserint, non ex Palatii Regii consuetudine: nobis autem nunc incumbit tantùm id attendere, quem in modum Epistolæ & Diplomata Regia tunc sonaverint, aut quibus titulis Reges suos Episcopos affecerint: quandoquidem nobis res est de Diplomate quod Regia aut Imperatoria auctoritate confectum esse venditatur. In universum tamen etiam illud verissimum, à nemine scriptorum illius tempestatis, etiam privatis literis *Illustrem* appellatum esse Episcoporum quenquam, sed omnes omninò solis sacris atque Ecclesiasticis titulis non autem seculari more fuisse honoratos.

ILLUD igitur quod diximus abunde jam victum est, falsi crimen ab impostore esse commissum, dum Ludovici Imperatoris sive Regis nomine Episcopos duos titulo *Illustrium* fuit prosequutus: quale quid ab illo Ludovico nunquam est factum. Fortassis tamen quenquam duo scrupuli adhuc turbaverint. *Primus* possit esse, quod Abbates ea ætate *Illustres* audierint, ac proinde is titulus multò magis convenire debuerit Episcopis, ut dignitate longè potioribus. *Alter*, quod Ludovicus Pius in Principum Regni classem retulerit Episcopos, atq; adeo eos etiam Seculares esse voluerit. Consequens videlicet est, etiam secularem illum titulum, quo Principes afficere mos erat, ex eo usque Episcopis non minùs atq; Principibus factum communem, perinde atque hodie in

usu est. Jam autem *Illustres* appellari tum solitos non Reges ipsos duntaxat, sed Duces quoque imò & Comites, cùm alàs notum tum vel ex Solemnibus Marculphi formulis perspicere est.

Tametsi vero hi scrupuli dubium aliquod moveant, nihil tamen valent contra usum titulorum, quem illo ævo obtinuisse demonstravimus. Eoque licet hi scrupuli eximi fortè non possent, maneret tamen extra controversiam id quod diximus: nempe non solere tum Episcopos appellari *Illustres*, multo minùs illo titulo ab ipsis Regibus fuisse affectos. Quapropter possent illi scrupuli nunc quidem à nobis prætermitti. Ut tamen omnibus appareat, nostrum veri studium etiam ultra quam necessitas exigit extendi, de utroque quædam hoc loco adferemus.

1. Abbates igitur, imo & Abbatissas, isthac tempestate interdum audiisse *Illustres*, non diffitemur. Marculphi formula septima habet hæc verba: *Cognoscatis, quod Inlustris Abbas* &c. vicesima prima: *Inlustris Deo sacrata Abbatissa.* Vicesima secunda: *in pago VVastinensi ubi Illustris Abbatissa ill. custrix præesse videtur.* Servatus quoque Lupus Abbas in Gallia Ferrariensis epistolâ quintâ scribit: *Verùm Illustris Abbas Rhabanus.*

Cœterum fuit *primùm* etiam illo ævo hic titulus admodum rarus. Etenim in septimâ quidem formulâ Marculphi à Rege ipso tribuitur Abbati titulus ille, fortè tamen locus est mendosus. Et verò vocula ista *Ill.* facilè potuit per imperitiam mutari in *Illustris*. Certè exemplum talis alicujus Regiæ Tabulæ non temerè produxeris, quæ nempe Abbatum quenquam isthoc titulo honoraverit. Adhoc neutiquam promiscuè omnibus Abbatibus etiam privatis scriptorum literis, hic titulus tunc est concessus. Maximè vulgare scilicet nomen tum fuit *Venerabilis*, ut

ut Episcopis ita & Abbatibus. Id quod infinitis potest exemplis ostendi. Non nisi illis Abbatibus aut Abbatissis fuit scilicet datus hic titulus, qui aut simul functi secularibus officiis, aut orti generis illustri nobilitate, aut denique summa in Regno valuerunt auctoritate. Quo tempore sanè Rhabanum titulo isthoc dignatus est Lupus, fuisse illum pariter magnâ in Regio Palatio auctoritate, haud obscurum est, modò vel reliqua verba addantur. *Verum*, ait Lupus, *illustris Abbas Rhabanus postmodum regressus à Palatio, foret necne per id temporis istic, propter legationem sibi commissam ad liquidum scire non potuit: atq; ob eam rem hortatus est, ut reditum meum ad Nonas Iunii differrem, quando solennitas S. Bonifacii se abesse minimè sineret, nisi fortè ipsi quoq; Imperialis jussionis, & ea quam gravissima, præjudicaret autoritas.* Jam & propter generis excellentiam Abbatibus solere tunc temporis titulum attribui solito splendidiorem, significat epistola Joannis VIII Papæ CCCV, ubi Hugoni Abbati Caroli Magni filio naturali hic datur: *Hugoni strenuo, nobili, regali prosapia edito, atq; excellentissimo Abbati.* Sic & propter officii Palatini eminentiam, utrumque fratrem Hilduinum & Walonem, quorum primus fuit summus sacri Palatii Capellanus, uterque autem nonnisi Abbas, Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis epistolam suam hisce verbis inscripsit: *Dominis & sanctissimis, beatissimis, viris Illustribus, Hilduino Sacri Palatii Antistiti & VValæ Abbati, Agobardus servulus.* Quapropter etiam arbitror, non Abbatiæ, sed illius in sacro Palatio summæ dignitatis caussâ, in epistola Ecclesiæ Senonicæ ad Hilduinum illum, quæ extat in appendice ad Tomum secundum Conciliorum Galliæ, illa perquam humilia verba esse scripta: *Propterea vestræ pietatis vestigiis animo provoluti, flebiliter postulamus, ut tamdiu rem suspendere dignemini, quousque cum scripto homine ad Vestram Celsitudinem properantes, ipsi vobis melius nostram pandamus miseriam.* Nec enim abjectius coram

rum Rege ipsomet sese potuisset Ecclesia isthæc gerere. In eundem modum interpretor etiam verba illa Servati Lupi *epistola CX* ad eundem Hilduinum: *Nobilitatis, dignitatis, & moderationis apice conspicuo Hilduino, Ecclesiasticorum magistro Lupus præsentem & futuram prosperitatem.* Item: *Eximietatem vestram cupio valere feliciter.* Vt & illud in epistola XXXIII ad Hludogvicum, quem *Abbatum summum* appellat: *Munusculi similitudinem quam Celsitudini vestræ direxi.* Etiam illum enim in Palatio primâ fuisse dignitate, ex multis Lupi epistolis liquet. Sed & rectè notavit eruditissimus Baluzius *ad Epistolam 22*, fuisse illum propinquum Caroli Calvi Regis & aulæ Cancellarium. Verùm hoc obiter.

Illud *secundò* attendi meretur, quod in universum Abbates non quidem merè secularis ordinis tunc habiti, neutiquam tamen Clero accensiti, atque adeò hactenus secularium classibus saltim affines existimati sint. Seculo ipso quarto, in prima monastici status ætate, idipsum strictè fuisse observatum, quamplurimis possit Sanctorum Patrum testimoniis ostendi si opus sit. Imò canone quarto Concilii Oecumenici Chalcedonensis, cum cæpissent monachi rebus Ecclesiasticis ac civilibus sese ingerere, & dare passim turbas, disertè prohibiti sunt, μήτε δὲ ἐκκλησιαστικοῖς μήτε βιωτικοῖς πραγμασιν ἢ διακονιαῖς: eòque & illo & octavo canone, eâdem cum laicis pœnâ, excommunicatione videlicet, non ut Clerici depositione, puniendos monachos, decernitur. Quinimo anathemate Monachos simul ac Laicos feriendos esse, constitutum est adhuc in Synodo Ticinensi anni DCC LXXVII Carolo Magno rerum potiente: quam constitutionem memorat etiam Aimoini continuator *l. 5. cap. 35* Etiam sequente tempestate sic satis diu Monachi à Clero diversi censiti sunt, & quamvis non Laici tamen illi generi proximi sunt crediti. Quare igitur Abbatibus nonnullis potuerit haud dari secularium primo-

primoribus competens aliàs titulus, nihil vetuit. At alia est ratio Episcoporum: illi certe isthac ætate procul à Secularium hominum ordine fuerunt distincti. Hinc ipsemet Episcopus Drogo, quamvis filius Caroli Magni & Ludovici frater, atque Sacri Palatii Archicapellanus, in Historia vitæ Ludovici tantùm audit *venerabilis*.

Accedit *Tertiò*, quod illo seculo nono multi Abbatum merè fuerint seculares, non assumpti in illum locum ex religiosorum ordine; dicti tunc proinde vulgò *Abbates canonici*, tanquam extra regulam collocati. Concessæ nimirum sunt frequenter opulentiores Abbatiæ liberalitate Regiâ multis quasi in præmium benè bello aut pace gestæ rei. Perinde atque hodie idipsum in Italia, Gallia, alibique, ut & apud nos in Germania, frequentissimi est usus. Saltim igitur hi potuerunt *Illustres* audire tunc temporis, non minùs atque Comites.

Ex quibus manifestum est; non pari ratione fuisse olim fas, *Illustres* appellare Episcopos atque nonnullos Abbatum: ac proinde primus quidem Scrupulus cur quem amplius reddat dubium, nihil esse caussæ.

Venimus jam ad Alterum, qui reapse videri haud in- II.
juria possit majoris momenti. Non enim etiam me præterit illud quod Helmoldus *l. 1. Chronici Slavorum c. 4* scribit de Ludovico Pio Caroli Magni filio Imperatore. *Qui paternis per omnia votis concordans, eadem liberalitate qua pater ejus, erga cultum domus Dei & omnem clerum usus est, amplissimas Regni divitias ad decorem & gloriam Ecclesiæ intorquens, intantum, ut Episcopos qui propter animarum regimen Principes erant cœli, ipse eosdem nihilominus Principes efficeret Regni.* Concessit autem in fata Helmoldus hic anno MCLXX Imperante Friderico I. Ejusdem Imperatoris, ut & antehac Conradi, notarius fuit Godfridus Viterbiensis Italus. Ille verò itidem in Chronico suo, cui *Pantheo* nomen, de Ludovico Pio, more suo, hosce cecinit inconditos versiculos.

Carolus

Carolus egregium genuit Regem Ludovicum
Quem Deus almificum sibi conciliavit amicum.
Lege sua clerus jure vocatur herus.
Hic pater Ecclesiam vario prævenit honore:
Veste, domo, Cerere, cujus fuit aucta favore.
Iure suo legitur grandis ubiq; fore.
Hic propries habitare domos, equitesq; fovere
Nos facit, & veste varia priscaq; sedere.
Nisus & accipiter hac quoq; lege sedet.

Si binos hosce audimus, jam tum Ludovicus Pius Episcopos transtulit in ordinem Secularium Principum, voluitque illos frui honoribus & voluptatibus secularibus: ac proinde Ludovico filio ejus in Germania regnante, meritò Episcopi Moguntinus & Constantiensis ILLVSTRES audierint, isque titulus jure iis fuerit datus in Diplomate.

Verum enimverò, non obscurum est quidem, Friderico I imperante ita fuisse creditum, sed in monumentis antiquis non tantùm nihil tale legas, sed planè adversa. Superant scilicet hodieque severæ leges Capitulares Ludovici Pii, quibus clerum omnem à seculi institutis & moribus sevocat, atque ad sanctimoniam vitæ reducere graviter annitur. Factum etiam id tum esse non sine insigni fructu, discere est ex iis quæ jam tum ad Leonis III Papæ Epistolas adduximus ex Vitâ Ludovici Pii Imperatoris. Illius enim scriptor Ludovico Pio σύγχρονος cum de Synodo Aquisgranensi egisset, ita loquutus est. *Tunc ceperunt deponi ab Episcopis & clericis cingula balteis aureis & gemmeis cultris ornata, exquisitæq; vestes, sed & calcaria talos onerantia relinqui. Monstro enim simile ducebatur, si Ecclesiastica familia deputatus conaretur adspirare ad secularis gloriæ ornamenta.* Multis pòst seculis, respiciens ad sanctas illas Pii Imperatoris constitutiones, opere de Vitis Pontificum, ubi agitur de Gregorio IV Papa, in hæc

hæc verba erupit Platina. *Vtinam noſtris temporibus Ludovice viveres! Indiget nunc Eccleſia tuis ſanctiſſimis inſtitutis, tua cenſura. Adeo in omnem luxum & libidinem ſeſe effundit Eccleſiaſticus ordo. Coccinatos & trabeatos nunc inſpiceres non homines, quod leve fortaſſis videretur, ſed equos & jumenta: præcedente dum incedunt magno adoleſcentum, & altero presbyterorum agmine ſubſequente; non in aſinis, ut Chriſtus noſtri dogmatis auctor & benè vivendi unicum in terris exemplum; ſed in equis præferocibus & phaleratis, ac ſi ex hoſte devicto triumphum ducerent. De argenteis vaſis & egregia eorum ſupellectile deq; cibariis non attinet dicere: eum Siculæ dapes, & Attalica ornamenta, & vaſa Corinthia, ſi hæc inſpicias, nullius pretii dici poſſint.* Hæc Platina. Nec veſtigia porrò ulla ſuperant in antiquis monumentis Ludovicianæ in Epiſcopos imprudenter factæ indulgentiæ. Saltim igitur Pio Imperatori injurioſæ ſunt fabulæ Gotfridi Viterbienſis; quaſi ſcilicet verè Pius ille Princeps Epiſcopos & Clerum ad ſecularem luxum traduxerit. Et verò ſi jam tum illa permiſſa ſint Epiſcopis, multò major indubie fuiſſet data morum licentia Papis Romanis, quoniam hi tunc temporis jam reapſe agebant, per bonam Italiæ partem, Principes ut vocant ſeculares. Inter crimina autem Joannis XII Papæ, teſte Luitprando Ticinenſi Epiſcopo συγχρόν. *l. 6. cap. VII* recenſitum fuit, quod *venationem publicè exercuiſſet*, quodque *enſe accinctus galea & lorica fuiſſet inditus.*

Eſt autem & Helmoldi illud, de Epiſcopis à Pio Imperatore *Principibus Regni* conſtitutis, omni ſpecie veri carens commentum. Eſt enim vox illa *Princeps* ambiguæ ſignificationis, & nunc denotat duntaxat primum: atque adeo hac ſignificatione Ludovicus Pius ille Imperator novum quidquam non potuit Epiſcopis concedere. Jam ſcilicet Merovingica florente Francorum Regum familia, inter primates Regni numerati ſunt Epiſcopi, & admoti

conventibus saltim quibusdam Ordinum Regni, hactenusque *Principes* nominati. Hinc Legi priscæ Alemannicæ hæc verba præfixa sunt: *Incipit lex Alemannorum, quæ temporibus Clotharii Regis una cum principibus suis, id sunt XXIII Episcopis, & XXXIV Ducibus, & XXXII Comitibus, vel cætero populo, constituta est.* In conventibus autem publicis Ordinum fuisse tum primo ante ipsos Duces loco Episcopos, imò etiam Abbates, jam dudum ostendimus in *Dissertatione de Civibus Imperii Germanici.* Quod si autem vocem *Princeps* accipias pro eo quod nobis jam est ein Fürste / oppidò sane fallitur & fallit Helmoldus. Quin autem hoc ille voluerit, non equidem dubito, quoniam illius ætate non alia istius dictionis recepta erat in vulgus significatio. Etenim Ludovicum Pium instituisse, ut Episcopi essent dicerenturque imposterum *Principes Regni*, aut vernaculâ nostrâ linguâ Reichsfürsten / ne leviſſimo quidem indicio colligere est ex omnibus illius ævi reliquis monumentis. Imò verò exercuisse Episcoporum quenquam ante Ottonem Magnum secularem sive *Principalem* jurisdictionem, aut aliquod aliud *Principale* munus, nemo probaverit. Nos alibi demonstravimus, cepisse tale quid demum Coloniæ ex instituto Ottonis illius Magni, sensimq; demum serpsisse hoc exemplum ad alios Episcopos, & ne nunc quidem in Germaniâ hac nostrâ omnibus hoc concessum. Perinde atque Italiæ, Galliæ, aliorumque regnorum Episcopis penè universis id hodieque negatur.

Quod si vetera Imperii Germanici monumenta excutias, haud temerè reperias Episcopos *Principum* titulo ante seculum undecimum insignitos. Sed apud Hedam *pag. 130.* in Diplomate Henrici IV Imperat. anno Dominicæ incarnationis MLXIV. VI. Non. Maji Trajectensi Episcopatui concesso legitur: *interventu & consilio Principum nostrorum Annonis Colonienſis, Sigefridi Moguntini, Adelberti Bremenſis, Everardi Trevi-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [242] - 218

Treverensis Archiepiscoporum, Burchardi Halberstadiensis Episcopi, Friderici, Godefridi, Gerardi Ducum aliorumq; fidelium nostrorum. Præcedente autem *pag.* in Diplomate ejusdem Henrici eodem anno sed 2 Kal. Maji dato iidem Archiepiscopi & Episcopi audierant duntaxat *nostri fideles.* Idem Heda *pag. 155* recitat Henrici V Imperatoris Diploma illud, quo investituris Episcopalibus renunciavit & convenit cum Calixto Papa. In quo hæc reperiuntur. *Hæc omnia acta sunt consensu & consilio Principum, quorum nomina subscripta sunt: Adalbertus Archiepiscopus Moguntinus, Fridericus Archiepiscopus Colonienſis, H. Ratisbonensis Episcopus, Otto Bambergensis Episcopus, Bruno Spirensis Episcopus &c.* Inter Privilegia item Hamburgensis Ecclesiæ publicata ab Erpoldo Lindenbrogio *pag. 167* Diploma Henrici quarti Imperatoris datum anno MLXXXV, (de cujus fide nos dubitare vetat autographum, aureo sigillo munitum, in tabulario Stadensi superstes) hæc verba habet. *Habuit secum adjutores in petendo complures: ex Principibus Sigefridum Moguntinum, Annonem Colonienſem Archiepiscopos, aliquos etiam ex Ducibus ac Marchionibus.* Item: *Recognoscebant ex Principibus, Episcopus Monasterienſis Erpo, Episcopus Veronensis Renolstogel &c.* Non opus existimo alia adducere in testimonium. Quod autem illâ fortè ætate primùm cæperat, sequentibus seculis, cum primis à seculo decimotertio usque, factum est quasi perpetuum.

Non me fugit, Diploma aliquod de Expeditione Romana Caroli sive Magni sive Crassi nomine, à Marco Velsero erutum ex MSS. à Rittershusio editum & pòst commentariolo à Marquardo Frehero esse illustratum: inque eo mentionem fieri *Principum tam Spiritualium quàm Secularium.* Sed esse illud ὑποβολιμαῖον, jam pridem nos ostendimus *l. de Origine Juris cap. 17* Fertur quoque Diploma Caroli Magni de Basilica Aquisgranensi, ubi hæc reperiuntur verba: *Consilio Princi-*

Principum Regni noſtri Epiſcoporum Ducum Marchionum ac Comitum. Eſt autem etiam illud à me aliàs convictum impoſturæ, imo & ante me à viris eruditiſſimis aliis. Vt taceam, quod hîc θεῖον *Principes* etiam Comites comprehendat, ac proinde latiore ſignificatu ſumptum queat videri.

Quicquid ſit hujus, ante ſeculum undecimum haud forte in uſu fuit, ſtrictiore acceptione Principes appellare Epiſcopos. Nec tamen etiam tunc ſtatim titulus *Illuſtrium* illis vulgò cæpit tribui; etſi jam ſeculo duodecimo id interdum eſſe factum, per videatur veriſimile. Certè nono ſeculo, cui Diplomatis natales adſcripſit impoſtor, nec *Princeps* arctiore ſenſu nec *Illuſtris* appellatus eſt quisquam Epiſcoporum. Atque ita alter etiam qui moveri poterat ſcrupulus jam eſt remotus.

Etſi verò ita jam omnibus pateat illud in titulo Epiſcoporum falſi commiſſum crimen, fortè tamen haud abs re fuerit ſaltim hoc etiam addere, quid impoſtorem compulerit, adeo ineptire, cum ſerò admodum in Cæſareis diplomatibus titulus iſte cæperit uſurpari. Atque ego quidem fateor, me etiam impoſtoris væcordiam mirari, & cauſam delirii certò aſſignare vix poſſe. Sed ſi liceat conjectura uti, dixerim, ex inſcitiâ ſummâ natam culpam. Veroſimile nimirum mihi eſt, incidiſſe impoſtorem in librum aliquem formularum ſolemnium, cujuſmodi eſt Marculphi: ubi frequentiſſimum eſt *ill.* aut *Ille* pro Græco ὁ δεῖνα aut Latino N. N. ſive *nonnemo*. Qualia à nobis jam ante aliqua ſunt producta ex Marculpho. *Ill. Epiſcopus* exempli gratia, & ſimilia. Iſtud *Ill.* videtur exiſtimaſſe, ſignificare *Illuſtris*: atque ita etiam, quo tempore nondum invaluerat Aulæ ſtilo de Epiſcopo titulus iſte, præmaturè epitheton illud Diplomati inſertum eſſe. Acceſſit fortaſſis jam tum recepta paſſim conſuetudo, Epiſcopos appellandi Fürſten aut Principes ſeculares: qualibus jam olim titulus *Illuſtris*

stris fuit attributus. Et verò jam non semel fecimus verosimile, seculi duodecimi circiter fine Diploma esse confictum: illo autem tempore Episcopi in vulgus ipsum audierunt *Principes*, ceu ex iis quæ paulò ante attulimus liquidum est. Cæterùm hanc conjecturam nostram sive admittat quis sive rejiciat, in nullo equidem ponam discrimine: postquam falsi crimen ipsum omnium oculis jam plus satis est expositum.

II. PROGREDIENDVM tandem nobis est ad detectionem SECVNDI CRIMINIS. Igitur callidè quidem satis veterator finxerat, impetratum fuisse privilegium intercessione Rhabani Archiepiscopi Moguntini & Salomonis Constantiensis Episcopi. Uterq; enim fuit apud Ludovicum Germanicum magnæ auctoritatis. Salomone sanè legato ad Papam Romanum fuerat Rex usus in caussa Ramesloæ Hamburgensi Archiepiscopatui jungendæ, primis statim annis sui in Francia Orientali regiminis: ceu legere est in Nicolai Papæ Bulla, quæ inter Hamburgenses tabulas edita est ab Erpoldo Lindenbrogio *pag. 146.* Imò illius consiliis frequentissime auscultavit etiam postea Rex per omnem vitam. Rhabanus quoque in tantâ fuit (nec immerito, erat enim doctrina nemini suæ ætatis secundus) nondum Archiepiscopus, imò pulsus Fuldâ ab improbis suis monachis, existimatione, ut in Regio Palatio locum, & defuncto Othgario ipsum Archiepiscopatum Moguntinum liberalitate Ludovici consecutus sit. Adhoc Cœnobium in diœcesi situm est Constantiensis Episcopi: hic verò subest Archiepiscopo Moguntino. Itaque tantis intercessoribus impetratum privilegium debuit utique haberi maximi roboris.

Elusit tamen veritatis summus patronus Deus hominis παυεργίαν, eumque graviſſimè hac etiam parte labi passus est. Etsi enim Salomonis Constantiensis Episcopi res attemperatè satis conveniant cum Diplomate: Rhaba-

nus tamen minùs ex voto nebulonis ad negotium hoc accitus est. Etenim Salomon Bruschio aliisque testibus præfectus est Constantiensi Ecclesiæ anno 831, eamque rexit ad annum usque septuagesimum tertium illius seculi noni: adeoque potuit is Podami adfuisse Ludovico Regi anno Christi Octingentesimo sexagesimo sexto. Rabanus verò jam defunctus fuit anno Dominico seculi illius noni quinquagesimo sexto: adeoque jam effluxerat integrum ab obitu illius decennium, quando Diploma conditum esse voluit impostor, *interventu* illius etiam optimi & præstantissimi antistitis.

Observaverat hoc falsi crimen etiam doctissimus Heiderus, & tertio loco collocaverat inter manifesta falsi indicia. Ideoque Hyperaspista dedit operam defendendo suo Diplomati ab hoc quoque impetu, *capite suæ Apologiæ tertio*. Duplici autem modo tueri conatus est Diplomatis causam. Uno, quod etiam aliàs fieri sit solitum, ut post mortem petentis privilegia concedantur. Altero, quod Rhabanus obierit quidem anno 856 (nec enim hoc vel in dubium fuit vocare ausus) Diploma autem esse confectum vel anno 54 vel 56, atque adeò vivente adhuc Rhabano. Cæterum ut liquidò & citra omnem molestiam unicuivis possit apparere, quàm nihili sint illa etiam Hyperaspistica, age producam primò in conspectum ipsa Diplomatis verba: deinde singulatim ordine utramque Hyperaspistæ exceptionem examinabo. Verba hæc sunt. *Sed ne deinceps laudes divinæ & regulares disciplinæ ibidem deficerent, dignitatem nostram, per interventum fidelium nostrorum Illustrium Rabani scilicet sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ Metropolitæ nec non Salomonis videlicet Constantiensis Ecclesiæ præsulis postulavit.*

1. *Primum* igitur effugium Hyperaspistæ quod attinet, attenden-

tendendum est, ita omnia Diplomatis esse conscripta, quasi tum temporis quo est conditum, in Podamo Palatio præsens adfuerit inter alios Rhabanus. Cum enim dixisset Imperator, *suis obtulisse obtutibus Cœnobium sanctimonialium* Adalbertum Sacri Palatii Comitem, *per inventum*, ait, *Rhabani ita postulavit*: & *huic petitioni assensum præbentem* sese *decernere atq; jubere &c.* Tota narratio certè refert, quid tum temporis quo diploma est datum contigerit. De homine pridem mortuo ita loqui, atque hîc fit de Rhabano, solet nemo. Provoco ad scribendi loquendique consuetudinem, toto terrarum orbe & ab omni ævo receptam.

Ausus tamen est Hyperaspista producere diplomata bina, quæ de pridem mortuis perinde atque in hoc Diplomate fit de Rhabano, verba faciant. Alterum esse Caroli Magni Cœnobio Bajoarico Altahensi concessum anno 822 ad preces Geroldi Comitis, qui tamen bello Hunnico jam erat cæsus anno 799, testibus Reginone, Sigeberto, Hippedanno, Brunnero Tomo secundo Annalium Boicorum l. 6. Quibus addere potuisset etiam Annales Francorum. Cæterùm habetur quidem illud quod innuit Diploma apud Hundium *tomo secundo Metropolis Salisburgensis* primo loco inter privilegia monasterii Altach inferioris: esse autem illud malæ notæ, non obscurum est si cum curâ expendatur. Nos illud hoc loco totum producemus.

In Nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. CAROLVS Serenissimus Augustus à Deo coronatus, Magnus, pacificus, Imperator Romanorum gubernans Imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum. Quicquid enim ob amorem omnipotentis

tentis Dei ad loca sanctorum venerabilium pro mercedis animæ nostræ augmento concedimus vel confirmamus, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem pertinere confidimus. Igitur notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, præsentium scilicet & futurorum, quoniam nos in Eleemosyna nostra ad deprecationem GEROLDI Comitis fidelis nostri, concedimus atque confirmamus ad Monasterium S. Mauritii, quod est situm in Ducatu Bajoariorum in loco nuncupante Altaha, ubi Orulfus rector præesse videtur, locum quendam in Avaria, ubi Dieloha fluvius Danubium ingreditur. Est autem æstimatio illius loci quasi 40 mansorum. Qui locus sub omni integritate partibus memorati Monasterii per hanc nostræ auctoritatis largitionem vel confirmationem perpetuis temporibus proficiat in augmentis. Præcipientes ergò jubemus, ut nullus quilibet fidelium nostrorum memorato Orulfo Abbati, vel successoribus ejus, aut monachis in memorato Monasterio vitam degentibus, ullam inquietudinem aut calumniam aut diminutionem de prædicto loco ullo unquam tempore facere præsumat, sed perpetuis temporibus, per hoc nostræ auctoritatis præceptum vel largitatis donum, robustissimo jure pars ipsius monasterii teneat atque possideat. Et ut hæc præceptio nostra vel confirmatio nostris vel futuris temporibus melius conservetur, de annulo nostro subtùs sigillare jussimus. Datum 6. Cal. Decembr. anno Christo propitio Imperii nostri duodecimo Regni verò in Francia 44, atque

37 in

37. *in Italia, Indictione quinta. Actum Aquisgrani Palatio regio, in Dei nomine feliciter.*

Hactenus Diploma illud. Verumenimverò falsò hoc effictum esse, multa liquidò ostendunt. Satis est obsevasse illud: *situm in Ducatu Bajoariorum:* nullus enim tunc erat Bajoariorum Ducatus, sed cum devicto Tassilone extinctus dudum fuerat. Non etiam tunc *Orulphus* aliquis Cœnobium illud rexit, verùm, quod etiam Hundius notavit, Fulradus. Sed & quî Geroldus Comes potuit petere à Carolo aliquid dari Cœnobio in Avaria situm, quum Avaria vivo Geroldo nondum fuerit à Carolo plenè subacta? Annus porrò incarnationis Dominicæ sive Imperii XII est Regni in Francia quadragesimus quintus, in Italia quadragesimus primus. Taceo, solœcismos Diplomatis non convenire emendatæ scriptioni Carolinorum diplomatum aliorum. Quid? quod non æquè Diploma hoc perspicue loquatur de Geroldo vivo, atque de Rhabano superstite fit in Ludoviciano. Autorem tamen etiam illius Carolini diplomatis credidisse, Geroldum Comitem istum, cujus rogatu Carolus Magnus beneficio affecit Cœnobium Altahense, tum temporis adhuc fuisse in vivis, haud negari potest. Imò verò probabile est, alium hunc fuisse Geroldum Comitem ab illo, qui periit bello Hunnico. Hic enim nudè Comes in Diplomate hoc appellatur: qui interemptus autem est ab Hunnis, is Eginhardo & Annalium auctori dicitur *Præfectus Bajoariæ*: Sigiberto *dux Bajoariæ*, h. est Præfectus militiæ in Bajoaria: (ubi perperam legitur tamen *Gerhardus*, & mors refertur in annum 800) Hermanno Contracto *piissimus signifer Caroli.* Tantæ autem dignitatis virum non nisi Comitis titulo insignitum à Carolo Magno, cui carissimus fuit & virtute & affinitate, frater quippe Hilde-

gardis Reginæ, quod Aventinus annotavit, non eſt veroſimile.

Alterum Diploma, quod Tomo primo *pag. 127 Metrop.* Hundii inter Friſingenſia privilegia reperitur; itidem nihil juvat Hyperaſpiſtæ effugium illud primum. Etſi enim Privilegii Friſingenſis illius fides admitti queat; non tamen Catalogo Epiſcoporum Friſingenſium (quo teſte unico Hundii illuſtrator C. Gewoldus ſcripſit, Walthonem Epiſcopum, cui Privilegium conceſſit Ludovicus Rex anno 906, obiiſſe anno 905 menſe Majo) poſſumus credere. Quam ſanè incerti plærumque ſoleant eſſe Catalogi ejuſmodi tantum non omnes, notum eſt iis qui eos verſaverunt manu diligentiore. Ipſemet Hundius de Erſtembergo Friſingenſi Epiſcopo ſeptimo, cui decimus ſucceſſit Waltho, ait: *Quo anno obierit incertum eſt, dicitur autem ſepultus in Capella S. Petri.* Paulo ante tamen dixerat: *adminiſtravit Epiſcopatum annis 18.* Tempora itaque ſucceſſionis Friſingenſis cathedræ utique non ſunt omninò certa. De proximo anteceſſore Walthonis Arnolpho ita ſcribit idem Hundius: *Præfuit ſolùm annis octo, ſed annus electionis non concordat cum ſuperiore numero Annonis Epiſcopi.* Imò Hundius diſertè de Vttone ſucceſſore Walthonis ait: *Vixit tantùm uno anno in Epiſcopatu, ante confirmationem mortuus, alias Ottho: qui interfuit expeditioni magni Ludovici Romani Regis contra Vngaros, anno 907. Aventin. fol. 480.* De hujus item ſucceſſore: *Dracolphus electus eſt Epiſcopus anno 908.* Hiſce admiſſis, anno demum nongenteſimo ſexto obiit Waltho, non quinto. Atque ita vivo adhuc atque ſuperſtite Walthone conceſſit Privilegium illud ſuum Rex Ludovicus.

Quin itaque frivolum ſit primum Hyperaſpiſtæ effugium, nemini non jam eſt manifeſtiſſimum. Et verò quod ex omnis ævi monumentis Socii Hyperaſpiſtici tantùm duo illa inepta exem-

exempla potuerint omni suo conatu corradere, satis pro indicio est, illud quo nos, crimen falsi commissum esse in Diplomate circa Rhabanum, usi sumus argumento ab obitu Rhabani desumpto, invicti esse roboris.

Alteri effugio ut aliquid hîc objiciamus, nulla est necessitas. Jam tum enim hujus libri *pag. 118* iterumque *pag. 123* demonstravimus, Ludovicum nostrum Germanorum Regem post obitum demum patris Pii cæpisse libera potestate in Regno suo *imperare:* atque ita annum vicesimum sextum regni, qui aliquâ possit specie dici annus *Imperii*, esse Christi annum sexagesimum seculi noni sextum. Adversatur certè sibimetipsi Hyperaspista, quandocunque ab initio regni Bajoarici numerat annos *imperii* Ludoviciani. Contendit enim acriter *cap. 1. pag. 7 Imperatoris* nomen competiisse Ludovico propter amplitudinem regni & liberam regnandi potestatem. At vivo patre Pio agnovit Ludovicus superiorem patrem *Imperatorem*, & Bojariæ regni tunc angusti fuerunt limites. Ac proinde tum saltim temporis *Imperator* audire non potuit, juxta ipsiusmet Hyperaspistæ doctrinam: nec ab illius Bajoarici regni primo momento exordium *Imperii* potest computari. Certum igitur est, non in vivis sed pridem defunctum fuisse Rhabanum, quando Ludovicus Rex anno alicujus *Imperii* sui vicesimo sexto Diploma condidit. Atque adeo & Alterum Hyperaspistæ effugium cum rubore, si quis pudor supereſt, non potest non sese in tenebras recipere.

ETIAM secundum itaque falsi crimen, circa eos commissum quos veterator effinxit impetrandi Diplomatis intercessores, cum sit in aprico propositum, hunc etiam locum omnem possumus nunc etiam nos deserere.

CAPUT XIII.

Falsò in Diplomate asseri, quod jam tum Cœnobium fuerit situm in insula, ibiq; initiò statim constructum : illud enim pòst demum, seculo Christi decimo, in insulam translatum, antebac autem alibi fuisse conditum.

QUæ hactenus attulimus, quantum arbitror, non δοξαστικῶς sed planè ἀποδεικτικῶς multorum falsi criminum Diploma convicere : atque ita demonstrarunt, Diploma illud, post tot falsi crimina evicta, tanquam fœtidum corpus oportere abjici, aut æternis tenebris sepeliri, indignum nempe quod diutiùs in oculis hominum & solis luce versetur, aut cujus amplius ulla haberi ratio debeat. Fortassis tamen haud fuerit nefas, illud jam conquiniscens & deploratum pridem cadaver, adhuc quasi per triumphum, etiam minore quodam argumentorum acumine, nonnihil vellicare. Nos, quasi liceat, hoc impostetum agemus : paucis tamen, ne videamur nimis operosi, aut ipsum adhærentem fœtido cadaveri pulviseulum velle excutere.

Prima autem vice nunc id duntaxat sub examen vocabimus, quod in Diplomate dicitur, de loco ubi jam tum conditum fuerit Cœnobium.

Verba Cæsarea talia feruntur de Adalberto. *Obtulit obtutibus nostris quoddam Cœnobium Sanctimonialium nomine Lindaugia, situm intra lacum VVitsehe, & constructum in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ.* Quemadmodum in Palatio Podamo subsistentis Ludovici Regis oculis potuerit offerri Cœnobium, non apparet quidem; non tamen nunc id nos morabitur. Quod autem de loco & nomine Cœnobii hîc habetur,

habetur, falsum utrumque esse, saltim perquam verosimile nunc faciemus, si non, ceu priora, omni ex parte certum & inconcussum. De loco autem agemus primùm; deinceps de nomine.

Quod LOCVM igitur attinet, supereſt antiquissima traditio, Cœnobium initiò fuisse constructum extra insulam, ad Lacus Podamici partem dexteram, ubi etiamnum reliqua sunt vernacula vocabula Nunnenhorn & Nunnenbach: ipsammet Abbatissam autem vixisse Wasserburgi: ex illis locis & Cœnobium & Abbatissæ sedem in insulam fuisse translatum, Præfectum autem Cœnobii occupasse sedem pristinam Abbatissæ Wasserburgi, donec illa vendita est cuidam Domino Kiselegkio, qui eandem rursus, anno Christi post milleſimum ducenteſimum octogeſimo, quingentis marcis Ulrico & Marquardo Schellenbergiis vendiderit.

Vnus, quod equidem ego nunc sciam, Gaspar Bruschius illius vetustissimæ traditionis memoriam posteris conservavit in quodam quod appellavit Idyllio de Wasserburgo, quodque addidit inter alia suæ *Centuriæ primæ Monasteriorum Germaniæ* editæ pòst Ingolstadii anno 1551. Quandoquidem liber ille in paucorum hodiè est manibus, multò minùs illud Idyllion legi solet, nos partem ejus quæ ad nostrum hoc negotium attinet, bonâ fide hîc recitabimus. Ita igitur Bruschius quidem canit.

Est locus, Acronii sed dextro in littore Ponti,
Dictus ab immensa undarum ipsa mole & abysso
Voce Hydropyrgon Græcâ: Castrum undiq; fractum
Hugonis Comitis de Forti Monte, Moreæ
Principis ac Domini in Tettnango, & ad inclyta Rupis
Ruffæ castra & in Argoviana Principis arce.

Caſtrum inquam vaſtatum olim, cum divite pago
Nonnarum prope cornu, circumquaq; Lyæo
Veſtitum. Poteras magis aptâ dicere voce
Bacchipyrgon: ita eſt locus undiq; vitifer & tam
Procreat omnino generoſi munera vini.
Temporibus priſcis fuit hæc arx inclyta ſedes
Sacratæ Dominæ, quæ Dux Regina Parensq;
Virginei cœtus erat, ad Lindavica noſtro
Tempore (dum locus eſt mutatus) templa ſedentis.
Nam tum virgineus chorus hic habitabat eo ipſo
Sylveſtri umbroſoq; loco, Nonhornia quo nunc
Villa jacet: medius vel qui eſt pagum inter utrumq;,
Quorum alter Nonnarum Cornu dicitur, alter
Ferur earundem Germano nomine Rivus.
At cum ſacra domus tandem Monialium in ipſum
Vaſtum eſſet translata Lacum, in quo nunc quoq; pul-
Cernitur eſſe ſita, immenſo circundata Ponto: (chre
Contiguisq; ornatà & multis ædibus, altis
Turribus, ac muro infeſtos arcentibus hoſtes:
Tum fuit hæc arx Cœnobii præſtantibus ipſis
Præfectis domus atq; habitatio & optima ſedes.
Donec eam Dominus uidam Kiſelegkius emptam
A Domina Abbatiſſa ad ſe pertraxit. Is ipſe
Quingentis marcis, elapſis pluribus annis,
Vendidit Vlrico & Marquardo rurſus eandem
Schellenbergenſi prognatis gente vetuſta:

Cum

Cum post mille annos quoq; ducentesimus iret
Octogesimus & Christi de Virgine nati.

Hæc omnia Bruschius. Utrum autem hæc an illa quæ in Diplomate continentur sint veriora, jam dispiciendum. Quod ut quam optimè possit fieri citraque ullum præjudicium, præmittemus proximè antiquissimam Cœnobii in editis hactenus monumentis superstitem memoriam.

IGITVR citrà controversiam Cœnobium attinent illa quæ *l. 1. cap. XV Historiæ vitæ S. VViboradæ* narravit Hepidannus S. Galli Monachus. Quam historiam *Parti secundæ Tomi primi Rerum Alemannicarum* inseruit primus editor Melchior Goldastus. Adferemus huc locum integrum: cùm ut citra molestiam possit testimonium illud expendi, tùm quia habet nonnulla quæ etiam aliis de caussis à nobis erunt attendenda. Sed & reapse hoc demum est omnium antiquissimum de Cœnobii rebus documentum: quoniam & ipsemet Hepidannus hæc scripsit seculo undecimo, & quæ narrat contigerunt seculo Christiano præcedente. Diploma enim Cœnobiale amplius non moramur: quia totum est commentitium & longe recentius. In hunc verò modum habent sese illa Hepidanni. *At Cilia invidiosè tumens contra Virginem propter ejus inobedientiam, simul verita sibi decrescere quæstum si diu ibi moraretur, demandavit Episcopo, quod vellet cum illo secretò verba miscere. Adveniens, postquam semotis cæteris multa perfide quasi fideliter de virgine locuta est, etiam hanc sententiam subintulit. Compertam habeo vestram spiritualem voluntatem erga eandem puellam, quod eam si vobis occasio datur vultis inserere alicubi choro sanctimonialium: quatenus tuta à mundiali fluctuatione liberiùs in Dei servitio possit durare: ad hoc etiam rescitum habeo vestrum iter Linthaugiam. Eò loci si vos non aliàs trahit voluntas, consiliaret ejus insertionem, tum quod conversatio ibi valde spiritualis est, tum quod promptior ei illic*

illic pateret ingressus: ibi enim omnia vestro nutui parebunt. Præsul autem hæc de radice dilectionis procedere autumans, lætus effectus est, & præcipiens ratem armare, misit quendam de suis servientibus B. Virgini intimandum, ut sibi ad navim eunti expedita foret ad navigandum secum ad prædictam insulam. Sed illa, antequam Episcopalis legatio venisset, ingressa basilicam oratura prosternitur coram quodam altari in honorem Sancti Galli consecrato. Et sicut fuit voluntas Dei inter preces obdormivit, & vidit oraculum, nec non somnium: beatum virum sibi vas sanguinolentum porrigentem multis spurciciis plenum, dicentemque sibi, si ad locum, ad quem Episcopus reducere cupit, perveneris, hunc sordidum victum manducabis & sanguine Kerbirgæ reclusæ ibi inebriaberis. Cumque evigilasset & secum miraretur de somnio, offendit eam legatus in admiratione. Qui cum deposuisset ei mandata Præsulis, non respondit ei nec ad unum verbum, sed dimisit illum abire sine affatu. Super qua admirans Episcopus, continuò autem cogitans ei aliquid revelatum esse, navigationem suam peregit, & ad urbem Deo gubernante ipsa die prosperè rediit.

XI. Hactenus antiquissimum Cœnobii rerum monumentum. Proximum huic est illud quod habet Hermannus Contractus in Chronico ad annum Domini MLI, de Henrico III Imperatore verba faciens, *Ipsis diebus, defunctis uno pene in tempore Lindaugiensi & Buchaugiensis Abbatissis, Iuota nobilis prudens & religiosa vidua, utrique loco recuperando ab Imperatore præficitur.* Est Hermannus hic Hepidanno nonnihil senior: quippe qui in fata concesserit anno post millesimum quinquagesimo quarto: atq; adeo hactenus illud Hermanni possit haud immeritò haberi monumentum omnium antiquissimum rerum Cœnobialium; quoniam tamen quæ in Vita Wibaradæ memorantur, jam seculo decimo contigerunt, nec multò post Hermannum literis sunt exarata, primus locus illis meritò maneat.

Præter hæc duo porrò nihil in veteris ævi monumentis de Cœ-

de Cœnobii rebus hodie ſuperat, quod quidem huc pertineat citra controverſiam. Etenim trahunt huc nonnulli 111
etiam illud, quod ad annum 948 notavit idem Hermannus Contractus hiſce verbis: *Lindaugia concremata eſt.* Alii autem de oppido id nominis agi exiſtimant. Quorum ſententiæ accedere, ſunt quæ moveant me haud exigui ponderis. *Primò* enim ſi de Cœnobio feciſſet ſermonem Hermannus, illum inſtituiſſet perinde atque fecit ad annum 937: ubi ita loquitur: *Monaſteria S. Galli & S. Bonifacii cremantur.* Hepidannus conflagrationem illam referens iisdem penè utitur verbis: *Lintaugia concremata eſt Nonis Iunii.* Paulò antè autem ſic itidem ſcripſerat: *Anno DCCCCXXXVII Monaſterium S. Galli concrematum eſt VI Kal. Maj. in IV feria.* Illa utique diverſa loquendi ratio, de Cœnobio aut ejus combuſtione vel Hermannum vel Hepidannum non egiſſe, haud obſcuro eſt indicio. Perinde ſanè atque de Lindaugiâ, ſcripſit de Ratisbona etiam Hepidannus: DCCCXCII *Radesbona igne cremata eſt.* Idem *ſecundò* confirmatur eo, quod de hujus conflagrationis autore præclari narrant hiſtorici. Ita enim loquitur *l. 5. c. 9. fol. 51b.* Joan. Stumphius: *Anno dom. 948* iſt die Stadt Lindaw verbrant durch Hertzog Herman von Schwaben / ſchreibt *Hermannus Contractus.* Gulerus *l. 8. Rhetiæ fol. 106. a.* paulo plus addit. Als man ietzund *DCCCCXLVIII* Jahr von der Geburt Chriſti zehlt / hat gedachter unſer Hertzog Hermann Lindaw / ich weiß nit was Uhrſachen / in brand geſteckt / und das Brägentzer Schloß mit hülff Käyſers Otthonis mit gewalt eingenommen. Bucelinus rem eandem *Rhætiæ ſuæ pag. 196* hiſce verbis narravit. *A. C. Hermannus Dux noſter Rhætorum Alemannorumq; collectis copiis, incertum qua ex cauſſa, Lindavium flammis abſumit, & caſtrum Brigantinum juſſu Otthonis Cæſaris expugnat.* Fefellit quidem memoria Stumphium, dum credidit illud de Hermanno Duce lectum ſibi apud Contractum, niſi alio fuerit uſus exemplo: indubie tamen & ille & Gulerus ex

 vetuſtis

vetuſtis id monumentis accepit, etſi Bucelinus non niſi Gulerum videatur ſecutus. Si Hermannus Dux autem incendium illud inſtituit, non de Cœnobio ſed de oppido loquuti ſunt Hermannus Contractus & Hepidannus. Fuit enim Dux ille Princeps pius & religioſus, ut proinde non juſſerit ille Cœnobium incendi & quidem ſanctimonialium virginum. Cur oppidum incenderit latet quidem cauſſa, veroſimile tamen eſt eandem ſubfuiſſe quæ Brigantium fecit expugnari. Accedit *tertio* quod non de Cœnobii combuſtione agi, usq; adeo videatur liquidum, ut non duntaxat Stumphius, Gulerus, & Bucelinus (Munſterus enim fateor de Cœnobio accepit) hoc agnoverint, ſed ipſiuſmet etiam Suſannæ Cœnobii Abbatiſſæ nomine Cæſareis Commiſſariis fuerit propoſitum (ut verba ſeſe habent *Memorialis* quod magno Apologetico operi Urbis additum eſt ſub lit. q.) daß umb das Jahr 948 das Städtlein Eſchach (hac appellatione ipſamet Urbs Lindaugia illi venit) ein vierthel Stund von dem Stifft / von Hertzog Herman zu Schwaben in brand geſtecket. Illa igitur quidem Contracti & Hepidanni de concremationè Lindaugiæ, non Cœnobium ſed oppidum attinent. Nec verò utrum flamma etiam Cœnobium corripuerit, ullo conſtat certo teſtimonio.

VI. Hyperaſpiſta porrò Cœnobiticus *cap. IV. §. 4. Arg. 1. pag. 31.* non dubitavit ad res Cœnobii trahere antiquam tabulam Carolo Craſſo Imperatore conſcriptam, imò ità loqui, quaſi pridem fecerit idem Joachimus Vadianus. Verba ipſamet ita ſeſe habent. Ja es iſt erweißlich / das der Flecken Eſchach ſchon zuvor dem Stifft Lindaw zugehörig geweſen / ꝛc. Zu deſſen beſcheinung bringt *Vadianus tomo 3. Alemannicarum rerum fol. 82.* (ſcrib. 62.) einen uhralten Brieff ein / ſo *datiret* im andern Jahr deß Keyſerthumbs *Caroli Craſſi*, der ein Sohn geweſen *Ludovici Germanici*, darin gemeldet wird / daß *Eskinhoua*, welches eben iſt Aeſchach / gehöre nach *Lindavia*, oder Lindaw. Alſo lauten die wort:

Ego

Ego N. cum manu Advocati mei Cozolti accepi à quodam homine, nomine Auguento in Zurichgouue, in loco qui dicitur Eskinhoua, ad curtim Lindauua pertinente VIII juchos de terra, ſtatim in jus Monaſterii (S. Galli) *redigendos &c.* Worüber *Vadianus* alſo ſchreibt: *Sæpe verò chartæ antiquæ pagum Turegi à pago Durgauorum ſeparant, interim uno utrumq; nomine complexi. quem Tigurinum olim fuiſſe minimè vana conjectura eſt. Curtis Lintouua hodie celebre oppidum eſt, Lindavium dictum, in Lacu Brigantino. Annales noſtri Lindaugiam vocant. Quam totam incendio conflagraſſe legimus Anno ſalutis 948. Biennio videl. poſt Rachiltæ mortem, quæ nota eſt Lindaugienſibus. Curtes Alemanni vocabant loca celebria oppidave, aut in ipſis oppidis domicilia celebrium hominum. Scripta autem eſt hæc Charta Carolo Groſſo imperante, quem in Augiâ Majore, quæ infra lacum Brigantinum eſt, ſepultum eſſe ſupra diximus.* Hæc cum attuliſſet Hyperaſpiſta, eâdem fronte auſus eſt addere. Wird derowegen D. H. von ſeinem *Achille* ſelbſt dem *Vadiano* überwieſen/ das der Stifft Lindaw/ ehe die Aeſchecher die Inſul bezogen/ ein berühmet vornehmes Orth geweſen/ deſſen der Orth Aeſchach ein *pertinenes* war. Item: D. H. weiſe einen ſolchen Brieff auff für die Aeſchachiſche erdichte Reichsfreiheit.

Hæc omnia habet Hyperaſpiſta. Dubites autem meritò (ſi ſcapham ſcapham vocare licet) impudentiâ ne magis laborent an inſcitiâ. Utroque certe in vitio cubant. Impudens nimirum facinus eſt Hyperaſpiſtæ, quod non verecundatus ſit de Vadiano affirmare: quaſi ille 1 in probationem juris Cœnobialis in Eſchach produxerit Chartam illam concambii Carolo Craſſo imperante conſcriptam: quaſi 2 Vadianus voce *Lintauua* intellexerit Cœnobium, cum verba ejus ab ipſomet Hyperaſpiſta adducta diſertè loquantur de oppido Lindavio non de monaſterio. Impudens facinus eſt, quod Hyperaſpiſta illa verba Vadiani ſine rubore auſus fuerit in medium proferre. Impudens denique eſt facinus, quod auſus fuerit do-

sit doctissimo Heidero insultare Vadiani isto testimonio, quasi hinc pateat Cœnobium valuisse magna auctoritate in Eschachenses priùs quam in insulam commigraverunt, cum tamen Vadianus ne verbulo quidem ibi Cœnobii Lindavi-ensis meminerit. Jam verò & inscitiam arguit interpretatio vocis *Curtis* de monasterio. Est enim quidem vocabulum illud nonnihil πολύσημον: at pro Cœnobio nunquam solet accipi. In medio sunt præclara illius sequioris ævi vocum Glossaria, à viris literatissimis inque scriptoribus ejus ætatis versatissimis conscripta. Quæ inter cum emineant Glossarium Petri Pithœi, Friderici Lindenbrogii quod etiam Pithœi comprehendit, Gothofredi Wendelini, & quod de *Vitiis Sermonis* inscripsit opus nunquam satis laudandi Joannis Gerardi Vossii, sola illa consuluisse satis fuerit. Qui velint possunt addere quæ de usu vocabuli *Curtis* annotavit Joachimus Vadianus *Epistola ad Henricum Bullingerum de obscuris Alemannicorum verborum significationibus*, quam inseruit *Antiquitatum Alemannicarum Tomi secundi parti primæ pag. 60* Melchior Goldastus, & ipse ille Haimensfeldius *Tomo I Parte I in caput X Casuum Eckhardi junioris pag. 125.* Habent quidem & monasteria suas *curtes*, sed ipsa monasteria non solent audire *curtes*. Neque in illa charta antiqua agi de *curte* monasterii, facilè observatu est: quandoquidem monasterii nulla fit mentio. Vtque concesserim Cœnobium jam tum dictum *Lintaugia*, ceu legitur in Diplomate; debuisset scribi in charta illa veteri: *ad curtim Lintaugiæ pertinente*: casu scilicet genitivo. Nunc autem scribitur: *ad Curtim Lintauua pertinente*, casu accusativo: quandoquidem scilicet ipsa Curtis fuerit appellata Lintouua. Sed & paulò pòst patebit, quo tempore scripta est illa charta, Cœnobium adhuc fuisse situm extra insulam, & Lintouuæ nomine non audiisse. Illam sanè chartam de Cœnobio non agere, jam tum est liquidum. Intelligi verò oppidum, &

quam-

quamobrem illud Curtis tunc fuerit appellatum, sequente Capite docebitur.

IN UNIVERSUM igitur duo duntaxat ex omni illo tempore supersunt genuinæ notæ monumenta, quæ Cœnobii res attingunt; eoque & solis illis possumus nunc uti, in primordia ejus inquisituri.

Vt igitur ad rem illam aggrediamur: extra omnem est controversiam, saltim seculi Christiani undecimi anno quinquagesimo & insulam habitasse Cœnobium & suam habuisse Abbatissam. Vtrumque enim referentem Hermannum Contractum, scriptorem σύγχρονον & vicinum, jam audivimus.

Nihil est etiam causæ quare fidem eorum quæ Hepidannus retulit in historia B. Wiboradæ, vocemus in dubium. Non enim quidem coævus fuit sed centum amplius annos junior, & solent ejusmodi historiæ multum trahere ex affectu aut etiam superstitione; quæ nos tamen protulimus suspicionem cur moveant non video. Igitur hoc etiam credere licet: quando Salomone tertio id nominis Constantiense Episcopo Wiborada vixit adhuc Constantiæ, & quidem paulò antequam pia illa puella ad S. Galli concessit, jam Cœnobium fuisse constructum in insula. Agebatur autem tunc annus Christi nongentesimus duodecimus. Salomon scilicet ille factus fuit Episcopus Constantiensis anno noni seculi nonagesimo secundo, teste Hepidanno & aliis. Illa porrò quæ ex Hepidanno narravimus contigerunt, paucis diebus ante quàm Constantiâ relictâ ad S. Galli cum Salomone Episcopo migravit Wiborada, quod diserte dicitur *cap. 16.* Quarto autem fermè pòst anno in Pentecoste, à Salomone Episcopo, juxta basilicam S. Magni Wiboradam esse inclusam, narratur *cap. 19.* Illam *inclusionem*, uti vocabant, factam esse anno DCCCCXVI legitur in Chronicis & Hermanni Contracti & Hepidanni. Ut proinde verum sit quod diximus; anno nempe non-

genteſimo duodecimo illa quæ ex Hepidanno adduximus contigiſſe.

Saltim hactenus itaque certi ſumus de Cœnobii habitatione inſulari. Obiter verò liceat hujus ætatis pace annotare, nec illa Wiboradæ nec Henrici III Imperatoris ætate, in exiſtimatione fuiſſe ſanctæ vitæ Cœnobiales virgines. Præterit me quidem, quid ſit illud quod Wiboradæ in ſomnio fuit dictum, *de ſanguine Kerbirgæ recluſæ:* ſatis tamen liquet, ſpecie *ſordidi victus* quo ſit cibanda malos mores Cœnobii ſignificatos, & propterea locum illum à beata puella eſſe vitatum. Non etiam Viduam peregrinam præfeciſſet Imperator Henricus Cœnobio, ſi in Virginum illo collegio fuiſſet idonea inventa, quæ Abbatiſſæ munere fungeretur. Quò reſpeximus jam *pag. 172*, contra ea quæ de religioſis peregrinationibus ſcripſit Munſterus agentes.

QUEMADMODUM autem hæc vera eſſe etiam nos affirmamus, ita illa etiam quæ Bruſchius cecinit de primâ Cœnobii extra inſulam conſtructione neutiquam neganda ſunt.
1. Et quidem *primò* hanc narrationem longè eſſe fide digniorem illâ alterâ quæ fide Diplomatis nititur, liquet facilè unicuivis: quandoquidem ex omni veteri ævo nihil huic refragatur, Diploma autem totum eſt confictum, & quemadmodum circa conditorem Cœnobii & confirmatorem aliaq; commiſit putidâ mendacia, ita profecto nec circa locum nec circa tempus Cœnobii conſtructi poteſt illi ſecurè credi. In univerſum autem inter plures narrationes, illa cui nihil poteſt objici, auctoritate prævalet alteri mendaciis refertæ. Adhoc illa Bruſchiano carmine cantillata narratio etiam ideò ſaltim veroſimilis eſt, quandoquidem antiquior eſt Diplomatis relationibus. Nec enim potuit temerè effingi illa jam Diplomate prævalente. Etiam ergo ſuâ antiquitate meretur majorem fidem, ut ævo geſtæ rei propior. Hactenus ſanè præſumi illa

illa relatio bona debet, donec falsi fuerit convicta. Id quod fieri non potest, cum nulla de Cœnobii vetustissimis rebus supersint monumenta.

Adhoc porrò astruit fidem isti narrationi illa etiamnum 2.
superstes appellatio locorum *Nonnenborn* & *Nonnenbach*. Optimè enim quidem illa convenit huic traditioni. Sed si Diploma audias nulla illarum appellationum apparet ratio. Nec temerè excogitaveris causam illarum nuncupationum saltim verosimilem. Renuunt quidem hodie *Nonnæ* vocari quæ in Cœnobio degunt Virgines (jam tum sanè Munsterus *l. 2. Cosmogr. cap. 239* scripsit: wollen nicht Nonnen sondern Freyfrawen gescholten werden: hodiè Chorfrawen aut Chorjungfrawen nuncupari amant) olim verò *Nonnas* vocatas, nec perinde ut nunc seculariter eas vixisse, nec Cœnobium ipsum audiisse *Seculare*, abunde notum est. Quin igitur ab sanctimonialibus virginibus nata sint illa vocabula *Nonnarum rivus* & *Nonnarum cornu*, vacat itidem dubitatione.

Fidem *Tertio* huic traditioni facit illud, quod annexum 3.
est de domo quam Wasserburgi habuit olim Abbatissa. Hæc enim vera esse, ne hodie quidem Cœnobiales fortè diffitebuntur. Sed & Munsterum quoque jam audivimus *pag. 148* aliquid memorantem de Præfecti Cœnobialis Wasserburgica habitatione. Quin imò in districtu Wasserburgico superfuerunt bona nonnulla agrestia usque ad annum 1593, quo vendita sunt Illustri Jacobo Fuggero. Literæ Contractus habentur in magno opere Urbis *pag. 952*.

Confirmat *quarto* hanc traditionem illa, quæ jam ante 4.
quadringentos circiter annos viguit in ipsa civitate Lindaugiensi communis fama, de tempore quo in insula fuerit primò constructum Cœnobium. Constans nimirum fama tum fuit, fundatum in Insula Cœnobium ducentis annis priùs quam Eschachenses transierunt in Insulam. Transitum autem illum

illum factum demum esse seculo duodecimo, capite sequente liquidò probabimus. Unde retrò numeratis annis ducentis, constructum fuerit in Insula Cœnobium seculo demum decimo. Id quodà veritate est alienum, si prima Cœnobii exordia statim in Insula sunt jacta. Jam tum enim seculo nono, & quidem Carolo Magno aut Ludovico Pio imperante, cœpisse Cœnobium, omnium consensu traditur. Omnia autem tum demum rectè respondent famæ, si primam originem quidem accepit Cœnobium nono seculo sed extra Insulam, in ipsa autem Insula seculo demum decimo sedem collocavit.

Hujus autem quæ seculo decimotertio viguit famæ præclarum monumentum supereſt in *Rotulo illo depositionis testium*, quem Cœnobium citra omnem exceptionem, tanquam veriſſimam, obtulit Cæsareo judicio, atque inde communicatum, inclytus Senatus Urbis adjunxit magno suo Apologetico operi sub *n. 7. pag. 527.* Est ille quidem & principio & fine mutilus; confectum tamen fuisse circa finem seculi decimitertii, recte colligit doctiſſimus operis illius Apologetici scriptor Daniel Heiderus *in Adjuncto signato literâ V pag. 526.* In illo Rotulo autem *pag. 529* testium unus sexaginta sex annorum ità depositus scribitur: *Vlricus dictus Brender civitatis Lindaugiensis testis juratus, non odio &c. R. De 1. 2. 3. 4. articulis dicit, sibi nil constare: nisi quod est communis opinio hominum inopido Lindaugiensi habitantium, quod monasterium Lindaugiense ad ducentos annos fundatum fuit, antequam opidum Lindaugiense* (intelligit vero Eschach) *transferretur de loco dicto* der Altmarckt *ad insulam Lind. Et hoc audivit à dicto Birtel qui habuit centum annos, qui dixit hoc idem se audivisse à patre suo, qui similiter fuit centenarius.* Hæc Rotulus. Unde discere est, non duntaxat communem fuisse tunc famam illam ad quam provocavimus, sed etiam ab iis acceptam, quorum vita ipsum seculum decimum fortassis attigit: ac proinde sic satis tutò

posse

posse illi credi. Etsi enim unicus duntaxat testis hoc dixerit, non debet rejici narratio: regulariter enim unius quoq; testis assertioni creditur, quando verosimilis est. Ut post alios docet Meichsnerus *tomo 2. l. 2. decis. 4. n. 134.* Cumprimis verò si testis sit persona honorata: qualis utique fuit Brenderus patricia natus familia, ut etiam Birtelius, ex cujus ore sua accepit Brenderus.

Quandoquidem autem hæc ita sese habent, veram esse illam Bruschiano carmine traditam narrationem, saltim temerè negari haud potest. Acceptari certè illa meretur, donec falsi fuerit firmis rationibus convicta. Id quod nunc tamen fieri non poterit, quia hactenus quidem nulla in lucem prodierunt vetusta & bonæ notæ monumenta, quæ primordia Cœnobii nos disertè docere sint idonea. Saltim interea igitur licet affirmare, Diploma falsò asserere quod statim initiò in insula constructum sit Cœnobium.

Non est verò quod quem turbet multitudo & auctoritas eorum, qui in ipsa insulâ Cœnobii jacta prima fundamenta hactenus vel tradiderunt vel opinati sunt. Omnis enim illa fama à Cœnobio est sparsa, non tamen antequam Diploma fidem ibi cœpit invenire. Quotquot etiam libris editis hoc narravere vixerunt denique avorum memoriâ: vetustiores scriptores haud invenias fortassis, certè hactenus ne quidem ab Hyperaspistis in testimonium producti sunt. Jam verò Diploma illud ex mendaciis esse consutum, jam tum probavimus; itaque nec multitudo nec auctoritas illorum qui sese passi sunt à Cœnobialibus decipi veritati potest opponi. Id quod jam tum monuimus *pag. 142*, cumprimis autem integro *cap. X.* Doebimus vero hoc iterum infrâ.

ETIAMSI AVTEM evicto illo falsi crimine, jam satis fecerimus officio nostro, fortassis tamen haud fuerit absque operæ pretio, si nonnihil etiam de tempore cum

omnium primæ tum ſecundæ in inſula Cœnobii originis, ut & de utriusque illius originis auctoribus, adferamus.

Quod primæ igitur aut ſecundæ Originis tempus attinet, nullum quidem ſuperat certum teſtimonium ex veteri ævo traditum ſcripto, fortè tamen haud inani conjecturâ licet aliquid aſſerere. Quandoquidem ſcilicet conſtans eſt fama quam nullis rationibus queas convellere, jam tum ſeculo nono Cœnobium cœpiſſe, ſaltim veroſimile eſt hoc licere etiam impoſterum opinari. Quin imò quia plærique in tempora usque Caroli Magni primordia illa rejiciunt, ne nos quidem illis refragari audemus.

Secundam in ipſa inſula originem fas eſt adhuc majore veriſimilitudine referre in ſeculi decimi initia. Et verò convenit hoc cum illâ veteri fama quæ annis jam circiter quadringentis in oppido Lindavio fuit communis, cujusque ad ſeculum usque illud decimum memoria pertingit. Ceu paulò ante apparuit ex Rotulo vetuſto teſtium. Idem conjicere nos facit illius temporis conditio. Nec enim indubie mutavit ſedem priſtinam Cœnobium, niſi aliquâ urgente mutationem neceſſitate. Si hiſtoriam autem conſulimus illius tempeſtatis, Hungarorum primò ſæviſſima arma migrationem ex continente in inſulam, tanquam in locum tutum, potuerunt etiam imperaſſe. Quanquam verò Hungarorum in Germaniam irruptiones jam cœperint anno 900, ſtatim ab obitu Arnolphi, Alemanniam tamen ſæva illa gens infeſtavit demum anno 909. Hermannus Contractus ad annum illum: *Hungari Alemanniam petunt. Bellum Francorum cum Hungaris.* Hepidannus: *DCCCCIX Agareni* (ita ille Hungaros vocat) *Alemanniam intraverunt. DCCCCX Agareni cum Alemannis & Francis pugnaverunt, eosq; vicerunt.* Reginonis continuator: *Anno Dominicæ incarnationis DCCCCIX Hungari Alemanniam ingreſſi ſunt. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCX Franci & Alemanni in Bava-*

confinio Bavariæ & Franciæ cum Hungaris congressi, miserabiliter aut victi aut fugati sunt. In quo prælio Giselhardus Comes interiit. Nolo alios testes adducere qui idem narrant. Nec verò Alemanniam nisi demum anno XIII iterum Hungari depopulati sunt. Cæterùm quoniam anno XII in insula jam sedem fixisse Cœnobium docuimus, verosimile, fit illo infelice cum Hungaris anno X instituto conflictu territas bonas virgines, tunc statim aut sequente anno, relictâ continente terrâ, in insulam commigrasse. Quemadmodum sanè illas Hungarorum vastationes soliti sunt tunc temporis navibus conscensis homines istarum regionum effugere, licet etiam discere ex libro Eckardi junioris *de casibus S. Galli cap. V. & alibi.* De illa itaque in insulam commigratione hæc mea coniectura est.

De auctoribus porro primæ fundationis nihil habeo quod addam iis quæ jam tum docui cap. IX. Nescio scilicet quinam tres illi conditores fuerint, aut qua dignitate, nisi quod Comites audierunt. Quapropter fateor quoque iterum, me ignorare, à quonam sive Rege sive Imperatore Francico prima illa Cœnobii fundatio sit confirmata aut ornata aliquibus beneficiis. De auctoribus etiam receptionis in insulam quandoquidem nihil est traditum memoriæ, aliquid itidem certi nequeo definire. Quandoquidem autem insula indubie tunc fuit sub jurisdictione alicujus Comitis, & Regnum universum administravit Rex Conradus, saltim horum consensu id factum oportuit. Non absimile autem vero est etiam, omnem insulæ terram tunc fuisse in possessione oppidanorum Lintaviæ, quandoquidem ad eosdem jam tunc temporis pertinuit Eschach extra insulam, ut proximo capite demonstrabitur. Vel illorum certè vel Comitis vel utrorumq; pia benignitate videtur pars insulæ Cœnobio in refugium concessa, exspectatione nimirum divini præmii. Insulam totam Cœnobio datam omni caret ratione, & nullâ hactenus

vel leviſſima potuit veri ſpecie probari. Ex adverſo in potiſſima inſulæ nihil juris unquam vel exercuiſſe Cœnobiales, liquide adeo demonſtratum eſt in magno opere inclyti Senatus, ut hactenus ad ſilentium adacta ſit pars adverſa quamvis iniquisſima. Quicquid autem datum fuerit Cœnobio, illud ſi non omne ſaltim bonam partem ex pia benignitate Oppidanorum Lindavienſium, fiduciâ nempe impetrandorum cœleſtium bonorum, profectum eſſe, non eſt cur cui faciat dubium illud, quod pars fundi, cui oppidum hodiè inædificatum eſt, jure emphyteutico vel cenſuali ſit Cœnobio obnoxia, quaſi nimirum non ſit veroſimile ipſorum oppidanorum beneficio tantum jus deberi. At verò illi fundo ducentis demum pòſt annis pars urbis quædam ſuperſtructa eſt. Cum conceſſa eſt area iſthæc Cœnobio, de futura quadam iſtic loci ædium aliquot civitatis ſtructurâ ne quidem per ſomnium eſt cogitatum. Securè itaque potuit donari, quod creditum eſt nulli fore magno oppidi uſui. Frequentiſſimum porrò fuit illi tempeſtati, bona libera Cœnobiis cenſitico nexu ex quadam pietate obligare. Idque etiam aliàs haud rarò factum fuiſſe in iſthac inſula, jam præclarè oſtenſum in nunquam ſatis laudando magno Apologetio opere. Excutiantur Partis primæ quatuor duntaxat articuli appendices cum adjunctis ſuis quæ appellantur. Scio neminem bonum atque intelligentem quidquam ultrà deſideraturum.

Verùm & de hiſce fortaſſe plus ſatis.

CAPUT

CAPUT XIV.

Falsò in Diplomate affirmari, jam illo tempore Cœnobium esse dictum Lindaugiam. Illud enim nomen aliquot demum post seculis, nec nisi raro, cœpisse etiam Cœnobio attribui, cum fuisset antehac soli insulæ & oppido proprium. Occasione datâ demonstratur præterea adversus calumnias Cœnobialium; oppidum Lindaugiam longè esse Cœnobio antiquius, & quando hoc in insulam confugit tunc oppidum illud in non contemnendo fuisse statu, Eschachium quoq; libera tunc fuisse conditione nec Cœnobii imperio unquam obnoxium, in Vrbem etiam Lindaugium cùm ante tùm post Eschachiorum in insulam commigrationem nullam Cœnobio jurisdictionem fuisse

DE loco quo condiderit statim initiò Adelbertus Cœnobium, proximè est victum, quod Diplomatis fabricator mentitus sit: consequens est ut probemus, æquè grande falsi crimen ab eo commissum in Cœnobii nomine; quasi nempe jam tum, atque adeo à primo usque exordio, illud audierit *Lindaugia*. Quo consilio talia finxerit vaferrimus veterator, dicemus infra seorsim, ubi quasi in satura lance fraudulenta hominis consilia exhibebuntur. Nunc autem etiam hujus commenti falsimoniam oculis omnium exponemus. Quod utiq; ex re fuerit: quandoquidem non dubitavere Cœnobitici disertè asserere, quod Urbs à Cœnobio nomen ipsum suum fuerit mutuata: sive, ut verba vernacula sonant illius Memorialis quod *sub lit. Q. pag. 517* magno operi est insertum, **Das die Stadt von dem Stifft den Nahmen/ihr gantzes wesen/Ehr und auffnam bekommen.**

Igitur jam tum, quo tempore voluit impoſtor credi Diploma eſſe conſcriptum, Cœnobium nondum fuiſſe *Lindaugiam* appellatum, quatuor hîc firmis rationibus probabimus.

I. *Primum* eſt, quod indubie, quandiu Cœnobium fuit ſitum extra inſulam circa Nonnenhornium, non potuerit *Lindaugia* inſulæ nomine appellari. Jam verò anno octingenteſimo ſexageſimo ſexto, quo voluit impoſtor Diploma conſcriptum eſſe, Cœnobium extra inſulam degit, & illuc non niſi anno circiter decimo ſeculi ſequentis commigravit: id quod præcedente capite probavimvs. Saltem igitur illâ tempeſtate, ſeculi noni nempe anno ſexageſimo ſexto, jam tum *Lindaugiæ* nomine fuiſſe appellatum Cœnobium, liquidò falſum eſt.

II. *Alterum* eſt, quod iſthac ætate, quâ cœpit illud monaſterium, à loco quo eſt conditum nulli monaſterio fuerit ſtatim initiò nomen datum, ſed demum pòſt; aut niſi locus aliàs fuiſſet antehac vilis vel vaſtus, vel niſi à Cœnobii conditore loco ipſi datum eſſet nomen. Hoc ipſum poterunt facile unumquemvis docere omnium ejus, imo & antecedentis ac ſequentis ævi, monaſteriorum antiquiſimæ quævis tabulæ, quarum magnus hodieque numerus ſuperat. Omnes illas huc in teſtimonium addere ſupervacuæ fuerit operæ. Hoc ipſo in libro Ludovici Pii diploma *pag. 22* ita ſeſe habet: *Teutpaldus Abbas ex monaſterio quod eſt conſtructum in honore S. Mauritii Martyris in loco qui dicitur Altaha.* Eodem ferè modo loquitur diploma Ludovici Germanici *pag. 56* de recens conſtructo à ſeſe monaſterio Tigurino: *Monaſterium noſtrum quod ſitum eſt in vico Turego, ubi ſanctus Felix & ſancta Regula martyres Chriſti corpore quieſcunt.* Quoniam autem Altaha fuit locus antehac incultus, itaq; monaſterium illud deinceps à Ludovico Germanico fuit iſthoc loci

loci nomine dictum : ceu videre est *pag. 34. 41. 43. 44. 47. 48. 50 & 52.* Par ratio est de monasterio Laurisham *pag. 63.* ut & Gande *pag. 20.* Uterque enim locus ante conditum monasterium fuit itidem planè incultus & à nemine habitatus: etsi postea facti fuerint cultissimi. Et verò locis ab hominum consortio remotis constructa olim plæraque fuerunt monasteria, in locis autem cultis aut urbibus perquam rara. Quæ autem locis jam celebrioribus constructa sunt, eorum nullum transiit in nomen locorum suorum, sed ab iis ferè quorum honori sunt consecrata appellationem acceperunt, addito frequenter, quod in his aut illis locis sita sint. Hinc etiam hoc ipso in libro legitur pag. 30: *Basillæ Abbatissæ S. Stephani infra muros Argentoratenses sivè Strasburg.* pag. 54. *in Ratisbona civitate, inter Ecclesiam S. Stephani, ubi modo sedes est Episcopalis, & inter Ecclesiam S. Emmerani pretiosi martyris juxta muros ejusdem civitatis.* Et tamen utrumque monasterium jam tunc erat sic satis eximiæ vetustatis. Contrarium exemplum scio proferri non posse.

Jam verò Cœnobium Lindaviense non dedit insulæ aut loco ubi jam hæret nomen suum. Quæ enim referri solent de Adelberti in insulam istam felice appulsu & hinc nata loci appellatione, illa esse fabulosa & ipsimet adversa Diplomati, quamvis à Cœnobialibus improbè conficta, jam demonstratum à nobis est *pag. 162.* Quando præterea Cœnobium transiit in insulam, non profecto illa insula fuit inculta, sed jam ab aliquot seculis habitata, & quidem illo ipso tempore habuit oppidum non ignobile: ceu paulò pòst pluribus ostendetur.

Tertio, aliquot etiam post Ludovicum Germanicum se- III.
culis non monasterium illud sed sola insula & quod in ea est situm oppidum *Lindaugiæ* voce audierunt. Non itaque seculo nono illud nomen fuit jam tum proprium Cœnobio. Verum esse quod assero, docere liquidò possunt vel illa quæ pro-

proximò capite jam producta sunt vetera monumenta. Horum sanè *primum* non monasterium sed insulam voce *Lintaugiæ* appellat. Cum enim memorasset, Episcopum profecturum Lindaugiam, paulò post subjicit: *expedita foret* Wiborada *ad navigandum secum ad prædictam insulam.* Quod si porrò ipsi Cœnobio jam tum fuisset nomen *Lindaugiæ*, debuisset scribi in *secundo* monumento Contracti *Abbatissa Lindaugiæ*, non *Lindaugienſis*: posterius enim magis significat Cœnobium situm fuisse *Lindaugiæ*, non autem ita nominatum. In *tertio* denotare *Lindaugiam* non Cœnobium sed oppidum, jam probavimus. Victum quoque est, in *quarto Curtim Lintouua* non cœnobium esse sed itidem oppidum. Attendi verò hoc monumentum cumprimis meretur, quandoquidem illa charta est conscripta anno secundo Imperii Caroli Crassi Imperatoris, qui est seculi noni Christiani octogesimus secundus, atque adeo sextus decimus post commentitios natales Diplomatis. Cui enim fiat verisimile, Cœnobio competiisse jam tum *Lindaugiæ* nomen, cum esset illud insulæ atq; oppido proprium? Quandoquidem verò jam est notum, hactenus nihil vetustum esse productum in lucem, quod præter hæc quatuor *Lindaugiæ* nomen commemoret, saltim licebit securè nobis asseverare: nec nono, nec decimo, nec undecimo seculis (intra hoc enim temporis spacium quatuor illa monumenta scripta sunt) Cœnobium ista appellatione audiisse. Id quod certissimum est indicium, falsò in Diplomate scribi: jam tum, h. e. anno Christi octingentesimo sexagesimo sexto, fuisse Cœnobio nomen *Lindaugia.*

IV. Neutiquam *quarto*, etsi Diploma circà initia seculi decimi tertii confictum, atque ita in manibus Cœnobii fuerit, vel tum persuasum fuisse sive Cœnobio ipsi sive aliis vicinis, nomen Cœnobii esse *Lindaugia*, certissimo argumento est, penè perpetuus, etiam ex eo usque tempore, usus appellationis

tionis alius. Multæ chartæ veteres istius & sequentium seculorum idipsum liquidò docent. Sufficit autem solas illas consuluisse quæ inter alia additæ sunt magno operi inclyti Senatus. Observare enim ibi est, ipsammet Abbatissam Siginam & quæ huic successit Gutam in literis Latinè exaratis, ab anno usque 1264 usque 1307, sese appellasse, Abbatissas *Monasterii Lindaugensis* non Lindaugiæ: Constantiensem item Episcopum Henricum anno 1240 in chartâ quâ jura quædam Constantiensia exponit, etsi vidisset Diploma, tamen monasterium non Lindaugiam sed *Lindaugense* appellasse, ceu videre est *pag. 960.* Germanica quoque lingua scriptæ chartæ tantùm non omnes habent das Gotteshauß zu Lindaw / unser Frawen Gotteshauß zu Lindaw / unser lieben Frawen Gotteshauß zu Lindaw / unser lieben Frawen Stifft zu Lindaw. Quasdam tamen fateor aliter loqui, der Stifft Lindaw. Sed raræ illæ sunt & recentiores. De quibus tamen haud injuria dixeris, usitatâ iis regionibus ellipsi voculam zu omissam. Et verò rectè & docte differens de particulæ illius zu usu Heiderus *pag. 787* scribit: *nihil apud Helvetios, antiquæ loquelæ præ reliquis Germaniæ nationibus tenaciores, frequentius est quàm vocabulum* zu *omittere. Occurrunt innumera exempla in grandi illo volumine Chronici Stumphiani.* Quo loco idem doctissimus Heiderus recte item monuit: *voculam* zu / *ut omitti, ita etiam non raro superflue, euphoniæ gratiâ, per syllabicam adjectionem usurpari*: Als das Land zu Francken / zu Sachsen / zu Schwaben / die Stadt zu Lindaw &c. Quali modo scil. in Germaniæ inferioris regionibus superflue solet frequenter adjici vocula van & tho. Verum enimvero omissio illa vocabuli zu quoniam rarior & recentior est, manet id quod diximus, simplicem *Lindaugiæ* appellationem ne quidem post confictionem Diplomatis in usum perpetuum ab ipsomet Cœnobio potuisse traduci. Id quod certo est indicio, nomen illud

ab initio usque Cœnobio non fuisse proprium: sed illud ipsum in Diplomate falsò assertum esse.

CAPITIS XIV
Pars altera.

Calumniæ quædam Cœnobiales de Vrbe Lindavio & Eschachio diluuntur.

QVANTVMVIS autem quæ attulimus in medium satis sint, falsi hac etiam in re commissi convincendo Diplomati: fortassis tamen haud abs re fuerit, docere hoc loco nonnihil clariùs saltim etiam illud, Lindavium oppidum cùm vetustius longè esse Cœnobio, tum quo tempore in insulam receptum est Cœnobium, non contemnenda floruisse conditione & Lindaugiæ nomen cum insula habuisse commune. Et verò huic assertioni quædam non multùm antehac superstruximus, ejusque ampliorem deductionem summus polliciti.

Igitur insulam illam quâ oppidum continetur, si non priùs, saltim jam tum Augusto imperante fuisse habitatam, vix patitur nos dubitare Strabo *l. 7.* narrans, ex insula Acronii lacus Tiberium Augusti parentis auspiciis contra Vindelicos arma movisse. Etsi enim Beatus Rhenanus & Ægidius Tschudus id aliter interpretentur, attamen hanc ipsam insulam præ omnibus illi expeditioni fuisse commodissimam, vel solus situs demonstrare aptus est. Eoque etiam Stumphius vir magni judicii *l. 5. cap. 9. fol. 51.* Munsterus *l. 3. Cosmographiæ cap. 239.* Crusius Annalium Suevicorum *parte 1. lib. 3. cap. 5. pag. 65. lib.* item *11. cap. 2. pag. 290.* in Paralipomenis item *cap. 20. pag. 8.* imo etiam veteris Geographiæ ipse princeps Philippus Cluverius *l. 2. Germaniæ antiquæ cap. 40* eodem atque nos sensu Strabonem acceperunt. Quam sententiam con-

confirmat etiam illa Dionis narratio, *l. 54:* Tiberium per lacum navigiis subvectum exterruisse barbaros. *Subvehi* enim per lacum non potuit, nisi inferiore parte conscensis navigiis, ubi optimum receptaculum, vel ut Strabonis ipsa utar voce, ὁρμητήριον, Tiberio hæc sola insula præbere maximè fuit idonea. Non est porrò verosimile, locum adeo aptum adversus Rhætorum & pòst Alemannorum incursiones, rursus, quandoquidem & commeatui transferendo non alia insula aptior, à Romanis fuisse desertum. Quinimo quoniam & commerciis exercendis per omnem viciniam perquam est idonea, etiam hinc pro temporis ratione mansit insulæ aliqua cultura. Pro *temporis* inquam ratione. Perpetuis enim Alemannorum bellis vastata omni ad Acronium lacum regione, saltim aliquod debuit superesse Romano militi tutum refugium. Ammianus sanè Marcellinus Constantio Imperatore *l. XV* scripsit: *Lacum illum horrore silvarum squalentium inaccessum, nisi qua vetus illa Romana virtus & sobria iter composuit latum.*

Omnem dubitationem tollit murus ille in inclyta urbe adhuc superstes, ex silice constructus qui vulgo appellatur der Heyden Mawer: à paganis scilicet, quales fuerunt Romani, confectus. Opus sanè Romanum esse, vacat omni dubitatione apud eruditos. Hinc Munsterus: Die Rechnung gibt gnugsam aus / das die Römer diese Insel umb Kayſers Augusti Zeiten / nach dem sie die Rhætos unterworffen hatten gemacht / wieder die Vindelicos und Bojos, als ein Bolwerck und Fluchthaus eingenommen bewohnet und besetzet haben. Dann es stehet noch ein mechtiger starcker alter Thurn / von eitel Kißling Quadraten auffgeführet zu foders beim Burgthor / da man den allein zu Fuß in die Stadt kommen mag / die Heyden Maur genant / welcher anzeigt gibt / das solchs ein Römischer Obrister / ohn zweiffel Tiberius Nero, und nicht das Landvolck gebawet habe. Similiter Stumphius: Es wird auch auß Ammiani anzeigung erachtet /

daß der Römiſche Gebieter und Wäldherr Conſtantius vor 1200 Jahren alda wieder die Alemannier ſein Weſen und Läger gehabt habe/ und iſt auch hernach alle zeit ein vernampter Paß und überfar des Bodenſees geweſen. Man ſicht bey dem Thor/ darvon die Pruck hinüber ans Land gadt/ noch ein wunder alter Thurn/ noch heutiges Tags die Heydenmaur genennet. Martinus quoque Cruſius ea de re *parte 1. libro 3. cap. V. pag. 65.* ita ſcripſit. *Anno Domini circiter 38, Lindaugia, ſive Lindoia, vel Lindavium, inpeninſula lacus Podamici, recentia initia habuit, ut conjicitur: fortaſſe, quando antè Druſi frater Tiberius, ex eo loco, præſidiis munito, contra Vindelicos bellum geſſit. Extat enim ibi (quod etiam Munſterus notavit) ad dextram pedeſtri itinere oppidum ingredienti adhuc turris quædam validiſſima, vetuſtiſſima, ac ſemidiruta, ex quadrato ſilice: vulgò Murus Gentilium (die Heydenmaur) dicta: quæ illius temporis opus eſſe videtur.* Ejuſdem Cruſii in *Paralipomenis* hæc verba ſunt: *Hanc inſulam olim Romani occupatam muniverunt: ut ſibi contra Vindelicos propugnaculo eſſet, circa tempora Octaviani Auguſti Cæſaris. Et fortaſſe vetuſtiſſimus murus, qui ingredientibus pedeſtri itinere oppidum ad dextram eſt, & Gentilium murus dicitur (die Heyden Maur) Romanorum opus eſt: quo etiam poſterioribus temporibus adverſus Alemannos uſi ſunt.* Hactenus illi. Nihil verò habuiſſe Hyperaſpiſtam quo vel in ſpeciem poſſint illa refelli, indicat ejus callidum ſilentium: cum tamen eruditiſſimus Heiderus in operis magni *partis primæ appendicis articulo 1* idem aſtruxiſſet.

Valde porrò ſaltim ſimilia vero ſunt, quæ Heiderus de *Burgo* Lindavienſis urbis adfert: etiam illud nempè olim aliquod vetus Romanum caſtellum fuiſſe. Merentur, ut viri omnia, legi quæ habentur operis magni *pag. 32 & 525.* Quoniam autem caſtellis Romanis tantûm non ubivis fuerint quondam adjuncta oppida, nunc parva, nunc magna: itaque jam tum etiam huic inſulæ oppidum aliquod non deſuit. Et

verò

verò Germanico loquendi usu hodieque incolæ oppidorum *Bürger* appellantur, eorumque magistri Burgemeister; quasi idem sit *Burgum* & oppidum. Id quod jam tum olim fuit moris apud Germanos nostros. Etenim est quidem *Burgus* Romanis sequioris ævi *castellum parvulum*, testante Vegetio *l. 4. cap. 10*: at alia significatio vocis fuit in Germanis. Disserte enim Orosius *l. 7. cap. 22* & Isidorus *l. 9. cap. 2* de vocabulo *Burgundionum* differentes, scribunt: *crebra habitacula constituta burgos vulgò vocant.* Clariùs Luitprandus Ticinensis *l 3. cap. 12.* de Germanis: *ipsi domorum congregationem quæ non clauditur burgum vocant.*

Sed hic fortunatus loci status indubiè mutavit cum Romanorum Imperio per Rhætiam, Alemannorum armis fracto. Saltim munimenta fuerunt destructa: quæ isthac tempestate omnibus in universum Scythicis & Germanicis gentibus, tanquam libertati, cujus studio unicè ducebantur, adversa, erant maximè inviſa. Quam rem alibi pleniùs fumus exsequuti. An etiam id quod reliquum fuit oppidi excisum similiter sit, incertum. Seriùs ab ipsis Alemannis habitari cœpisse, docent exempla aliarum quamvis satis florentium quondam civitatum, per Galliam Vindeliciam Noricum & Pannoniam.

Ast seculo nono jam audiisse & insulam & oppidum Germanicâ *Lindaugiæ* appellatione, atque ita habuisse Alemannos habitatores, certum est. Imo nec contemnendâ oppidum fortunâ jam tum esse usum, testantur ex illo ævo adhuc reliqua illustria testimonia. De eorum altero contra Hyperaspistam actum est à nobis jam capite præcedente, illudq; inclytæ urbi vindicatum. Quandoquidem verò ab Hyperaspista productum fuit non integrum sed mutilum: invenitur porro & aliud alteri illi respondens, hactenus à nemine in nostra causa allatum in medium, utrumque hoc loco omnium oculis & judiciis exponemus.

Debet orbis primum viro optimè de Eccleſia & Republica merito Joachimo Vadiano: utpote qui illud inſeruerit incomparabilis ſuo in argumento operis *de Collegiis Monaſteriisq. Germaniæ veteribus libro ſecundo.* Quod cum habeatur in *Tomo tertio Rerum Alemannicarum* undequaque magni Melchioris Goldaſti, hujus voluminis *pag. 62* legitur, titulo *Exempli Precariæ cum concambio conjunctæ*, hiſce verbis. *Ego N. cum manu Advocati mei Cozolti accepi à quodam homine nomine Augberto in Zurichgouue, in loco qui dicitur Eskinhoua ad Curtim Lintouua pertinente, VIII juchos de terra, ſtatim in jus monaſterii redigendos, & dedi ei alios VIII juchos in Durgouue in loco qui dicitur Elinkouue, ea ratione ut dies vitæ ſuæ eandem terram ſub cenſu unius denarii poſſideat, ſimiliter & uxor ejus poſt eum, & poſt eorum obitum in jus monaſterii revocetur. Actum in Cella, Idib. Februarii, Anno Imperii Caroli ſecundo, Adalberto Comite in Durgouue. Et hi ſunt teſtes, Othere, item Othere, Buoza, Adalram, Zuozo, Mangaloh, Cozolt, Erchanolt, Richart, Eburhart, Rathere, Vadolhart, Gebehart, Hilteholt, Adalung, Richgouuo. Ego Notker juſſus deſcripſi.* Subjungemus quæ huic & præcedenti Precariæ addidit prudentia & doctrina pereximius Vadianus. *Apparet & in hac & ſuperiore charta, non permutaſſe Monachos, niſi magno ſuo commodo. Adeo ſemper avida rerum fuit Monaſtica religio. Quæ verecundiùs tamen primis iſtis ſeculis ſeſe geſſit, quàm poſtremis; quibus profecto licuit quidquid libuit, Regibus interim in utramq. (quod dicitur) aurem inſigniter dormitantibus. SAEPE verò chartæ antiquæ pagum Turegi à pago Durgavorum ſeparant; interim uno utrumque nomine complexæ: quem Tigurinum olim fuiſſe, minimè vana conjectura*

jecturae est. Curtis Lintouua hodie celebre oppidum est, Lindavium dictum, in lacu Brigantino. Annales monastici Lintuagiam vocant, cum cœnobio veteri. Quam totam incendio conflagrasse legimus Anno Salutis DCCCCXLIII. Biennio videlicet post Rachildæ mortem, quæ nota est Lintaugiensibus. Curtes Alemanni vocabant loca celebria oppidave, aut in ipsis oppidis domicilia celebrium hominum. Scripta autem est hæc charta Carolo Grosso Imperante: quem in Augia majore, quæ infra Brigantinum lacum est, sepultum esse supra diximus. Primum istud documentum, subsequatur jam secundum hactenus intactum. Edidit verò illud idem quem ante laudavimus Melchior Goldastus Vir Clariss. in *Centuria Chartarum & Instrumentorum veterum Alemannicorum*, parte prima *Tomi secundi Rerum Alemannicarum* inter eas Chartas quæ agunt de *permutationibus* n. XIX sub voce Notkerus. *Ego Hugprecht providens paupertati & opportunitati meæ, trado ad monasterium S. Galli, in Zurichgouue, in loco qui dicitur Eskinghoua, ad Curtem Lintoua pertinente, VIII juchos de terra, statim in jus monasterii redigendos: & accepi inde alios VIII juchos in Durgouue, in loco qui dicitur Eilickouue: ea ratione ut dies vitæ meæ terram sub censu unius denarii possideam, similiter & uxor mea post me, & post nostrum obitum in jus monasterii revocetur. Actum in Cella. Id. Febr. anno imperii Karoli secundi secundo, Adalberto Comite in Durgouue. Et hi sunt testes, Othere, Buozo, Zuozo, Maganloh, Cozolt, Erchanolt, Eburhart, Rathere, Vodalhart, Hildibold, Adalung, Ricgouuo. Ego Notker jussus descripsi.*

Vtramque hanc chartam de eodem negotio, in eodem loco & tempore, & ab eodem homine conscriptam esse, nemini

mini non liquet. Quod in alterutro unum alterumque desit vocabulum, aut testis nomen, indubie factum est culpa scribarum sequioris ævi. Vtraq; porro charta conscripta est imperante Carolo secundo Imperatore. Hic autem omninò est ille qui vulgo Carolus Crassus nuncupatur, filius Ludovici Germanici, ejus quem auctorem vult esse Diplomatis sui Cœnobium Lindaviense. Quoniam verò annus secundus Imperii Caroli Crassi est Christi DCCCLXXXII, post fabulosos natales supposititii Diplomatis decimus sextus, ad nonum utique seculum Christianum utraque hæc charta pertinet. Bonæ fidei esse primam chartam, agnovit ipsemet Hyperaspista. Non potuisset ergò & alteram admittere, si volvens Goldasticos illos Alemannicarum rerum tomos hanc non prætervidisset. Certè utraque est ejusdem plane notæ: ut probatâ unâ alteram improbare nequeas. Non dubito autem, neminem quoque alium inventum iri, qui ambiguam faciat chartarum istarum fidem. Vsque adeo omnia seculi noni moribus & inter sese consona sunt. Qui sane ediderunt, illi de Lindaviensibus controversiis nihil vel fando acceperant: & prodierunt illæ chartæ in lucem pridem ante nuperas quas Cœnobium movit turbas: depromptæ ex Monasterii S. Galli tabulariis superiore seculo direptis.

Eschenhouam porrò, cujus in utraque chartâ fit mentio, esse illud quod pridem & nunc etiam Eschach appellatur, jam tum animadvertit ipsemet Hyperaspista, & magnâ cum jactantia affirmavit libri sui *pag. 31. & 32.* Verba ejus inter alia hæc etiam sunt: *Eskinhova* welches eben ist Aeschach. Nec verò est quod quem moveat alia hodie usitata vocis terminatio. Tempore enim locorum appellationes solere subire mutationem, perinde atque alias vicissitudines, nemini rerum gnaro non est notissimum. Majoris momenti queat videri, quod Eskinhoua in pago Zurichgou collocetur. Illum

lum enim pagum esse Tigurinum, recte videtur conjeciſſe Vadianus: & tamen à Tiguro urbe remotior poſſit videri Eskinhowa quàm ut Tigurini pagi pars fuerit. Adhoc infra demonſtrabitur, jam tum ſeptuaginta circiter annis pòſt fuiſſe Eskinhowam in ditione Brigantina. Eſt autem etiam hic ſcrupulus levis. Pagorum enim fines ſæpe ſatis latè patuerunt, alibi fuerunt anguſtiores: ſed & pro arbitrio imperantium limites alii atque alii ſolent earumdem regionum eſſe. Tigurum enim ipſum accenſitum fuiſſe pago Durgaugenſi anno 860, liquet ex verbis diplomatis Ludovici Germanici adductis *pag. 56.* Atque ideò recte dicit Vadianus, pagos illos olim interdum diſtingui ſolere, interdum non. Ex Diplomate præterea illo Ludovici Tigurino liquet, ad *Curtim Tigurinam* pertinuiſſe *pagellum* (uti verba ſeſe habent) *Vroniæ:* ac proinde mirum eſſe non debet, latiùs nonnihil patuiſſe pagum Tigurinum ex Regia conſtitutione. Itaque Carolo Craſſo imperante cur ſub jurisdictione Comitis pagi Tigurini non fuerit Eskinhowa, & non ſequente demum ſeculo conceſſerit in ditionem Brigantinam, nihil vetat credere. Præſertim quandoquidem non liquet, Brigantio fuiſſe ſuos ſingulares Comites jam tum illo nono ſeculo.

De Eskinhowa igitur res plana jam eſt: ſignificari nimirum illa voce id quod poſt Eſchach fuit dictum. *Lintouuam* porro idem eſſe quod Lindaugiam, profeſſus itidem eſt Hyperaſpiſta, & jam tum antè monuit doctiſſimus Vadianus. Verba Vadiani paulò ante attulimus, & capite præcedente à maligna & impudente Hyperaſpiſtæ narratione vindicavimus. Ibidem etiam docuimus, neutiquam *Curtis* voce Cœnobium poſſe intelligi: utut illa vox quondam fuerit πολύσημος. Etiam oppida verò audiiſſe tum interdum *Curtes*, rectè notavit Vadianus. Eâ ſanè ſignificatione Ludovicus noſter Germanicus in ſuo Diplomate quo dotavit Cœnobium Ti-

gurinum; quodque supra *cap. IV. pag. 55* produximus, ita locutus est: *Curtim nostram Turegum*: & tamen non multò post idem Turegum *vicus* appellatur, hoc est oppidum nullis cinctum munimentis. Non tamen promiscue oppida omnia *Curtes* videntur tum dicta, sed illa potissimùm in quibus simul fuere palatia Regia. Quæ & *villæ* tunc audierunt. Quo nomine in Germania tum fuerunt præ aliis celebria Francofurtum & Ulma. Videtur autem nec oppido Lindaugiæ defuisse tunc aliquod palatium eo loco, qui hodieque *Burgus* nuncupatur. Quicquid sit, *Curtis* vocabulum nulla ratione Monasterio convenit, ac proinde chartæ illæ non ad res Cœnobii, sed oppidi pertinent. Idem verò quammaximè etiam confirmant illa quæ superiore capite probavimus, nempe seculo denique decimo in insulam istam Cœnobium fuisse translatum. Nec enim, cum adhuc hæreret Cœnobium extra insulam circa Nonnenhorniam, *Lintou* appellari potuit. Quin imò cum verissima sint quæ hoc ipso capite probavimus: per aliquot nempe secula, etiam post commigrationem in insulam, Cœnobio non competiisse appellationem *Lintzovvæ* aut *Lindaugiæ*, utique in hisce chartis non actum est de negotio ad Cœnobium sed ad oppidum spectante.

Cæterùm hisce jam certò constitutis, cum alia fiunt manifesta, tum ante omnia id, cujus gratiâ potissimùm hoc loco chartas illas in testimonium attulimus. Quandoquidem nimirum *Eskenhouua* sive Eschach, quamvis extra insulam situm, *pertinuerit* illa tempestate ad *curtim Lintoua* sive, ut nunc vulgò loquimur, Lindavium urbem, ampla utique fuerunt jam tunc inclytæ urbis illius pomœria. Certe perquam hinc fit verosimile, si non omnia saltìm plæraque ipsiusmet quoque insulæ itidem isthuc *pertinuisse*. Extra enim insulam fuisse locupletem, & intra insulam angustis terminis circumscriptam, non temerè potest præsumi. Nos paulò post probabi-

probabimus, Escenhovvam sive Eschachum fuisse quasi partem oppidi Lindoviæ. Haut verò perperam sed bonâ consequentiâ ratiocinationem meam, de Lindaviæ urbis jam tunc temporis eximia conditione, esse institutam, negare non poterit saltim Hyperaspista, sive quis alius ejus aut Socius aut laudator. Simili enim argumento etiam ipse Hyperaspista est usus *pag. 32* libri sui: tantùm in eo lapsus, quod Cœnobio attribuerit, quæ ad Vrbem referenda erant. Ita enim etiam gloriari non dubitavit. Wird derowegen D. H. von seinem *Achille* selbst dem *Vadiano* überwiesen das der Stifft Lindaw / ehe die Æschacher die Insul bezogen / ein berühmt vornehmes Orth gewesen / dessen der Orth Æschach ein *pertinentz* war.

QUASI obiter agendo, quandoquidem illa omnium antiquissima documenta nobis nunc sunt in manibus, non possumus non ex ipsis etiam alias duas gravissimas calumnias Cœnobialium hoc loco in apertam lucem producere. Non verecundati nempe illi sunt acerrimè etiam in foro contendere: Adalberti, sui Diplomatis scil. atque adeo Cœnobii auctoris, ætate, Eschachenses fuisse & servilis conditionis homines, & seorsim Cœnobii servos, ejusque jurisdictoni dominicæ, cum nulla sit facta manumissio, obnoxios. Utrumque autem apertissimæ calumniæ convincunt hæ chartæ. Non enim licet utique servo, bona sua aliis tradere, non migrare in alias terras, sine singulari domini sui consensu, imo nisi fuerit manumissus. Hæ chartæ autem, nulla facta mentione ullius domini, aut ullius consensus, docent Hugprechtum sive Augbertum incolam Eschenhouensem ex pago Tigurino in Durgougensem commigrasse, alteri præterea Durgaugensi octo juchos sui agri Eschenhauuensis cessisse eosque Cœnobio S Galli consecrasse: ex adverso alterum Durgougensem idem agere non potuisse sed nonnisi adhibito Advocato Cozolto, & charta conceptâ

quasi auctoritate Adalberti Comitis Durgouensis. Etiamsi porro non fuisset servus sed duntaxat colonus Cœnobialis ille Hugprechtus, itidem tamen sine expresso Cœnobii Lindaviensis consensu, non potuisset ille agros suos permutare aut alteri Cœnobio, S. Galli nempe, dedicare. Quæ quandoquidem tamen esse facta nequit negari, quantâ cum injuria & iniquitate Cœnobiales priscis Eschachensibus servitutem intentent, & sibi arrogent in eos jura dominica, vel sola satis sufficiunt demonstrando. Nec enim nunc dicam, quàm insulsis & ineptis argumentis ausi sint Cœnobiales caussidici ut alia ita etiam hæc Cœnobio vindicare: quorum tamen nulla vel in suo ficticio Diplomate fit mentio, tantùm abest ut bonis documentis ostendi possit illa unquam fuisse in usum recepta.

SED redeamus ad nostrum institutum. Oppidum ergo Lindavium seculo decimo, saltim ad usque annum quadragesimum octavum, etiam majore solito fortunâ floruisse, sunt quæ faciant verosimile. Etenim irruptiones Hungarorum jam circa annum seculi illius decimum Cœnobiales ex antiquis sedibus compulerunt in insulam: longè autem magis illæ Alemanniam omnem infestaverunt sequente tempestate. Nec verò tantum anno 913 & 919, sed cumprimis etiam 925 crudelissimè Hungari in Alemannia sævierunt. Vltimo illo jam memorato anno Monasterium S. Galli ab iis igne destructum & Wiborada interfecta est. Lectu digna sunt quæ de illa invasione narravit Egkardus junior *l. de casib. S. Galli* in vita Engelberti Abbatis: quia inde discere simul licet, homines tunc conscensis navigiis & Wasserburgo vitam remque suam conservasse. Quis dubitet igitur, ad exemplum Cœnobialium, etiam alios complures in insulam confugisse, sedesque ibi suas in tuto collocasse? Illo porrò rerum statu nusquam in continente libera fuerunt commercia,

isthæc

isthæc autem insula sola præbere potuit illis securam stationem. Qua ratione, ut solet, insularis conditio facta fuit solito melior. Reapse præterea invidendi aliquid habuisse tunc oppidum, non obscure arguit illud incendium quod instituit quadragesimo octavo anno Dux Burchardus. Absque sane illo fuisset, nec tantus Dux incendisset oppidum, nec illud incendium potuisset videri dignum quod ad posteritatem commemoraretur: quod tamen factum est à Contracto pariter & Hepidanno. Indubie verò ingentem tunc rerum suarum jacturam Lindavienses fecerunt. Nam fortassis etiam tunc demum flammâ Burgus periit, & si quid aliud superfuit Romani operis quod concremari potuit.

Quamvis autem illam ut & quæ intra ducentos sequentes annos fuerit oppidi fortuna nullis monumentis habeamus traditum; per tamen est verisimile, commerciorum oportunitate paulatim restitutam pristinam felicitatem in integrum.

Cæterùm seculo duodecimo Eschachensium transitu in insulam procul dubio amplitudo civitatis plurimùm crevit. Jam tum enim seculo Christiano nono *pertinuisse ad curtim* sivè oppidum Lintouam Eschachium, planum est. In parte oppidi illius censitum esse Eschachium indicant, *primò* illud quod Eschachensibus non nisi in insula olim fuerit ædes sacra S. Petri dicta, eaque communis cum insulæ habitatoribus: *secundo* quod Eschachium ipsiusmet Lindaviani etiam nominis factum fuerit particeps.

Utrumq; intelligere est ex *Rotulo* illo *depositionis testium* quem capite præcedente adduximus. Et quidem jam tum testem Vlricum Brenderum audivimus *pag. 240* Eschachium Lindaugiæ nomine appellantem. Sed merentur audiri hîc & aliæ depositiones testium, ac proinde illas quæ ad rem faciunt adferemus. Igitur *pag. 531* Conradus dictus Guderscher civis Lindaugiensis *De 1. 2. 3. 4. articulis dicit, sibi nil constare, nisi quod capella*

S. Petri fuisset fundata ante fundationem monasterii & civitatis. Dicit etiam, quod audivit ab antiquioribus, quod quoddam bellum fuisset juxta insulam Lindaug. & victi fugerunt ad eandem insulam, & adhuc inveniuntur corpora mortuorum, quando foditur in eminentia dictæ insulæ. In quâ depositione observandum etiam est illud de bello, & fuga devictorum in insulam. Videtur enim hoc accipiendum de clade quam nonnulli passi sunt tempore Hungarorum. *Vlricus item dictus Guderscher testis juratus, non odio* &c. pag. 532. *De 1.2.3.4. dicit, quod est communis opinio hominum, & sic audivit ab antiquioribus suis, quod primò in insula Lindaugiensi fuit capella S. Petri, & postea fundatum fuerit Monasterium in eadem insula, & quod postea translatum fuit oppidum Lindaug. de villa Eschach ad insulam, una cum Ecclesia S. Stephani, & quod adhuc habeat unam vineam in Eschach, in qua sita fuit dicta Ecclesia S. Stephani.* Eadem pagina alia depositio sic sese habet. *Merbockius civis Lindaug. Testis juratus non odio* &c. R. *De 1.2.3.4. dicit sibi nil constare, nisi quod capella S. Petri fuisset prima fundatio in insula Lindaug.* &c. Item alia Thomæ Sack. *De 1. 2. 3. 4. dicit, quod capella S. Petri fuit primo fundata, deinde monasterium, ante tamen translationem oppidi, & quod de hoc communis est opinio hominum, & sic audivit à suis antiquioribus.* Pagina 533 hoc habetur Joannis Cellerarii testimonium. *De 1. 2. 3. 4. dicit sibi nil constare, nisi quod ipse audivit, quod Ecclesia S Petri fuisset prima Ecclesia parochialis in insula Lindaugiensi.* Pagina item 544 testimonium Ludovici Salii: *De 1. 2 3. 4. dicit sibi nil constare, nisi quod Ecclesia S. Petri sit primitiva in oppido Lindaugiensi.* Aliud item Wilhelmi: *De 1. 2. 3. 4. 5. & 6. articulis dicit sibi nihil constare, nisi quod Ecclesia S Petri fuit prima structura in insula Lindaugiensi.* Omnium pleniſſimum & nostræ narrationis optimum testimonium est illud pag. 545 Joannis Blaser civis Lindaugiensis. *De 1. 2. 3. 4. 5. 6. sibi nihil constare, nisi quod Ecclesia S. Petri*

Petri fuerit Ecclesia Parochialis insulæ Lindaugensis, habens cæmeterium, ubi sepeliebantur pueri, & quod homines de oppido Eschach sito in loco dicto an dem alten Marckt *tanquam subditi ingrediebantur Ecclesiam S. Petri, tanquam Ecclesiam ipsorum Parochialem.* Ultimum hoc testimonium, diserte affirmat id quod professi sumus: ante scilicet transitum Eschachiensium in insulam, illos habuisse cum insularibus communem ædem parochialem. Diserte item præter Brenderum vocavit Merbock Eschachium Lindauuiæ appellatione: & *oppidi* nomen etiam alii testes ita acceperunt. Omnibus porro hisce testimoniis confirmatur atque illustratur illud quod jam præcedente capite & paulò ante docuimus; pridem videlicet ante constructum in insula monasterium, præter antiqua Romana opera gentilium, fuisse ibi ædem parochialem sacram; atque adeo & insulam fuisse antehac habitatam à civibus Christianis, non autem in vacuam & incultam terram Cœnobium perveniſſe.

Illo autem Eschachensium transitu grande incrementum ipsi in insula collocato oppido accessisse, haud difficile conjectu est. Incolarum scilicet novorum magno numero & domuum multarum nova constructione, in universum solet civitatibus accrescere non levis felicitas.

Non exiguo autem agrestium servorum manipulo habitatum antea fuisse Eschachium, ceu cavillantur calumnianturq; Cœnobiales Caussidici & Hyperaspistæ, sed jam tum seculo nono degisse ibi multitudinem aliquam civium liberorum, planum haud multo priùs nos fecimus. Modò etiam audivimus aliquot testes juratos, Eschachium *oppidi* & ipso *Lindaugiæ* nomine ante transitum dignantes. Paulò post producemus simili ratione loquentem Lyrerum quoque & Martinum Crusium. Imò observare est, utrumque illum, ut & alios, ita ferè locutos, quasi tota civitas Eschachio fuerit comprehensa

& ex-

& extra insulam ante transitum Eschachiorum collocata. Sed illos facile coarguit erroris ipsa Lindaugiæ appellatio. Etenim vox illa ab insulæ nomine data utique est oppido: quod fieri non potuisset si oppidum universum fuisset extra insulam collocatum. Pars igitur primaria oppidi omninò semper degit in insula. Fortè tamen Eschachium, pars nempe oppidi in continente sita, sensim ita crevit, ut æquaverit aut etiam superaverit fortunæ bonis & incolarum multitudine ipsammet primariam oppidi atque insularem portionem. Vt solent sæpe suburbia urbes ipsas antecellere. Ita sanè & Eschachium, reapse non nisi suburbanus locus, videtur sensim Lindaugiæ appellationem quasi ob majorem excellentiam ad sese potissimum traxisse. Adeò planum certè fecit jam pridem, more suo, eruditissimus Heiderus *Appendicis Partis primæ magni operis Apologetici Articulo V*, Eschachium quondam non viculum, sed oppidum castello instructum: nequaquam autem incolas servili aut ignobili fuisse conditione, quod Cœnobiales calumniantur, ante suum in insulam confugium, ut quidquam iis addere fuerit operam perdere.

Tanto itaque numero novorum incolarum aucta insularis civitas non potuit non ingens accepisse pristinæ fortunæ augmentum.

Quandoquidem verò admirationem aliquam meretur illa Eschachensium in insulam, relictis antiquissimis sedibus, commigratio; haud abs re indubie fuerit, quid præter testimonia Rotuli jam producta in medium, à præclaris scriptoribus sit de isthoc transitu commemoratum, hîc audire, & nonnihil expendere. Sebastianus itaque Munsterus *l 3. Cosmograph. c. 239* ita loquitur. Aus solchem haben sich dem Closter nach viel Wohnungen / Kramer und Wirhtshäuser / und der Leibleut ob dem Lande in die Insul gezogen. Und ist mit der Zeit ein Castel oder Flâck nicht weit von dannen gegen Mitt-

Mittnacht am Gestadt gelegen / (jetzund Ischacha genant) abgangen und die Bürger desselben Orts / haben sich aus Rath eines unter jhnen / mit Nahmen Schönsteins / von jhrem Halßherrn Hugo / Graffen zu Bregentz / umb 42 Marck / halb Gold und halb Silber (auß welchem Geld / als zwischen gemeltem Graffen und denen von Embs Uneinigkeit entstund / das Schloß Bodtman von erst unden an See erbawet und ernewert soll worden seyn) abgelöset und ledig erkaufft / ꝛc. Post Munsterum hac de re *l. 9. parte 2. cap. 16. pag. 359 Annalium Suevicor.* in hæc verba scripsit Martinus Crusius. *Bregantii Dominus, ex uxore Schlysselbergensi filiam habebat. Hanc amans Rotenfanii frater Malsierus, nocte quadam rapuit cum matre Assermontem. Pater iratus, exercitum in eum duxit. Quo cognito: pater hujus, Tübingensis Comes, cum sororio VVilhelmo Helffenstainio, & genero Burcardo VVeckensi, Ortenburgico q. Comite VVendelino, Bregantium Castellum q. Lindovvam, magnis copiis petierunt: coëgerunt q. hæc & Dominum, cum Rotenfanio pacem facere, ac, si familia ejus extingueretur, Rotenfanios omnium hæredes facere. Quod omne literis & testibus confirmatum fuit. Filius Bregantii Hugo erat: Lindovvæ (tunc non in lacu sitæ) habitans. Hic amore incensus, formosam cujusdam Embsensis filiam, gravidam fecit. Tunc Lindovvenses de consilio cujusdam civis nomine Schænstainii, persuaserunt Hugoni: ut ipsis Lindovvam, acceptis 40 marcis partim auri partim argenti, liberam dimiteret. Se ei adiumento fore in castello extruendo, ubi tutus esse à propinquis puellæ posset. Sic ædificatum est Castellum Bodmena. Patre suo mortuo illam in matrimonium duxit: filios q. tres procreavit. Homo simplex erat: & à Rotenfanio asylum accepit Richenoviæ: tradito ei Bregantio cum regione. Simoni etiam VVolckenbergio, ditionem Eglossam liberam vendidit: quam Sueviæ Dux Baltasar (inquit Lyrer) postea ab illo, liberis carente, accepit.* Hæc Crusius. Quandoquidem autem hic palam profitetur, totum illud caput Annalium suorum ex Thoma Lyrero esse

ſumptum, ejusque fide niti, Munſteriana autem itidem videntur ex eodem hauſta fonte, ipſummet quoq; Lyrerum hîc audiemus, qualem illum produxit Knipſchildius in pereximio opere *De juribus & Privilegiis civitatum Imperialium l. 3. c. 31. n. 15. pag. 868:* nec enim hæc ſcribenti Chronicon ipſum Lyreri eſt ad manum. Verba ejus hæc eſſe dicuntur. Haug (des Herrn von Bregantz Sohn) was in ſeinem Caſtel Lindaw/das lag dazumahl nicht im See / da hat einer von Embs eine Tochter/ hieß Eva / die waß gar ſchön/ der nam die und macht ſie ſchwanger/ da waß ein Mann in der Stadt geſeſſen / hieß Schönſtein/ der gab denen von Lindaw den Rath / daß ſie mit jhren Herrn Hugo redten/ daß er etwa viel Gelts von jhnen nemme/ und ſie frey ſagte / ſo wolten ſie jhme helffen / daß er ein Veſtin und Wohnung bauwete / und ſein liebe Frawen darauff ſetzete / daß ſie ſicher wer / daß ſein Freund jhr nicht Leyd theten/ das trieben ſie ſo lang/ daß er mit jhnen eins war umb XLII Marck/ halb Gold und halb Silber/ damit bauwet er ein Veſt/ hieß Bodtman. Da ſein Vater ſtarb / da nahm er ſie zur Ehe/ uud hat mit jhr drey Söhne/ die wolten die Herrn von Rothenfan nicht Erb laſſen ſeyn. Er war gar einfeltig/ und der von Rothenfan überkam mit jhm umb daß Erb / und gab jhme Melchingen ſeines Brüders auß derſelbigen Reichenaw Fluchthauß/ und gab dem Abt darumb 21 Marck Silbers / und nam Bregentz ein mit allen Land und zugehörig. Audiemus poſt tres hoſce etiam Wolffgangum Lazium magnum in hiſtoria virum, quandoquidem videtur ſua ex Lyrero non accepiſſe. Is *l. 8. de migratione aliquot gentium pag. 422. edit. VVechel.* hæc verba reliquit. *Hugo, Hugonis filius, ſub Henrico tertio floruit. Quo tempore cives Lindoviæ continuâ inundatione lacus afflicti, liberantes ſe è poteſtate Comitis 42 marcis argenti, relictis ædibus in inſulam Lindovienſem ſe receperunt. Ubi monaſterium fuerat Canoniſſarum liberarum, ab Adalberto Comite à Buchorn naufragium evadente conſtructum. Cui ædiculas conjungentes,*

gentes, affluentibus ex locis aliis compluribus, brevi oppidum effecere, quod hodie Imperiale est & Lindavia dicitur. Alii autumant, Lindavienſis civitatis fuiſſe occaſionem, quod cum compreſſiſſet nobilem à Bodmen, fugiens trampatrus, Lindovienſes accepta pecunia exemiſſet anno 1166.

Hactenus illi. Verum enimverò inter ſeſe multum illa diſſonant: ut difficile ſit arbitrari quænam vero ſint conſentanea. Eſchachienſes atque adeo Lindavienſes redemiſſe pecuniâ omne illud jus quod hactenus fuerat Brigantini Comitis, non Lyrerus duntaxat atque illum ſecuti Munſterus & Cruſius tradiderunt, ſed etiam Lazius narravit. Neque quidquam eſt quo illud jure merito poſſit vocari in dubium.

Adhoc ſub Brigantini Comitis fuiſſe illos quondam jurisdictione, ſaltim anno 948, paulò pòſt faciemus probabile, ut & eosdem Suevicorum jam tum Cæſarum ætate fuiſſe potitos conditione liberatum Imperii Urbium. Igitur, ſaltim illa quæ de redemta libertate narrantur, pro veris admittenda ſunt.

Eſchachienſes porrò tranſtuliſſe ſedes ſuas in inſulam, multorum teſtimonio probatum jam antehac accepimus ex Rotulo. Idem diſertè referentem modò audivimus & Wolfgangum Lazium. Non æquè apertè id affirmavit quidem Lyrerus & Cruſius, etiam illi tamen id innuerunt dum referunt, Lindavium antehac extra inſulam fuiſſe collocatum. Quin & hodiè Eſchachii ſuperant veſtigia priſtinæ civitatis. Etiam igitur de illâ Eſchachienſium migratione in inſulam, non eſt quod quisquam dubitet.

Compulſos *continua inundatione* Eſchachienſes id feciſſe, ab uno narratum eſt Lazio ſed ipſomet dubio. Cum Eſchachium autem loco editiore ſit ſitum ubi ab inundatione minus eſt periculi; hæc quidem non videtur fuiſſe migrationis cauſſa.

Quadraginta duobus autem marcis à Brigantino emtam

libertatem nihil est quod possit falsi arguere: eoque & Lyrero hujusque sectatoribus nec non Lazio hoc etiam potest credi.

Tempus contrà sive redemptæ libertatis sive transitus in insulam, perdifficile videtur definitu. Quoniam neque Lyrerus neque Munsterus aut Crusius rem hanc attingunt: Lazii autem duæ relationes plusquam centum annis differunt, ipse Lazius nihil definivit. Verùm post redemtionem transiisse demum in insulam Eschachienses, videtur extra dubitationem esse collocandum. In id enim omnes consentiunt: & dictitat recta ratio cum illa migratione majorem solito libertatem impetratam. Quod si Lyreri Chronicon universum esset conscriptum jam tum anno 1133, ut alicubi præ se ferre perhibetur (ipsemet enim librum illum non legi) jam ante seculum decimum illa redemptio facta videatur. Narrat enim illam scriptor tanquam rem vetustam. Sed nec de Lyreri ætate, nec utrum ille unus omne Chronicon conscripserit, & non multa pòst fuerint interpolata, nec de fide libri satis constat. Illo ipso loco quo Crusius ista ex Lyrero transcripsit jam in hæc verba notaverat. *A matre Cœnobium Seflinga ædificatum in Lyreri libro scribitur: quod Bruschius ad annum modò 1237 reponit. Ergo aut post id demum tempus Lyrer vixit, & Chronicon, in cujus extremo ipse nomen adscripsit, ab alio dudum ante (anno scilicet 1133) descriptum fuerat: cui ipse postea quædam adjecit: aut Seflingæ principium quoddam dudum ante Bruschii annos fuit.* Sed & in ipsâ illâ Lyreri narratione utique Dux Sueviæ Balthasar fabulosus est. Quantumvis placeant quæ de Lyreri fide caute atque eruditè, ut semper, disseruntur magni operis Apologetici *pag. 611. sub lit. a a a.* Nec id porrò certum est, an partâ libertate statim commigratum fuerit in insulam, an aliquamdiu pòst: quamvis prius videatur Lazius asseruisse.

At vero transiisse Eschachienses demum seculo duodecimo,

cimo, si licet dicere quod sentio, mihi quidem tria faciunt verisimile. *Primum* est, quod templum S. Stephani tunc demum fuerit in insula constructum. Meminit ejus post Bruschium Crusius *Annal. parte secunda lib. XI. cap. XI. pag. 437* hisce verbis. *In civitate Lindavia Podamici lacus, anno 1180 Parochiale Templum S. Stephani, è regione Martanæ Basilicæ situm, ædificari cæptum est: cum jam ex confluentibus undequaque mechanicis opificibus, & ex commigrantibus ad D. virginem sub tilias vicinis Eschachensibus agricolis, natum esset mediocre oppidum. Brusch.* Ante transitum nempe fuerat Eschachiensibus eodem nomine templum: ceu liquet testimonio Vlrici Guderscheri ex Rotulo deprompto. In insulam itaque receptis omnino ipsis fuit cogitandum de simili nova æde: præsertim cum numerosum civium cœtum non caperet priscum S. Petri fanum. *Alterum* est, quod hoc tempus quàm optimè conveniat cum testimonio Ulrici Benderi. Id quod jam præcedente est capite demonstratum. *Tertium*, quia etiam apud Lazium nonnulli jam tum idem narraverunt. Taceo, quod huic sententiæ nihil possit opponi majoris verisimilitudinis. Nec enim earum, quæ manibus vulgi etiam Lindavii circumferuntur, traditionum ulla est auctoritas; ac proinde etsi diversum nonnullæ earum memorent, indignæ sunt quæ hîc attendantur.

Per eadem tempora, aut paulò ante, arbitror accidisse & libertatis redemtionem. Periculum scilicet fuit, ne libertati recens partæ à mox sequentibus Brigantini Comitatus successoribus, utpote qui & Palatini simul Tybingenses fuerint atq; adeo præ Brigantinis potentes, novum periculum immineret. Ei vitando non sanè potuit remedium prudentius excogitari, quam in insulam transitus: ubi nempe & loci oportunitate & unita vi facile possit quamvis magna potentia securè eludi. Confirmatur hæc mea conjectura eo, quod Lyrero teste,

Hugoni Brigantino, à quo Lindavii & Eſchachienſes ſeſe ære ſuo vindicaverant, ſucceſſerit in Brigantino Comitatu Rotenfanius, qui idem fuit Palatinus Tybingenſis. In monumentis autem Suevicis primi Tybingenſium Comitum Brigantiæ Domini in ſeculi duodecimi hiſtoriâ ſoleant memorari, jam Lothario imperante claris Rudolpho & filio ejus Hugone.

Ut proinde liceat affirmare, circa ſeculi duodecimi initia, inclytam Urbem Lindavium grande cepiſſe priſtinæ felicitatis incrementum, cùm recepto in inſulam tutiſſimumque refugium magno civium ſuorum Eſchachienſium numero, tùm pretio non magno partâ libertate illâ quâ inter Germanicas urbes ſolæ quæ Imperiales nuncupantur unicè gaudent.

Et verò jam intelleximus, ſeculi noni fine Eſchachium accenſitum pago Tigurino. Hic autem pagus cum Comitem ſuum more Francico habuerit juri dicundo, indubiè illa tempeſtate Tigurinus ille Comes etiam Lindaugienſibus præfuit. Conrado primo regnante Hugo Mediolanenſis, ſecundùm Baronium, occiſo Lamberto Italiæ rege, ad Conradum illum Regem avunculum ſuum confugiens, Brigantino Comitatu primus omnium creditur donatus. Non hunc tamen ſed alium ſeorſim Lindavienſem Comitem fuiſſe conſtitutum tempore Henrici I quem Aucupem vulgò nuncupamus, ex Torneamentorum quæ appellantur ſive ſolemnium equeſtrium ludorum hiſtoriâ Rixneriana, manifeſtum eſt. Illa ſane fide Cruſius *Annal. parte II. l. 4. cap. 1. pag. 198* in primo ludo ſigna ipſius Cæſaris Henrici ſcribit ſecutum Joannem Comitem Lindavienſem. Præter unum tamen iſtum nemo alius eo nomine memoratur. Audivimus verò jam *pag 233* à Burchardo Sueviæ Duce & oppidum Lintavium concrematum, & Brigantinam arcem ſubſidiis Ottonis Magni expugnatam eſſe anno 948. Hinc veroſimile fit, illo jam tempo-

tempore Lindavium in Brigantini Comitis fuisse ditione. Ex eo itaque Brigantini Comitatus pars fuit Lindavium, donec felici redemptione in libertatem Imperialem sese vindicavit.

Invitat hîc argumentum subjungere & quæ de Lindavio disseruit sæpe antehac laudatus in testem Crusius *Annalium parte III. l. II. cap. XV. pag. 106.* Verba ejus omnia referemus, non tamen nisi in priora quædam pòst animadversuri. *Lindoia (celeberrimum Podamici lacus oppidum) olim Abbatissæ Monasterij, quod ibi est, subjecta erat. Imperium autem Rom. gubernantibus potenter Ducibus Sueviæ, sub eorum & Imperii tutelam venit: ac multis propter virtutem donata privilegiis, jus cudendæ quoq. monetæ, & viridem tiliam in albo clypeo pro Insignibus accepit. In primis autem cum die 7. Martii anni 1264 ferè tota conflagrasset (Munst. l. 3. c. 246.) postea à Comite Rudolpho Habspurgensi, Rom. Rege, privilegium 1275 adversus Abbatissæ sententiam obtinuit: ut populus (quod nostro adhuc tempore fit) in singulos annos Consulem* (ein Bürgermeister) *& Prætorem* (ein Stattamman/) *ex Patriciis & plebe, suo arbitratu legere posset: qui cum Senatu libere jurisdictionem exerceret: sed in gravissimis negotiis (ut religionis, fœderis, aut belli) inconsulto populo toto, & octo Tribunis plebis, nihil ageret: ne scil tyrannis aut seditio existeret. Sicut certè anno 1396 extitit, quando supplicium de plurimis est sumptum, & patriciis in ordinem coactis, Tribunitia potestas in Senatu prævalere cœpit. Ideo quotannis etiam, die Joannis Bapt. magistratuum ibi munia mutari solent.*

Hæc omnia Crusius. Non patitur institutum quælibet horum vel probare vel rejicere: in ea tamen quæ dixit, quod *olim* incluta *Vrbs Abbatissæ Monasterii subjecta fuerit*, non possumus non paucis nos animadvertere. Et vero ut fama *vires acquirit eundo*, ita hæc fabula crevit per Dresserum primò qui Crusiana hæc legerat, mox & per alios, ipsumque adeo Joannem Limnæum, Dresseri exscriptores: quibus indubie pluri-

plurimi alii supinè posthac crediturі sunt, ut solemus sequi antecedentium gregem. Etenim cum diserte dixisset Crusius: *Imperium autem Romanum gubernantibus potenter Ducibus Sueviæ, sub eorum & Imperii tutelam venit.* Dresserus *parte V Isagoges Historicæ de præcipuis Germaniæ Vrbibus sub rubr. Lindavia*, id ita interpretatus est, quasi Urbi primùm Abbatissa inde Sueviæ Duces imperaverint. Atque ita pòst etiam alii tradiderunt. Nec verò antehac à præclarorum scriptorum quoquam id traditum fuerat. Longè enim alius est sensus verborum Stumphii dicentis: Nach dem die Römer dieser Landen vertriben / und die gegen den Franckischen Künigen unterthan / und dem Schwäbischen und Alemannischen Fürstenthům untergetheilet ward / ist diese Insel und Ow demselbigen Hertzogthům auch untergeben. Non enim ille dixit, immediate (uti loqui solemus) Lindavium paruisse imperio Ducum, & quidem post Abbatissas, sed partem fuisse Suevici Ducatus, idque statim ex quo Suevia in Francorum venit potestatem. Id quod ita sese habuit, etiam tunc quando Comites jus dixerunt.

Ergo Abbatissas unquam imperasse Lindavienſibus, nullum in omnibus vetustis monumentis vel leviſſimum superat vestigium. Estque id imperium adeo alienum à vero, ut nec ipse Diplomatis fabricator ausus fuerit aut oppidi Lindaugiæ verbulo meminisse, aut innuere saltim jus aliquod cœnobiale in eam civitatem. Illud autem indicio est, circa seculi duodecimi & decimitertii confinia, quod verum est natale Diplomatis tempus, horum nihil fuisse creditum. Non me fugit, quantum Hyperaspista sudaverit pro asserendo illo Cœnobiali imperio. At verò nullum potuit adferre vel minimum signum ejus exerciti imperii ante Eschachenſium in insulam commigrationem: & proinde nihil eorum quæ dixit juvant Crusianam assertionem. Omnia porrò in universum quæ adfert facilime queant confutari.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [296] - 272

futari, si pateretur institutum argumentum. Sed & ex iis quæ in medium produximus palàm est, saltim ab anno usque octingentesimo octogesimo secundo usque ad seculum duodecimum & ære partam libertatem, semper Comitibus subfuisse civitatem. Per consequens ergo Abbatissæ tunc temporis non competiit ulla in Urbem Jurisdictio.

Nemo porro affirmavit ante Dresserum, paruisse (immediate quidem) civitatem Sueviæ Ducibus: non meretur ergo fidem etiam Dresserus, sine teste scilicet locutus id quod sine teste sciri non potest. Perperam porrò illum accepisse ea quæ Crusius dixit, liquidum est, jamque tum admonitum. Præiverat autem Crusium & Munsterus, atque adeo hunc Crusius bonâ ex parte fuit sectatus. Ita enim Munsterus loquitur. Welche Stadt zu den Tagen / da die Hertzogen aus Schwaben das Kayserthumb gewaltiglichen geregieret haben / in des heiligen Römischen Reichs Kastvogtey auffgenommen. &c.

Omnino verò ita sese res habet, atque illi duo retulerunt: sub Imperio videlicet Suevicorum Cæsarum Lindavium in Imperatorum & Imperii tutelam perveniisse, post nempe ære excussam Comitum Jurisdictionem. Neque enim adeo stulti fuerunt Lindavienses, ut ab imbecillibus Comitibus liberati sponte subjecerint sese herilis animi Sueviæ Ducibus, multò minus (quod tamen malunt credi inepti quidam Cœnobiales) impotentibus mulierculis. Ad hoc Fridericus cum primis Barbarossa, ut publicæ Imperii salutis fuit longe studiosissimus, ita id operam diligenter dedit, uti Urbes quamplures hactenus Principibus obnoxias Imperio assereret per universam Germaniam: cùm ex adverso multi Cæsarum eas aut in propriam redegerint possessionem, aut Principibus sive oppignoraverint nunquam redimendas, sive vendiderint, sive prodigè donaverint. Id quod alibi latiùs sumus exequuti. Non sanè dubito, à Friderico Imperatore, si non etiam ab aliis illius ævi, civitati Lindavio à Co-

mitibus ſuis liberatæ conceſſa multa privilegia; & ſpeciatim ea quæ Munſterus ac Cruſius memorant. Licet infelix incendium, velut urbem omnem ita & haſce tabulas anno 1264 perdiderit.

Jam iſta Suevicorum Imperatorum ætate evectam fuiſſe civitatem in dignitatem iſtam Imperii urbium, omni exceptione majus teſtimonium petere etiamnum eſt, ex Diplomate iſthoc quod Rudolphi Imperatoris auctoritate anno 1275 eſt conſcriptum. Diſertis enim verbis ibi aſſerit Imperator: *ſe jura & libertates civibus Lindavienſibus, ſuis & Imperii fidelibus, à divæ recordationis Imperatoribus & Regibus, ſuis præceſſoribus ipſis traditas & conceſſas, innovare, innovatas hujus Majeſtatis ſuæ munimine confirmare.* Atqui ſi Ottonem quartum excipias, omnes qui anteceſſerant Imperatores ac Reges, ad tempus usque circiter redemptæ libertatis, fuerant Suevicæ Ducalis familiæ. Ab iis igitur conceſſa fuerunt Lindavio jura quædam & libertates.

Quibus verbis Imperatoriis ſimul refellitur inſulſa Cœnobialium quorundam calumnia, quaſi primus Rudolphus in cenſum Imperii Urbium retulerit Lindavium: quos niſi partis ſuæ ſtudium excœcaſſet, non potuiſſent non longè alia hinc diſcere. Imo cum ipſimet produxerint in judicium literas inclyti Senatus Urbici, antiquo ſigillo tiliæ ſubpoſtæ aquilino bicipiti corpori anno 1263 obſignatas, non potuerunt ignorare, ſaltim jam ante Rudolphum, ut qui anno demum 1273 Cæſar fuerit creatus, in Urbibus Imperialibus Lindavium numeratum eſſe. Nec enim aquilæ bicipitis ſignum convenit Urbi quæ non ſit Imperialis.

Nos paulò pòſt integras exhibebimus Rudolphinas illas tabulas. Priùs tamen aliquid dicemus explicatiùs de conditione civitatis, qua vixit ſub Comitibus. Igitur obſervandum: ex more antiquiſſimo omnium Germanicorum populorum, etiam

etiam Francicorum Regum ac proinde & Carolovingicorum ævi, non aliam ferè Comitum fuisse inter suos auctoritatem quàm circa judicia, & Rege jubente circà expeditiones publicas. Planum id alibi, de Ducibus & Comitibus ut & de Judiciis Germanicis agentes, fecimus ex antiquis monumentis variis: & potest quilibet id facilè discere vel ex solis Marculphi formulis, quibus Comites instituuntur. Inspiciatur duntaxat formula Lindenbrogianæ editionis XXXII. Civilium igitur rerum cæterarum curatio penè omnis in libera fuit potestate subditorum: Comitibus in eam nihil aut parum fuit juris. Ne judicia quidem tota fuerunt Comitum: sed omnibus minimùm septem Scabini assessores dati, ex populo electi, quos penes reapse in judiciis, ut Tacitus loquitur, *consilium* fuit *& auctoritas*. Nequaquam despoticum aliquod in suos, sive personas sive bona videas, imperium tunc fuit Comitum, imò ne Regum quidem. Habuerunt illi passim bona sua privata, alibi multa alibi pauca, & hactenus alii aliis fuere opulentiores. Bona civium onerare vectigalibus aut tributis, nemini fas fuit: ne Regibus quidem, nisi ubi id placuisset Regni Ordinum conventui. Non alia igitur indubiè fuerunt olim Comitum in Lindavienses jura: ac proinde hactenus etiam sub Comitibus neutiquam illi servierunt, sed liberaliter satis sunt habiti. Nec verò existimandum est, hîc duriora obtinuisse, nisi claris id documentis fuerit probatum: quæ deesse, satis constat. Omnino autem sic etiam Lindavii habuisse sese res Comitum, haud obscure indicat quoque vilitas pretii illius, quo ab omni Comitum imperio vindicata ac redempta est civitatis libertas. Non enim me quidem præterit, quæ olim nummorum fuerit rerumque æstimatio, longè diversa à nostri temporis consuetudine: quoniam probo quæ hac de re præter alios elegante opusculo *de carritate rerum ejusq; remediis contra Malestrettum*, mea curâ superiore anno recuso, disseruit Joannes Bodinus: nulla tamen etiam sic in-

ter pretium & rem fuiſſet æqualitas, ſi deſpotica jura in civitatem Comiti Hugoni competiiſſent : benè autem ſibi conſtant omnia ſi ultra ea quæ diximus non extenderit ſeſe Comitiva poteſtas.

Etiam hoc igitur expedito, producemus Rudolphi Imperatoris illud quod jam memoravimus Diploma, illoque omnem hanc diſſertationem quaſi obſignantes, capiti huic finem imponemus.

RVDOLPHVS DEI gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, univerſis Sacri Romani Imperii fidelibus, gratiam ſuam & omne bonum. Dignum judicat noſtra ſerenitas, ut illorum vota gratioſiùs admittamus, & eorum deſideriis benigniùs occurramus, qui Sacri Romani Imperii Principibus divæ recordationis Imperatoribus & Regibus fideliùs adhæſerunt, nec ab ipſorum ſervitiis ſe aliquantenus averterunt. Cum itaque dilectos fideles Noſtros & Imperii Cives Lindaugienſes tales fuiſſe, & nunc eſſe, fide cognoverimus oculata, eademq; experimentis certioribus ſint probata: Nos eosdem proſequentes affectu gratiæ ſpecialis, jura & libertates iisdem à divæ recordationis Imperatoribus & Regibus noſtris prædeceſſoribus ipſis traditas & conceſſas, præſentibus innovamus, innovatas hujus noſtræ Majeſtatis decreti munimine confirmamus. Promittimus itaque dictis Civibus pro munere gratiæ ſpecialis, quod Nos Advocatiam Nobis & Imperio attinentem, quæ vulgariter dicitur Caſtfogit, nunquam alienabimus obligabimus aut commutatibus. Volentes idipſum à noſtris ſucceſſoribus inconvulſum perpetuitate temporis obſervari. Item ſtatuimus, quod

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [300] - 276

quod nullus Iudex publicus, nec Dux, neq; Comes aut quislibet ex judiciaria poteſtate, ipſos ſuper poſſeſſionibus juri forenſi ipſorum Civitatis ſubjacentibus, & in aliis cauſis ſecularibus quibuscunq;, niſi coram Advocato vel ſuo Iudice ſubſtituto, in palatio Dominæ Abbatiſſæ & præſente Domina Abbatiſſa, poterit aliquatenus convenire. Præterea proſcriptio Advocati Ducis Comitis vel alterius Iudicis, ratione judicii cujuscunq; ipſorum civium, intrare non debet vel attingere Civitatem. Ipſorum etiam Civitas tali jure & libertate uti debet: videlicet quod quicunq; extraneus ſervilis conditionis à prædictis Civibus recipitur in Concivem, ſi idem per ſpacium unius anni, ſine inpetitione & repetitione domini ſui in dictorum Civium civitate commoratur, ita ſi ipſum dominus ſcit in Oppido reſidentem, deinceps liber & ſolutus ab omni ſervitio ſui domini penitus permanebit. Si autem ab eodem Cive recepto ſervitium à ſuo domino poſtulatur, ita tamen, ſi infra terminum illius primi anni convincitur de jure ad ſervitutem pertinente, quicquid Advocato de ipſo nomine ſervitii dabitur, dominus in tertiâ parte penitus contentus eſſe tenetur. Inſuper, ſi proprius alicujus domini convictus ad ſervitutem, in ſæpedictorum Civium moritur civitate: domino tertia pars rerum mobilium cedet. Ita, ſi ibi carnales heredes eſſe videntur: ſi non, tunc domino medietas mobilium aſſignatur. Item ſi II.
aliquis homo advocaticius in ipſorum civitate eſt reſidens, Advocato de ſua perſona, aliquot ſervitium facere non te-

netur, Si autem idem homo advocaticius viam carnis ingressus fuit universæ, Ecclesiæ ad quam spectare videtur, quicquid iuris eadem Ecclesia in ipso vel in his qui sunt eiusdem conditionis habere videtur, dabitur sine dolo. Quicunq; etiam aliquod prædium ad forum pertinens eorundem civitatis, ratione emptionis vel hereditatis, per spacium unius anni & unius diei in quieta tenet possessione, ita si infra terminum prædictum secundùm iuris formam non contradicitur reclamando, illo reclamante in provincia existente, de cetero id prædium pacificè possidebit. Nullus etiam miles nec monachus, prædium aliquod in Civitate prædictorum Civium hereditatorio iure acquirere poterit nec tenere. Et si aliquod prædium alicui Cœnobio vel aliis personis religiosis dabitur propter Deum, infra terminum unius anni vendere tenentur; quod si facere neglexerint, ex tunc propietas eiusdem prædii ad heredes proximos tradentis succedet libere & quiete. Quicunq; etiam puer, cum rebus propiis à suis parentibus separatus, sine carnali herede de hac luce emigrabit, eadem hereditas in patrem vel in matrem cadet evidenter. Si autem ibi parentes esse non videntur, tunc in proximum heredem, sive ille sit ex parte patris sive matris, de iure cadet hereditas antedicta. Prædicta omnia & singula, ob favorem Civitatis & Civium Lindaugensium, confirmamus & roboramus in perpetuum duratura. In cuius rei testimonium præsens scriptum Sigilli nostri munimine iussimus roborari. Datum apud Nurinberch V. Nonas Martii Indictione tertia, Anno Domini MCCLXX quinto, Regni vero nostri anno secundo.

Hacte-

Hactenus Diploma Rudolphi Imperatoris. Non verecundatus quidem est Hyperaspista illud calumniari, quasi sub & obreptitie impetratum, imo quasi mox denuo irritum fuerit redditum. Sed inproba calumnia non meretur responsum. Aliquid scilicet Privilegio isto contineri, quod legitimis Cœnobii juribus vel tantillum detrahat, aut quod ullo verbulo disertè ab Imperatore isthoc revocatum sit, non potuit iniquus Hyperaspista probare. Nihil reperit quod vel colorem calumniæ faceret, præter suppositititium Ludovicianum Diploma. Et tamen nec ibi quidem reapse invenias aliquid huic Rudolphino adversum. Quid quod idem Hyperaspista non erubuit ex ipso illo Diplomate, pro ea qua valuit improbi ingenii solertia, Cœnobiale in Urbem, quam Imperialem esse apertè pronunciat Imperator, dominium exsculpere? Usque adeo periit frons de rebus, ceu ille olim loquebatur. Non fert institutum ineptias istas hîc perstringere. Sed & nemo non absque ullo monitore videt & Diplomatis robur pro astruenda Urbis dignitate, & Cœnobialium calumniatorum iniquitatem.

CAPUT XV.

Ex iis quæ de postulati Adalbertini persuasiva ratione narrantur, ut & quæ de sacris precibus constituuntur, Diploma falsi suspectum meritò esse debere.

FOrtunam libertatemque Lindavii inclutæ Urbis fortè prolixiùs persequuti sumus, quàm tulit Cœnobialium aurium oculorumque patientia. Veritatis tamen & recti interfuit coram omni bonorum æquorumque orbe liberare ab infestis calumniis ipsa etiam Urbis primordia. Redibimus nunc ad institutam Diplomatis censuram: non quasi nondum satis palàm sit illius fraudulenta fabrica (illa enim pridem patet jam

jam omnium oculis) ſed uti appareat, doloſum quamvis veteratorem etiam in minutis rebus non potuiſſe Sinonias ſuas artes occultare, aliquot etiam alia falſi indicia, minoris licet ponderis, proferemus. Et nunc quidem animadvertemus duntaxat in ea quæ narrat Diploma de Adalbertini poſtulati perſuaſivo argumento, ut & de Imperatoriâ circa ſacras preces conſtitutione: quoniam utrumque peraffine eſt, & omni caret verisimilitudine.

I. Quod PRIUS attinet, in Diplomate ait Imperator Ludovicus de Adalberto: *poſtulavit, quatenus pro redemptione animæ noſtræ nec non parentum noſtrorum, eidem monaſterio aliquod muneris conferremus.* Adalbertus igitur Imperatoris munificentiam in ſuas partes auſus fuerit pertrahere, propoſitâ *redemptione & ſuæ & parentum ſuorum animæ.* Illum in finem ipſoſmet Imperatores aliosq; tantùm non omnia monaſteriis aliisq; ſacris locis dare ſolitos, longè quidem & certiſſimum & notiſſimum eſt. Qui liberalitatem tamen Imperatorum Regumq; ſollicitarunt, ſi quidem inferioris fuerunt conditionis, ſolent illo perſuadendi argumento ob reverentiam aliquam abſtinere. Si inquam haud fuerunt nati Cæſarea aut Regia familia: utpote quibus minus licuit atq; aliis ſublimi ſanguine procreatis. Docent hoc ipſum quæ ex iſthoc ævo ſuperant genuina Diplomata: in quibus ſcilicet id genus perſuaſivi argumenti haud temerè fuerit reperire. Jam verò Adalbertus ſi Comes fuit Palatii, non ignoravit mores aulæ, & quàm ſubmiſſe gerere ſeſe debeat erga Imperatorium faſtigium ſupplex miniſter aulicus. Igitur Adalbertum uſum fuiſſe illo inſolente perſuaſivo argumento, non ſane veri aliquam habet ſpeciem.

Utque auſus fuerit in Imperatoriæ ſive Regiæ *animæ redemptionem* ſuo Cœnobio aliquod donum petere, non videtur tamen

men ausum illum *in redemptionem animarum PARENTVM Imperatoris* aut Regis tale quidquam postulare. Pridem scilicet mater quidem Ludovici Germanici defuncta erat, & sanctè vixerat pia fœmina. Saltim illius igitur animam *redemptione* adhuc indigere, forte ne suspicandum quidem fuit. Animæ etiam Ludovici Pii Imperatoris infelicem statum sexto vicesimo post obitum anno, ministrum aulicum primarium Regi filio ausum quasi exprobrare, dixeris nefas aut certè perquam imprudens facinus. Pro *remuneratione, mercede* aut *mercedis augmento* orari, excusationé meruisset: longe autem aliud est *redemptio animæ*.

Non me præterit tamen, id quod Annales Francici referunt, de Ludovico nostro Germanico ad annum DCCCLXXIV verba facientes. *Diebus*, inquiunt Annales, *Quadragesimæ cum negotiis secularium rerum depositis orationi vacaret, vidit quadam nocte in somnis genitorem suum Hludouuicum Imperatorem in angustiis constitutum, qui eum hoc modo Latino affatus est sermone: Adjuro te per Dominum nostrum Jesum Christum, & per trium majestatem, ut me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, ut tandem aliquando vitam possim habere æternam. Hac ergo visione perterritus epistolas per cuncta Regni sui monasteria destinavit, obnixe postulans, ut animæ in tormentis positæ suis apud Dominum precibus interverirent. Vnde datur intelligi, quod quamvis memoratus Imperator multa laudabilia & Deo placita fecisset, plurima tamen legi Dei contraria in regno suo fieri permisit. Si enim (ut cætera omittam) hæresi Nicolaitarum firmiter & viriliter restitisset, & monita Gabrielis Archangeli, quæ Einhardus Abbas duodecim capitulis comprehensa obtulit legenda & facienda, observare curasset, forsitan talia non paterentur. Sed quia (ut scriptum est) Deus nullum peccatum dimittit impunitum, & juxta Apostolum, Non solum qui id faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte; meritò pœnas luere visus est, qui dum potuit, sibi commissorum errata vel admonitus corrigere noluit.* Hactenus Annales. Eorum fidem se-

cutus Sigebertus Gemblacensis ita loquitur. *Ludovico regi Germanorum apparuit in somnis genitor suus, olim Imperator, adjurans eum per nomen sanctæ Trinitatis, ut eum eriperet à tormentis quibus detinebatur, ut æternam requiem habere mereretur. Ob hoc ad diversa monasteria eleemosynis destinatis obnixe filius succurrebat patri. Vnde datur intelligi, quod licet idem Imperator multa Deo & hominibus placita fecisset, plura tamen contraria in regno suo fieri consensit, in quibus graviora videbantur urgere duodecim capitulis comprehensa, quæ Emarchus ei legenda & observanda obtulit, at servare non studuit.* Hæc etiam Sigebertus. A quo persuasus Wigulejus Hund. *Parte prima Metropol. Salisburgensis pag. 190.* agens de Embricho Ratisbonensi Episcopo scribit in hæc verba. *Sub id tempus contigit, secundum Sigebertum Gemblacen. Chronographum sub Anno 874, manes Ludovici Imperatoris errare. Vnde Ludovico Regi Boiorum parens olim Ludovicus Augustus in somnis apparens, eum obtestatus est, ut se per nomen S. Trinitatis eriperet è tormentis, quibus detineretur. Ludovicus igitur in parentem pius, ad diversa Monasteria datis Eleemosynis Patri fideliter succurrebat. In his & Monasterio S. Emmerani plurima addidisse credibile est. Quâ occasione Monachi ab illo confirmationem exemptionis, Monasterio à Parente olim factæ, impetrarunt, confirmato censu septem aureorum Nicolao Pontifici Maximo persolvendo singulis annis.* Hæc illi. Est porro perquam simile vero, fabricatori Diplomatis non ignoratam fuisse famam illam, & proinde eo securiùs Adalberti illud postulatum confinxisse.

Primo autem observandum, reapse omnem hanc narrationem niti fide unius Annalium scriptoris. Verba enim ipsa illius Sigebertus expressit, & Sigeberti Hundius. Quotquot sane supersunt ex Ludovici ævo scriptores, apud eos altum est hac de re silentium. Nec tamen negaverim, tale aliquid jam tum in vulgus fuisse sparsum, creditumque monachis Fuldensibus præcipuè, ut rebus ipsorum perutile. Auctor enim

enim Annalium videtur illo ipso tempore Fuldæ vixisse: & Ludovicus Rex, ceu testantur iidem Annales, *in hebdomada Paschali Fuldense monasterium petiit causa orationis, & inde reversus generalem conventum habuit in Triburia.* Somniasse igitur tale aliquid Ludovicum Regem, non equidem præfractè negaverim.

In universum autem *Secundo* de animarum defunctarum apparitionibus recte judicat quamvis Jesuita etiam Joannes Maldonatus ad Lucæ cap. xvi. 26. versic. *Plærumq;*, inquiens, *dæmonem esse arbitror qui se animam esse mentitur.* Et merito igitur cum S. Augustino nos dicimus: *Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum.* Sed & somniavit Ludovicus Rex: vigilanti nihil tale est visum. Utque vidisset; cum usque adeo pietate eluxerit parens ipsius ut communi consensu Pii cognomentum impetraverit, uniceque in id laboraverit, ut clerum & monachos in gyrum sanctæ vivendi regulæ reduceret, omnibus integerrimo etiam exemplo ad sui imitationem provocatis; oportuisset utiq; veritati adversans inane somnium à filio contemni. Monachus sanè Fuldensis & qui hunc non dubitaverunt sequi, fœde atrociterque calumniantur, optimum Imperatorem Nicolaitarum hæresi infamantes. Quæ accusatio indubie innititur illi calumniæ ab ingratis & rebellibus cum filiis tum nonnullis Episcopis effusæ, de tolerantia fornicationum Judithæ Reginæ. Quam porrò delirum est monasticum illud commentum, de Archangeli Gabrielis duodecim monitis! Qui sane vitam piissimi Imperatoris illius accurate descripsit Anonymus, hujus nihil habet. Nec potest non cuivis intelligentiori vanitas fabulæ absq; ullo monitore esse liquida. Quid de illo igitur boni Ludovici Regis somnio sentiendum ex vero quidem sit, non ampliùs est obscurum.

Quod si tamen Regi isti tale quid fuisset persuasum de infelicitate animæ sui defuncti patris, idque Adalbertus

accepiſſet, potuiſſet, fateor, ſine rubore quamvis magnus miniſter aulicus filium petere munus aliquod, ſuo etiam monaſterio in *redemptionem animæ paternæ* conferendum. Nec imprudenter fabricator Diplomatis Adalbertum feciſſet iſtud *poſtulare*. Imo (ut Diploma loquitur) haberi potuiſſet illa *petito divinitus* Adalberto *inſtincta*. Sed (quod *Tertio* eſt obſervandum) ipſum quoque hoc ſomnium convincit Diploma falſi. Illud ſcilicet anno ſeptuageſimo quarto demum contigit, diploma autem creditur ſcriptum anno jam tum ſexageſimo ſexto. Non potuit igitur Adalbertus jam octavo ante anno de tormentis animæ Ludovici Imperatoris eſſe certus, inque ejus *redemptionem* ſollicitare Regiam munificentiam. Manet igitur, poſtulatum illud Adalberti, merum eſſe & ab omni veriſimilitudine remotum fraudulenti impoſtoris commentum.

II. Ad ALTERVM nunc progredimur. Quod hiſce verbis in Diplomatis calce expreſſum legitur. *Hæc autem ſuperiùs comprehenſa, pro emolumento animæ noſtræ ad idem monaſterium contulimus: quatenus Abbatiſſa ejusq; conſorores nec non canonici Sanctiſſimæ virginis Mariæ ibi famulantes ſtipendium neceſſarium habeant, & pro nobis alacriùs Dei miſericordiam exorare procurent.* At vero hæc ſane nec moribus illius ævi, nec ſueto Cancellariæ ſtilo conveniunt. Paulò ante nempe audivimus, auſum Adalbertum Cœnobio à ſeſe condito ab Imperatore munera *poſtulare* in redemptionem animæ non ejus duntaxat ſed etiam *parentum*. Illud poſtulatum *divino* cuidam *inſtinctui* legitur adſcriptum eſſe: in toto tamen diplomate nihil conſtituit Imperator pro animabus *Parentum*, ſed duntaxat preces voluit fundi *pro SVAE animæ emolumento*.

Ἀσύστατα hæc ſunt & aliena à Curiæ conſuetudine. Quæ poſtulata enim probantur, illa ſolent præcepto confirmari: multò magis ſi obſervatio illorum pietatem, neglectus impie-

pietatem arguat. Pium scilicet est, *parentum animas redimere*, si opus sit: impium contra, illas pati tormentis cruciari, si possis liberare. In hoc Diplomate autem, laudat quidem Imperator sollicitudinem pro *animabus parentum* suorum *redimendis* & quidem inusitata laude, quasi nempe à divino sit profecta instinctu: ipse autem denique curam illam habet insuper, sibi uni consulens. Hoc igitur neutiquam scriptum esse & probatum in Cancellaria Imperatoria palam est.

Mos præterea illius ævi perpetuus fuit, non solius Regis aut Imperatoris salutem precibus publicis Deo commendare, sed etiam Reginæ & Regiæ Prolis, si viverent, imo & Regni. Soliti quoque sunt Reges ipsi tales preces Clero suo & Cœnobialibus præcipere, & in Diplomatibus commendare; non autem, uti pro sese solo Divina misericordia flagitaretur, constituere. Non quidem in Diplomatibus semper fit mentio precum fundendarum: quod crederetur scilicet, illos qui sacris beneficiis affecti erant, suapte sponte facturos meritæ hoc gratitudinis officium suum. Quandocunque autem preces jubentur, non temere Reginæ & Regiæ prolis ut & Regni negligitur memoria.

Pro exemplo sint nonnulla eorum quæ *capite quarto* produximus Ludovici Germanici Diplomatum. Primum *pag. 28* ita sese habet: *Quicquid verò fiscus exinde sperare potuerit, totum Nos pro æterna remuneratione prædictæ Ecclesiæ ad stipendia pauperum & luminaria concinnanda concedimus, quatenus melius delectet in eadem sede degentes, pro Nobis, Conjuge, proleq; nostra, Domini misericordiam exorare.* In secundo *pag. 32.* hæc habentur: *Liceat Abbatissæ suisq; successoribus &c. pro nostro fideliter exorare Imperio, & incolumitate Nostra & Conjugis atq; Prolis.* Inter Altahensis monasterii Diplomata *pag. 42.* quintum hæc habet: *Per præfati venerabilis Episcopi petitionem & amorem assensum præbemus,*

bemus, ut eos meliùs delectet, pro Nobis, Conjuge, *proleq; noſtra, & pro ſtatu totius regni noſtri, Domini miſericordiam attentiùs exorare.* In Tigurino Privilegio *pag. 56* hæc legas: *Comperiat omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorumq;, præſentium ſcilicet & futurorum, induſtria, qualiter nos pro Sereniſſimi Imperatoris avi noſtri Caroli, & præſtantiſſimi Hludovici Auguſti Domini & genitoris noſtri, nec & noſtra ſempiterna remuneratione, ac pro conjugis proliſq; noſtræ chariſſima perpetua mercede, curtim noſtram Turegum &c. Item: pro noſtra debitorumq;* (hac voce Conjux & proles Regia ſignificatur) *noſtrorum omnium mercedis augmento, diligentiùs ac uberiùs Domini miſericordia exoretur.* Vltrajectinum pag. 62. ſic ſeſe habet: *Liceat memorato Præſidi ſuisq; ſucceſſoribus &c. pro incolumitate* Noſtra, Conjugis, & Prolis, *ſeu etiam totius* Regni *à Deo nobis collati, & ejus clementiſſima miſeratione per immenſum conſervandi, una cum clero & populo ſibi ſubjecto Domini immenſam clementiam exorare.* In reliquis Ludovici Germanici diplomatibus precum diſerta non facta eſt mentio.

Non aliter loquuntur & Ludovici Pii Diplomata capite tertio. Hinc Paderbornenſe *pag. 14* inquit: *Quicquid fiſcus exinde ſperare potuerit totum, nos pro æterna remuneratione, prædictæ Eccleſiæ, ad ſtipendia pauperum & luminaria concinnanda, concedimus, qualiter meliùs dilectos clericos in eadem ſede degentes, pro* Nobis, Conjuge & Prole noſtra, *domini miſericordiam exorare.* Item *pag. 24.* Vltrajectinum: *Quatenus ipſos ſervos Dei, qui ibidem conſiſtunt eum eorum Pontifice, & illos quos à gentili ritu ad Chriſti veram converterunt fidem, pro nobis, conjuge, proleq; noſtra, & omni populo Chriſtiano, jugiter miſericordiam Dei exorare delectet.* Porro & *pag. 21* aliud Vltrajectinum hæc habet.

Quate-

Quatenus ipsos servos Dei, qui ibidem Deo famulantur pro nobis & Conjuge proleq; nostra, atq; stabilitate totius imperii à Deo nobis concessi atq; conservandi, jugiter Domini misericordiam exorare delectet.

Alia præter istis duobus Capitibus jam adducta Diplomata in testimonium citare, nihil attinet. Passim nimirum similia exillo ævo hodieque superant tantùm non infinita numero. Ut facilè appareat unicuivis, hoc ita fuisse tunc recepti moris, imò in ipsiusmet Ludovici Germanici nostri Cancellaria fuisse accurate aliâs observatum. Quo tempore autem conditum est Diploma, præter filias fuisse Ludovico tres filios, imò hos patri defuncto fuisse superstites, Carolomannum nempe Ludovicum & Carolum Crassum, notissimum est. Constat etiam ex Francorum Annalibus Fuldensibus, Hemmam conjugem Ludovici obiisse demum anno 876. Et Conjugis igitur & Prolis Regiæ pariter debuit vi Diplomatis salus orari, non unius Ludovici. In *Monumentis* enim *Paderbornensibus* primæ editionis *pag. 208.* Caroli Crassi Diploma quidem ita legitur. *Quicquid verò fiscus exinde sperare potuerit, prædictæ Ecclesiæ ad stipendia pauperum & luminaria concedimus, & ipse Episcopus cum omnibus rebus suis nostro fideliter pareat Imperio, & sub nostra consistat defensione; quatenus ipsum fratres q; ejusdem loci pro nobis, dominum melius jugiterq; exorare delectet.* Ita quidem, ajo, ibi legitur; nulla conjugis nulla prolis facta mentione. Verùm huic Crasso conjux fuit, sed suspecta de adulterio atque adeo & marito invisa ac deniq; ab ejus thoro separata: proles autem fuit nulla. Non igitur ad Ludovici Germanici nostri res hoc Crassi exemplum potest trahi.

In universum igitur non est quod dubitemus, isthac tempestate Carolovingicâ, preces publicas solere mandari in Diplo-

Diplomatibus non pro unius Regis aut Imperatoris, sed Conjugis quoque ac Prolis Regiæ salute. Quoniam igitur in hoc Diplomate Lindavienſi idem non est obſervatum, conſequens est, non esse illud ex isthoc ævo, nec à ſcribis Regiis confectum sed à rerum veterum imperito impostore longo demum pòst tempore ſuppositum esse.

Cæterum uti etiam illud quod ante diximus, in publicis precibus Cœnobiorum non unius Regis vel Imperatoris habitam esse rationem, liquidò omnibus appareat, adferemus hîc in medium ex isthoc ipso ævo duas formulas Litaniæ quæ vocatur, alteram in S. Galli, alteram in Corbejenſis noſtri Saxonici Cœnobii uſum conſcriptam. Imo integras illas hîc dabimus: quoniam meretur vel sola vetuſtas utriusq; accuratam lectionem, etſi omnia ejus haud equidem probem, aut probari queant. Primam verò Litaniam debemus feliciſſimæ induſtriæ Goldaſti, qui princeps illam publicavit inter Alemannica monumenta Tomi ſecundi Parte primâ *pag. 136.* Alteram Chronico Corbejenſi vernacula ſcripto lingua inſeruit Joannes Letznerus *cap. 12*, &, nonnihilo tamen variantem, Martinus Chemnitius parti tertiæ Examinis Concilii Tridentini, nec non hunc ſecutus Henricus Meibomius ſub finem Notarum ad Chronicon vetus Corbejenſe quod Witichindo est additum.

Primo autem loco legatur Litania Alemannica cum etiam tempore prior ſit, & pertineat ad res Ludovici Germanici, ac proinde jam tum â nobis adducta in teſtimonium *pag. 91.* In hunc vero ſese illa habet modum.

FINITA oratione, post Gloria in excelſis Deo, dicit ſacerdos: Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat, tribus vicibus, ſimiliter & clerus.

Exaudi

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [312] - 288

Exaudi Christe. RP. *NICOLAO summo Pontifici & universali Papæ vita.*

Salvator Mundi. RP. *Tu illum adiuua.*
Scẽ Petre RP. *Tu illum adiuua*
Scẽ Paule RP. *Tu illum adiuua*
Scẽ Andrea RP. *Tu illum adiuua*
Scẽ Clemens RP. *Tu illum adiuua*
Scẽ Xixte RP. *Tu illum adiuua*
Scẽ Cyriace RP. *Tu illum adiuua*

Exaudi Christe RP. *HLVDOVVICO à Deo coronato magno & pacifico Regi vita & victoria.*

Redemptor mundi RP. *Tu illum adiuua*
Scẽ Michael RP. *Tu illum adiuua*
Scẽ Gabriel RP. *Tu illum adiuua*
Scẽ Raphael RP. *Tu illum adiuua*
Scẽ Iohannes RP. *Tu illum adiuua*
Scẽ Stephane RP. *Tu illum adiuua*
Scẽ Theodule RP. *Tu illum adiuua*

Exaudi Christe RP. *HEMMAE Reginæ nostræ vita.*

Scã Felicitas RP. *Tu illam adiuua*
Scã Perpetua RP. *Tu illam adiuua*
Scã Petronella RP. *Tu illam adiuua*
Scã Lucia RP. *Tu illam adiuua*
Scã Agnes RP. *Tu illam adiuua*
Scã Cæcilia RP. *Tu illam adiuua*

Exaudi Christe RP. *Nobilissimæ* PROLI *Regali vi-*
S. Silvester RP. *Tu illam adiuua* (*ta.*
S. Laurenti RP. *Tu illam adiuua*
S. Nazari RP. *Tu illam adiuua*
S. Pancrati RP. *Tu illam adiuua*
Scã Anastasia RP. *Tu illam adiuua*
Scã Genouefa RP. *Tu illam adiuua*
Scã Columba RP. *Tu illam adiuua*
Exaudi Christe RP. *Omnibus* IVDICIBVS *vel cuncto* EXERCITVI *Francorum & Alamannorum vita & victoria.*
S. Hylari RP. *Tu illos adiuua*
S. Martine RP. *Tu illos adiuua*
S. Maurici RP. *Tu illos adiuua*
S. Dionysi RP. *Tu illos adiuua*
S. Albane RP. *Tu illos adiuua*
S. Crispine RP. *Tu illos adiuua*
S. Crispiniane RP. *Tu illos adiuua*
S. Gereon RP. *Tu illos adiuua*
Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
Rex Regum Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
Rex noster *Christus vincit.*
Spes nostra *Christus vincit.*
Gloria nostra *Christus vincit.*
Misericordia nostra *Christus vincit.*

Auxilium

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [314] - 290

Auxilium noſtrum *Chriſtus vincit.*
Fortitudo noſtra *Chriſtus vincit.*
Liberatio & redemptio noſtra *Chriſtus vincit.*
Victoria noſtra *Chriſtus vincit.*
Arma noſtra invictiſſima *Chriſtus vincit.*
Murus noſter inexpugnabilis *Chriſtus vincit.*
Defenſio & exaltatio noſtra *Chriſtus vincit.*
Lux, via, & vita noſtra *Chriſtus vincit.*

Ipſi ſoli gloria & poteſtas per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen.

Ipſi ſoli honor laus & jubilatio per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Ipſi ſoli virtus fortitudo & victoria per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Chriſte, audi nos, ter: Kyrie eleiſon, ter: Feliciter, ter: Tempora bona habeas, ter: Multos annos, ter.

Poſt Miſſam dicat Pontifex.

Conſervet Dominus Eccleſiam ſuam ſanctam. Amen.
Fidem noſtram inlæſam cuſtodiat Dominus. Amen.
Remiſſionem peccatorum omnium & vitam æternam largiat Dominus. Amen.
Memor ſit Dominus Domini noſtri HLVDOVVICI, *& omnes fideles Dei eccleſiæ foveat, protegat, & benedicat. Amen.*
Nos protegat atq; defendat ab omnibus malis, & perducat nos in regnum gloriæ ſuæ. Amen.
Conſervet Deus omnes fratres noſtros. Amen.

Protegat, ſalvet & cuſtodiat nos Dominus. Amen.
Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

Hunc diem	R.	Multos annos.
Domnum HLVDOVICVM Regem	R.	Deus conſervet.
Salvator mundi	R.	Tu illum adiuua.
Scẽ Petre	R.	Tu illum adiuua.
Scẽ Paule	R.	Tu illum adiuua.
Scẽ Andrea	R.	Tu illum adiuua.
Scẽ Gereon	R.	Tu illum adiuua.

Feliciter, Feliciter, Feliciter, Tempora bona habeat, Tempora bona habeat, Tempora bona habeat, Multos annos. Amen.

ORATIO

TV ſumme retributor atque miſerator omnium Deus eorum regna cuſtodi, quos tibi placitâ caſtitate junxiſti, gentes rebelles opprime, populos eorum in tua pace diſpone, iſti tuæ pareant juſſioni, & tu eorum eſto cuſtos imperii.

Dona eis profutura conſilia, quibus prædicandam ſapientiam contuliſti: de tua non de mundi poteſtate ſint. Reges habentes diademata divina cogitent ubique mandata. Te timeant, ut mortalia non paveſcant: in tua fortitudine quàm in ſua poteſtate confidant. Iſtos peculiariter præſta te quærere, & te ſpecialiter eis velle præſtare. Perpendite venerabiles Domini quo amore regnetis. Non auderemus iſta publice Divinitati dicere, niſi quia & ſecretiùs eadem nos cogneſcit optare.

Scã

Scã Divinitas usque in extremos fines imperium tende Romanum: termini ejus Oceano lambiente cingant[ur]. Sancti Principes nostri mundo sic imperent, ut eis mundus [illu]stra-re non valeat. Te timeant, ut nihil metuant: ad diadema tuum veniant ex hac corona mundana. Concede illis nuptialem stolam qui feciſti in eis humilem purpuram. Dona illis regnum, ubi nec vita concluditur, nec lætitia terminatur. Amen.

Hactenus S. Gallenſis Alemannica: ſequatur nunc & Corbejenſis Saxonica Litania. Ex eodem quidem nono ſeculo Chriſtiano, paulò tamen junior, Arnolpho ſcilicet nepote Ludovici Germanici regnante. In qua nullas preces fundi pro uxore & prole Regia non eſt quod mireris, quoniam tunc temporis Arnolpho legitimi thori conjux & proles nulla fuit: quales ſolas in publicis precibus memorare Eccleſiæ perpetua fuit conſuetudo. Ita autem ſonat iſthæc Litania.

Kirie.
Chriſte. *Eleiſon.*
Kirie.
Chriſte. *Exaudi nos.*
Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat.

STEPHANO ſummo Pontifici ſalus & vita, } *Chriſte exaudi nos. Salvator mundi tu illum adiuva.*

S. Petre,
S. Paule,
S. Andrea, } *Chriſte exaudi nos.*

S. Clemens, S. Sixte, } Chriſte exaudi nos.

ARNOLPHO Regi vita & victoria. } Redemptor mundi tu illum adiuva.

Sancta Dei Trinitas, Sancta Dei genetrix, S. Michaël, S. Gabriel, S. Raphael, S. Iohannes, } Chriſte exaudi nos.

Omnibus IVDICIBVS & cuncto EXERCITVI Francorum vita & victoria. Salvator mundi tu illos adiuva.

S. Mauriti, S. Sebaſtiane, S. Marce, S. Ambroſi, S. Hieronyme, } Chriſte exaudi nos.

BAVONI Abbati, & Congregationi S. Stephani, ſalus & vita. } Regnator mundi tu illos adiuva.

S. Stephane, S. Vite, S. Dionyſi, S. Blaſi, S. Georgi, Chriſtus regnat, Chriſtus vincit, Chriſtus imperat. } Chriſte exaudi nos.

Rex

Rex Regum,
Rex noſter,
Arma noſtra invictiſſima,
Spes noſtra,
Fortitudo noſtra
Murus noſter inexpugnabilis
Gloria noſtra. } Chriſtus vincit.

Victoria noſtra
Liberatio & Redemptio noſtra
Defenſio & exaltatio noſtra } Chriſte exaudi nos.

Miſericordia noſtra,
Lux via vita & Veritas noſtra, } Chriſtus vincit.

Ipſi ſoli imperium gloria & poteſtas per immortalia ſecula ſeculorum. Amen.

Ipſi ſoli honor laus & jubilatio per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

Ipſi ſoli virtus fortitudo & victoria per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Chriſte Exaudi nos.
Kyrie Eleiſon.
Chriſte Eleiſon.
Kyrie Eleiſon.

CAPVT

CAPUT XVI.

Aliorum trium falsi criminum, circa Monetam Ducem & Advocatum commissorum, Diploma convincitur.

PRæmissis duobus tria adhuc falsi crimina nunc adjungemus: minoris itidem quidem momenti si compares cum iis in quæ Censuræ initio animadvertimus, crimina tamen & Diploma falsi convincere idonea.

I. Horum primum observare est circa MONETAM. Ita enim loquitur Diploma, quasi jam illa ætate ab Adalberto Comite & Cœnobio Moneta fuerit cusa: & tamen idem Diploma prodit id commentitium esse. Quale commentum cum ab ipsamet Cancellaria Regia non fuerit profectum, consequens est, nequissimo impostori acceptum ferendum esse.

Verba nimirum Diplomatis ita sese habent. *Decernimus atq; omnino jubemus, quatenus prænominatus sacer locus habeat, possideat; quicquid ex libera hæreditate prafati fidelis nostri fiscus noster sperare debeat, in tributis, in Monetis, in teloneis, navigationibus* &c. Hæc utique significant, tum temporis Fiscum Regium, ut ex tributis teloneis & navigationibus, ita etiam *ex Monetis*, emolumentum accipere solitum, & hæreditaria Adalberti bona ex *Moneta* quoque Fisco quod suum est hactenus solvisse. Quod si sane nulla fuisset ibi Moneta, eximere illam Fisci juribus fuisset ineptum. Non entis enim nulla sunt accidentia. Erat verò recepti quondam moris, quamvis Cæsares aut Reges Francici potestatem cudendæ monetæ cui fecissent, exigere tamen pro exercitio illius juris in usum Fisci canonem alibi magnum satis alibi leviorem; donec tandem Cæsares illi Regesque nostri etiam hunc

Fisci

fiſci proventum unà cum aliis imprudente prodigalitate paulatim perdiderunt. Facile fuerit, ex priſcis Imperii monumentis hoc plurimis exemplis, per multa retro tempora, ſi opus ſit, demonſtrare. Nunc hoc agere, nihil attinet.

Jam verò in hæreditariis Adalberti locis, fortaſſe commercia & navigationes inſtitui ſolere, aut homines degiſſe, nemo negaverit, atque ita ex locis illis Fiſcum tributa vectigalia ac telonea accepiſſe. Sed illis in locis *Monetam* fuiſſe in Adalberti poſſeſſione, repugnat legibus & moribus, non illius duntaxat ſed etiam ſequentis ævi, per omnes Francici imperii fines, in Germania Gallia & Italia. Diſertè tamen Diploma inter ea *quæ in libera fuerunt hæreditate* Adalberti numerat *MONETAM*. Imo *Monetas*: quaſi non una fuerit in uſu. Idem verò eſſe *liberam hæreditatem* & quod ante appellaverat *allodium*, equidem haud dubito, Hyperaſpiſtæ *pag. 57* ita interpretanti adſentiri. Monetæ utique juris ſunt Regii: & conſtitutæ olim nonniſi in locis Regiis, nequaquam autem in allodialibus hominum privatorum, qualis fuit Adalbertus. Adhoc in agro fuiſſe ullam Monetariam officinam, nuſquam legas: omnia tamen Adalberti bona extra oppida fuerunt & in ſolis agris. Inſulſum itaque eſt impoſtoris illud figmentum, de *Monetis* in Adalberti *libera hæreditate* ſive allodio conſtitutis.

Quid? quod Carolovingicâ tempeſtate, ulli Comitum fuiſſe conceſſam nummos cudendi poteſtatem, haud obſervare ſit. Sub Merovingis curatio illa fuit paſſim Comitum locorum celebriorum, officinæ autem monetariæ itidem non niſi in populoſioribus quibuſdam fuerunt oppidis, eoque in nummis Comitum cujuſque loci ſolet fieri mentio. At Carolovingici ævi alia longè fuit ratio, etſi Comitibus fuerit mandatum, videre ne quid contra leges monetarias delinquatur. Ipſe ſanè Carolus Magnus vetuit alibi monetam

esse quàm in suo Palatio. Qua de re præter Capitulum XII. l. 2. Sirmondus in Notis eruditissimis ad Capitula Caroli Calvi p. 71 aliud non editum producit: *Vt in nullo loco moneta percutiatur nisi ad curtem: & illi denarii Palatini mercentur & per omnia discurrant.* Hujus nepos Carolus Calvus in Edicto Pistensi à Sirmondo cum aliis Capitulis edito, *capitulo XI* ita constituit: *Vt in denariis novæ nostræ monetæ ex una parte nomen nostrum habeatur in gyro, & in medio nostri nominis monogramma, ex altera verò parte nomen civitatis & in medio crux habeatur.* Capitulo XII. *Sequentes consuetudinem prædecessorum nostrorum, sicut in illorum Capitulis invenitur, constituimus, ut in nullo loco alio in omni regno nostro moneta fiat, nisi in Palatio nostro; & in Quantovico & Rotomago, quæ moneta ad Quantovicum ex antiqua consuetudine pertinet: & in Remis: & in Senonis: & in Parisio: & in Aurelianis: & in Cevellono: & in Narbona.* In horum illustrationem produxit Sirmondus & Palatinum & Parisiensem denarium Calvi Caroli in *Notis pag. 71.* Non supereſt, quod equidem sciam, Ludovici Germanici nostri de Monetâ constitutio: itidem tamen etiam in Orientali Francorum regno tum temporis, in Palatio & solis majoribus urbibus fuisse constitutas monetarias, argumento est, quoniam qui denarii reliqui sunt non alibi cusi sunt, nec in monumentis illius ævi genuinis vel apicem reperias diversi moris. In manu mihimet ipsi sunt nummi id docere idonei.

Carolum quidem Crassum Abbatissæ Turegiensi sorori suæ argenti signandi facultatem concessisse, testatur Stumphius *l. 6. cap. 14.* Verùm nos jam agimus de temporibus Ludovici Germanici: qui cum variis beneficiis ornaverit sine Monetis Tigurinum monasterium suum, duabus filiabus, una post aliam constitutis Abbatissis, quis crediderit, Monetam permisisse longè tum viliori monasterio Adalbertino hærenti circa Nonnenhorniam? Meretur Stumphius ipse audiri

audiri hoc loco, præsertim quoniam qui pòst secuti sunt (quos inter est incomparabilis Hottingerus) solent unius illius testimonio niti. Verba ejus sunt. Hie achtend etlich/ daß dieser Carolus der feist in Zeiten seines Keiserthumbs der Stadt Zürych habe geben die Freyheit zu müntzen/ welche Freyheit man vor Zyten pflägt allein den allernamhafftesten und verrumptesten Stätten zegeben. Söliche Freyheit zemüntzen hat er auch der Apptißin geben/ doch allein den Pfenningstempffel. Hæc Stumphius. Hyperaspista non dubitavit *pag. 20* sugillare Stumphij fidem: à Ludovico enim Germanico jus illud cudendorum nummorum simul cum aliis esse concessum. Sed inanis est conjectura, cum in Privilegio Ludovici nihil ejus habeatur, Privilegia autem in universum stricti sint juris.

Imò verò Lindaugiensi Cœnobio â quoquam Cæsarum aut Regum Monetæ jus concessum, non profectò licet tutò credere: nec enim Diploma hoc Adalbertinum ullius est momenti, & de Moneta Adalberti allodiali planè ineptit. Fortassis tamen Cœnobiales aliquando id juris sibi sumpserunt, sui istius Adalbertini Diplomatis perquam amplâ & benignâ fretæ interpretatione. *Fortassis* inquam. Nec verò quæ adfert Hyperaspista *pag. 34.* libri sui, exercitium illud securè probant. Quatuor scilicet producit species nummorum. Sed neque prima neque tertia species vel leviſſimo indicio significat, sese Cœnobio Lindaviensi deberi. Prima scilicet referens uno latere crucem, averso agnum vexillifesrum, videtur esse obulus aut denariolus Cœnobij S. Galli, vel oppidi cognominis. Diserte enim Joachimus Vadianus *l. 1. de Collegiis pag. 29.* noviſſimæ editionis. *Monasterii S. Galli nummi agnum vexilliferum h. e. Paschalem præferebant. Quam monetam majores nostri postea propè pari effigie signarunt: quod abunde docent ferramenta excusoria, quæ in archivo Senatus etiamnum cum aliis formis antiquis visuntur. Sed agno postea successit ursus,*

ursus, sævum quidem & signis dignum animal, à monachis tamen receptum & adamatum, quia creditum sit, Gallo eremum ingresso ursum quendam ligna attulisse, quæ foco illius sufficerent. In primâ sane illâ nummorum specie nihil omnino Lindavienſe reperias. Tertium nummum Urbi Lindaviæ deberi indicat Tiliæ signum. Cœnobiale etiam ibi nihil comparet. Etenim Hyperaspista quidem videtur huc traxisse in aversa crucis signum: sed jam tum audivimus, signum illud in Galliis quoque addi solitum Regiis nummis in Urbibus cusis: & sunt in meo qualicunq; cimeliarchio tales Ludovici noſtri Moguntiæ confecti. De Secundo & Quarto nummo possit videri verisimilius, quod Cœnobio debeantur. Esse sanè ab Abbatissis cusos, indicat earum expressus vultus. Aſt Lindavienſes Abbatissas exprimi, nihil est quod indicet. Imò quoniam altera lilium altera clavem dexterâ portet, dixeris aliunde esse utramque. Utraque nimirum ejus quidem est generis quod Tigurini olim dixerunt Angſter/ contractè nimirum ab Angeſichter/ quod vultum aliquem humanum referrent: prout recte vocem illam etiam Hottingerus interpretatus est in *Speculo Tigurino pag. 24.* Nec enim probari possunt, quæ habet *l. c.* Vadianus: quasi nomen illud à voce Latina *Auguſtus* profluxerit, quoniam illa appellatio etiam post Imperatoriam per Carolum Magnum impetratam dignitatem in raro fuit usu, & non nisi de solis dignitate Imperatoria reapse gaudentibus. Eoque caret etiam omni verosimilitudine Vadiani conjectura de interpretatione literarum in nummo aliquo B. A. pro *Bertha Auguſta*: præsertim quoniam mater Caroli Magni Bertha, antequam Cæsaria dignitate fuerit ornatus Carolus Magnus, dudum mortua, nec Caroli ætate nisi in solo Palatio monetalis fuerit officina. Quæ in aversa nummi utriusque parte conspicitur manus, ne possit liquidò probare Lindavienſe opus, ipsemet Hyperaspista efficit, Der Hand/

ait,

ait, ist ein Zeichen der Freyung/ weiln deren Verbrecher oder Violatores mit Abhauwung der Hand pflegen gestraffet zu werden. Talis enim libertas qualis Cœnobio Lindaugiensi competit, est communis non plurimis duntaxat Cœnobiis, sed etiam Principum omnium aulis & Urbium quibusdam locis. Nihil vetat igitur, quin tales nummi ab alijs Abbatissis fuerint procusi, ejusdem scilicet imò longe majoris libertatis: quantumvis amputatæ manus signum Cœnobii Lindaviensis rebus nonnullis familiare fuerit. Mirum verò, si ea quam attulit Hyperaspista fuerit caussa, amputatæ manus signo nummos insigniendi. Verosimiliùs sane videtur, ortum illud ex pœnâ amputandæ manus falsariis monetarum jam ætate Caroli Magni dicta & pòst repetita. Quâ de re & in Capitularibus Magni Caroli & in Edicto Pistensi Calvi alibique multa legere est. Eadem verò pœna jam tum pridem obtinuerat in Imperio Constantinopolitano: quod ex Basilicis, Harmenopulo, Michaele Attaliota facillimum probatu est. Imò obtinuit dudum pòst etiam in Sarracenorum republicâ. Quæ omnia alibi latiùs prosequimur. Cum autem etiam hæc pœna fuerit communis in omni Francorum regno, nihil est caussæ, cur hîc suo duntaxat Cœnobio eam potuerit Hyperaspista vindicare. Utut verò horum nummorum aliquid debeatur Lindaugiensi Cœnobio, non tamen hinc colligere est, ex singulari Regio aut Cæsario privilegio jus hoc Cœnobium esse consequutum: multò minus, meritò illud impetratum vi illius Ludoviciani Diplomatis quod unicè jactitant.

Verùm satis de primo falsi crimine: progredimur ad SECVNDVM. Est autem illud commissum in eo, quod Diploma inter judices quoque *DVCEM* recensuerit. Ita enim loquitur: *Statuimus quoque per ejusdem auctoritatis munitionem, ut nullus publicus Index, neque DVX, neque Comes, aut quislibet ex Iudiciaria potestate &c.* Hoc DVCIS nomen contra morem II.

illius

illius ætatis & ſtilum Cancellariæ Imperatoriæ additum, ac proinde argumento eſt, Diploma falsò ævum Ludovici Germanici mentiri. Duo ſcilicet olim extitere Ducum genera. Alii non niſi exercitui fuerunt profecti, belli tantùm tempore, omni carentes juriſdictione civili in pace. Alij autem bello paceque rexerunt integras magnas regiones, multoque imperio Comitibus etiam ſuarum regionum præfuerunt. De illis non agitur in Diplomate: quoniam judicibus publicis non fuerunt annumerati, aut judicijs admoti, non illis ſanè in quibus de rebus Cœnobij inſtitui controverſia poterat. Hujus igitur ſecundi ordinis DVX quidam in Diplomate ſignificatur. Haud nego quidem, interdum & Comitum aliquem exercitui præfectum eſſe, & hactenus audiiſſe Ducem, verùm illa dignitas reapſe nonniſi militaris fuit & pace conſtitutâ exſpiravit. Qua ratione Adalbertum Metenſem Comitem in expeditione Lotharij Imperatoris anno DCCCXLI à Nithardo dictum Moſellanorum Ducem, jam ſupra obſervavimus. Manifeſtò autem falſi crimen hac quoque in re à Diplomatis fabricatore eſſe commiſſum, duo indicant. *Primum*, quia tum temporis nullus fuit conſtitutus Alemanniæ (quæ una comprehendit ſinu ſuo inſulam) Dux; *Secundum*, quia ſtilus Curiæ illius ævi inter judices non ſolet *Ducem* numerare. Non me fugit, quàm ſoleant ſcriptores nonnulli recentiores ut in aliis ita & in percenſendis Sueviæ Principum dignitatibus luxuriari. Mihi omninò audiendus videtur unus pro omnibus illi ævo propinquior Eckhardus junior *l. de caſibus S. Galli* quo cum & alij iſtius tempeſtatis conſentiunt. Is igitur *pag. 15. editton. noviſſimæ*, agens de Salomone Abbate S. Galli & rebus quæ Rege Conrado primo contigerunt, ſcribit: *Nondum adhuc illo tempore Suevia in Ducatum erat redacta: ſed fiſco regio peculiariter parebat, ſicut hodie & Franciæ. Procurabant ambas Cameræ, quos ſic vocabantur, nuncii. Franciam ad Alpes tum*

VVerun-

VVernnhere, Sueviam autem Pertolt & Erchonger fratres &c. Pag. autem *18.* ſcribit, de Conrado Rege qui illos Cameræ nuncios fractæ publicæ pacis & majeſtatis reos in cuſtodiam dederat. *Conſilio dehinc habito, primò colloquium publicum Magontiæ, poſtea generale edixit concilium; ubi tribus illis Lege abjuratis & proſcriptis, prædiisq; eorum in fiſcum redactis, majeſtatis reis capita damnata ſunt, cæteris omnibus qui tanto facinori intererant, tanquam reis pro hoſtibus proſequi juſſis. Sueviæ Principum aſſenſu, ſtatuitur Alemannis Dux primus Burkhardus, gentis illius nobiliſſimus & virtutum dote probatiſſimus: cui & prædia damnatorum confiſcata in beneficium ſunt tradita.* Hæc Eckardus. Fuit autem Dux primus ille conſtitutus anno DCCCCXVI, (Contractus refert in ſequentem) qui eſt poſt annum illum, quo impoſtor Diploma voluit conditum, quinquageſimus. Id quod liquidò docet, Diploma confictum eſſe, & quidem non illa Ludovici Regis tempeſtate, ſed longo demum pòſt tempore, quando jam Suevia Duces habuit, qui deſierunt ſeculo demum tertio decimo. Sanè in Diplomate Ludovici noſtri Tigurino *pag. 56* curtis Turegum ſcribitur ſita *in Ducatu Alemannico:* ſed manſit iſthæc appellatio quoniam olim ſub Merovingis Alemannicus Ducatus floruerat, etſi jam pridem prudentia Caroli Magni omnes Ducatus totius regni Francorum fuiſſent variis Comitibus commiſſi, Ducibus exauctoratis ut monarchiæ neutiquam convenientibus.

Cancellariæ ſtilus qualis tum fuerit, poteſt accipi vel ex illis paucis Diplomatibus Ludovici Pii & Ludovici Germanici, quæ capite III & IV jam produximus, ut alia exſpectare haud ſit neceſſum. Primum Ludovici Pii *pag. 13* hæc habet. *Præcipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria poteſtate in Eccleſias, aut loca, vel agros &c.* Gandavenſe ejusdem *pag. 26* ita loquitur: *Per quod præcipimus atq; jubemus,*

jubemus, ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria poteſtate in Eccleſias aut loca vel agros. &c. Ludovici Germanici Paderbornenſe *pag. 28 : Præcipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria poteſtate in Eccleſias aut loca aut agros.* Ejusdem *pag. 31* Argentinenſe: *Per quod præcipimus atque jubemus, ut ſalvo honore ſui ſancti præſulis, nullus judex publicus vel quilibet ex judiciaria poteſtate loca aut agros* &c. Ejusdem Altahenſe ſeptimum *pag. 45* ita ſonat: *Per quod firmiter & omnibus modis imperamus, ut nullus judex publicus vel quislibet ex judiciaria poteſtate, aut ullus ex fidelibus noſtris, tam & præſentibus quam & futuris, neq. Comites neq. Centenarii neq. Exactores, in Eccleſias aut loca vel agros* &c. In Tigurino etſi fuiſſet facta mentio *Ducatus Alemannici*: nihilominus tamen, *Ducis* memoriâ præteritâ, ita demum *pag. 57* ſcribitur. *Deviquejubentes præcipimus, ut nullus judex publicus, nec Comes, nec quisquam ex judiciariâ poteſtate in locis præfatis, vel in cunctis rebus ad eadem loca reſpicientibus* &c. Eodem modo etiam *pag 6* Vltrajectinum hæc habet: *Per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus, neq. quislibet ex judiciariâ poteſtate, aut nullus ex fidelibus noſtris, in Eccleſias aut loca vel agros.* &c. In Altahenſi IX Diplomate memoratur quidem Bribinus Dux *pag. 48 :* in dubie verò fuit is duntaxat dux militiæ: nec enim Bajoaria Ducem alium habere tum potuit, cum omnis ejus jurisdictio eſſet penes ipſummet Regem Ludovicum & poſt Taſſilonem nullus Dux ibi imperaſſet.

Etiam ſecundum igitur falſi crimen omnium oculis eſt
III. expoſitum. Nunc qualem Cœnobii ADVOCATVM impoſtor auſus fuerit falsò fingere, itidem oſtendemus. In nulla verò parte fuit operoſior. Ita enim habet ſeſe Diploma. *Idem autem Advocatus bis in anno, ſemel in æſtate, ſecundo in hyeme placitum habeat, ſed ultra 12 equos nullum adducat,*

ducat, & tunc honestè procuretur. Quicquid placitando adquisierit, duæ inde partes erunt Abbatissæ, tertia Advocati. Nullum domus Dei servientem sine Abbatissæ vel ipsius consensu ad judicium cogat. Nullum de familia sine justa sociorum suorum deliberatione damnet vel coherceat. Nullum subadvocatum vel exactorem sine Abbatissæ permissione sibi constituat. Nihil privati muneris vel servitii à quolibet loco, sive curte sive acella ruris, quasi ex debito & statuto sibi jure, exigat. Mànsiones seu pernoctationes undiq; in locis ejusdem Monasterii frequentare caveat. Quod si ultra statutum nostrum alicubi placitare voluerit, ipse de tertia sui parte ibidem sibi contingente provideat, quod ad sumptum habere debeat. Nisi fortè aliquâ de causâ ab Abbatissa illuc vocetur, à qua tunc decenter sibi exhibeatur quod oportet. Proinde si quisq; Advocatus hæc statuta obstinatâ audaciâ transgressus fuerit, nisi sane resipuerit, sexaginta libras auri optimi, triginta Palatio nostro, triginta supradicto monasterio persolvat, & ipsa advocatia cum cæteris commodis in perpetuum careat. Hæc vincula Advocato Cœnobiali injecta exemplo carent omnis illius ævi. Nec observare est in priscis monumentis, jam tum Advocatos usque adeò molestos ac graves fuisse Cœnobiis ut iis cautelis opus fuerit. Cumprimis observatu dignum est, quod licet optimè cupierit Tigurino Cœnobio Ludovicus, utpote cui duas filias præfecerit unam post aliam, in tabulis tamen Tigurinis altum sit de ejusmodi Advocatorum vinculis silentium. Eapropter omni caret verosimilitudine, statim circa initia conditi Cœnobii, in gratiam

Adalberti Comitis sui Ludovicum usque adeo fuisse de Advocatis compescendis sollicitum. Non sane ex omni illo Carolovingico ævo simile quidquam, quod quidem bonæ sit notæ, produxeris, etsi illorum magnus hodieque numerus superstit.

Magerus tamen, fateor, laborioſi operis *de Advocatia armata cap. V. n. 431.* produxit hujus argumenti Diplomata, & quidem tanquam ipsiusmet Caroli Magni: non nisi tamen alterum Augiæ Divitis alterum Vttenburani Cœnobii in gratiam conditum. Augienſi etiam nos hoc ipso libro *cap. X. pag. 164* usi sumus. Ingenuè tamen neutiquam dissimulavimus, suppositium esse & ab impostore quodam non minùs atque hoc nostrum Lindavienſe confictum. Arguit verò falsimoniam manifestò *Primum* illud, quod Carolus præter morem non Rex Francorum & Longobardorum, sed duntaxat Imperator Augustus ibi audiat. *Secundò*, in fine Diplomatis non annorum vel Regnorum vel Imperij ulla fiat mentio. *Tertiò*, quod manu Caroli non fuerit subscriptum: contra quam aliàs perpetuo solet fieri. *Quartò* quod sub finem Diplomatis nulla loci ubi sit conditum, nulla mensis aut diei quando sit conditum, facta fuerit mentio. *Taceo* nunc, quod annus Christi subscriptus videatur novo non autem recepto tunc more. Mitto alia falsi judicia cum hæc sufficiant. Saltim igitur hoc Diploma non juvat causam Lindaugienſis Cœnobij, quoniam itidem pessimæ est notæ.

Alterum Diploma Uttenburanum adhuc magis prodit impostura inepti nebulonis, quamvis videatur ex eadem qua Lindaugienſe officinâ mendaciorum profectum esse. Ne quid superstit Hyperaspistis, quo suo Lindaugienſi possint speciem aliquam veri apud imperitos, & quibus illud ad manum non est, emendicare, producam hoc ipsum, quale reperitur apud Bruschium ubi de Uttenburano agit Monasterio.

Adduce-

Adducemus autem integrum, non per partes, quo omnium oculis commissum & ibi falsi crimen patescat.

In nomine Dei patris omnipotentis & filii & spiritus sancti. Carolus à Deo ordinatus Augustus, Magnus, pacificus, Rex Francorum, Imperator Romanorum gubernans Imperium. Quoniam principem ac defensorem Ecclesiarum nos fecit Dominus, ne ejus ingrati esse videamur munificentiæ: servitium ejus augmentare, Ecclesias multiplicare, super incœptis & constructis benè ac oportunè, ne posthac destruantur, potestati regali convenit tuitionem impartiri: unde quicquid ad loca sanctorum damus vel concedimus, hoc nobis ad mercedis augmentum vel stabilitatem regni nostri pertinere confidimus. Quapropter notum sit omnibus principibus nostris & fidelibus, qualiter nos ad petitionem dilectissimæ conjugis nostræ Hildegardis, illustris Reginæ, Abbatem nomine Tottonem, ex Monasterio quod vocatur Vtenburra cella nova, cum hominibus unâ & rebus ipsius Monasterii, sub nostro mundiburdio & defensione propter illicitas malorum hominum infestationes accepimus & retinemus. Igitur à præsenti die coram principibus nostris decernimus, & præcipiendo præcipimus, ut nulli de majoribus atque minoribus liceat, prædicto Abbati aut hominibus ipsius Monasterii tàm ingenuis quàm servientibus, vel in rebus quæ ad ipsam casam Dei legitimè aspicere videntur, inquietare aut calumniam facere præsumat. Sed diximus, liceat eum una cum jam facto monasterio sub nostra tuitione quietum vivere ac residere, ac si aliquæ causſæ

adversus eum aut homines ipsius monasterii surrexerint, quas infra pagum cum fidelibus suis definire non potuerint, in præsentiam nostram reserventur. Et ut omni Regno nostro & fidelibus nostris pateat, nos præfatum locum non avaritiæ vel quæstus, sed pro amore Dei & animæ salute atque defensionis causâ in nostram potestatem suscepisse, hinc à præsente die ac deinceps fratribus ejusdem monasterii autoritate nostra damus hanc licentiam & concedimus, ut post discessum Tottonis Abbatis potestatem habeant inter se eligendi Abbatem, quem meliorem secundum Regulam S. Benedicti, & aptiorem nostro servitio invenire potuerint: nobisq; & successoribus nostris præsententur, quatenus Regia sublimentur authoritate & confirmentur. Investitus siquidem per nos liberum hunc ab omni exactione curiali vel munere permittimus abire. Consecrationem & sui monachorumque concedentes, ubi à relligiosis duntaxat Episcopis intra provinciam ordinari poterunt, liberrimam habere. Amplius præsenti sanè Abbati ejusque successoribus monachis & hominibus ac negotiatoribus præfati Monasterii, qui à nostra authoritate frequentia populi ad reliquias sacras venientes inibi statuimus, hanc libertatis gratiam concedimus, ut ubicunque in Regno nostro ad negotiandum perrexerint, sive in Civitates, vel in Oppida, seu pontem navesque petant, sive venientes seu redeuntes, sine exactione telonii cum pace securi transeant & pergant. Item placuit nostræ providentiæ, in Tottonis præfati Abbatis potestate ponere, ut sapientum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [332] - 308

pientum usi consiliis, ex his quos inter potentes seculi noverint esse æquitatis & fidelitatis amatores, eligant suis competentibus locis advocatos & defensores si opus habuerint: Sin verò, nos nostrosque successores, justissimos & certissimos defensores habeant. Sed nullus hominum sibi hanc potestatem præsumat vendicare vel quasi hæreditariam, aut aliquo jure debitam invadere, nisi quem Abbatis & Monachorum consulta approbatiora volunt admittere: eo tamen tenore, ut post fidelitatem Regio jure nobis nostrisque successoribus Abbati tria juret Sacramenta. Primum, quod secundum posse & nosse justus & utilis Advocatus in homines & res prædicti monasterii existat. Secundum, quicquid placitando acquisierit, id est, injuria bannorum vel satisfactione temeritatum, tertia sibi parte retenta, duas reddat Abbati: & nullum advocatum vel exactorem præter se nisi Abbatis permissione constituat. Tertium, quod nihil privati muneris vel servitii à quolibet loco sive curte, seu à villicis vel à Cellariis, quasi ex debito & statuto jure exigat, ac mansiones & pernoctationes usquam frequentare caveat. Ad unumquemque verò locum (quem Abbas ad placitandum ordinaverit) cum duodecim Equis & totidem Viris Advocatus semel tantùm in anno adveniat, nisi pro aliqua necessitate ab Abbate sæpius advocetur; ac tunc pro loci qualitate ab Abbate honestè suscipiatur & procuretur. Infra locum Monasterii nullum placitum nisi rogatu vel voluntate Abbatis unquam statuat, nullum de militari familia sine justa

ſociorum ſuorum deliberatione damnet, vel aliqua injuria coërceat & offendat: qui militares vel alio nomine miniſteriales optimo jure perfruantur quo Fuldenſes vel Augienſes potiuntur. Amplius nullum domus Dei ſervientem ſine conſenſu Abbatis ad judicium vel ad damnum cogat. Quando autem hujus commiſſi vel in homines, vel in res (quod vulgo Ballmundt dicitur) exſtiterit: ſtatim ſine mora & ſine præjudicio (niſi citò reſipuerit) Advocatia cum omnibus commodis ſine ſpe recuperationis carebit. Et ut hæc firmiùs credantur, & diligentiùs conſerventur, manu propria ſubter firmavimus, & annulonoſtro inſignire juſſimus. Ego Ludebertus Archicappellanus recognovi & ſubſcripſi. Data anno incarnationis Domini 769. Actum Moguntiæ in Penthecoſte, in Dei nomine feliciter. Amen.

Hactenus etiam Vttenburanum Privilegium. Cœcus profecto ſit aut cunctarum ævi veteris rerum imperitus qui nullo monitore non deprehenderit hîc commiſſa falſi crimina. Omnia indicare ſuperfluum fuerit: pauca igitur duntaxat ſignificabimus ut reliquis impudentiora. Quàm enim *primo* impudens eſt mendacium, jam anno DCCLXIX Carolum audiiſſe Auguſtum & Romanorum Imperatorem! Falſum *ſecundo* eſt, jam iſthoc anno Hildegardim fuiſſe Caroli conjugem. Quantum enim ex Eginhardo colligere eſt, contractum eſt matrimonium anno demum ſeptuageſimo, ſi non ſeriùs. Ita enim ille loquitur. *Poſt mortem patris cum fratre regnum partitus, tanta patientia ſimultates & invidiam ejus tulit, ut omnibus mirum videretur, quod ne ad iracundiam quidem ab eo provocari potuiſſet. Deinde cum matris hortatu filiam Deſiderii regis Langobardorum duxiſſet uxorem, incertum qua de cauſſa poſt annum*

annum repudiavit, & Hildegardim de gente Suevorum, præcipuæ nobilitatis fœminam, in matrimonium accepit. Jam verò obiit Pipinus pater anno 68 Octobr. menſe, & ſubſecuta ſtatim eſt Regni inter filios diviſio. Poſt demum contraxit Carolus matrimonium cum filia Deſiderii: forte anno demum 70, quo Bertha mater in Italiam pacis cauſsâ eſt profecta, quod habent Annales. Utque factum id ſit ſtatim anno 69, ſi poſt annum demum duxit Hildegardim, liquet matrimonium illud initum ſi non ſeriùs ſaltim non ante annum ſeptuageſimum. *Tertiò*, non potuit Carolus iſthoc anno Pentheceſten Moguntiæ celebrare, ut habet Diploma. Autor enim Annalium, quos primus edidit Hermannus Comes Nuenarius, quem Laurishamenſem fuiſſe monachum videre eſt ex hiſtoria anni 774, nonnullis Adelmus audit, cum more ſolito à verno tempore annum exordiens narrat res anni DCCLXIX, liquidum facit, omnem illam æſtatem usque in ſerum autumnum fuiſſe Carolum occupatum bello Aquitanico contrà Hunoldum, ac proinde ibi & in Vaſconia vixiſſe extra fines tum Regni Francorum. Archicapellano uſus eſt *quartò* Carolus anno iſthoc Bartholomæo non Ludeberto. Id quod obſervavit monuitque decus ſacræ nobilitatis Weſtphalicæ Bernhardus Mallincrothus *l. de Archicancellariis & Cancellariis Imperii Romano-Germanici* pag. 11. hiſce verbis: *Bartholomæum ſuppeditat nobis auctor anonymus vitæ Caroli M. à Petro Pithœo editæ, qui S. Eparchii Engoliſmenſis monachus fuit, ita ſcribens p. 236 de diplomate Caroli iſto Cœnobio conceſſo: quod præceptum Bartholomæus Archicapellanus ejus ſcripſit, & ipſe Dominus Rex manu ſua firmavit. Conſtat ex ſerie narrationis datas eſſe literas prædictas ſub initium Regni Carolini, ad annum 769.* Non annus *poſtremò* Regni ſed Chriſti Diplomati eſt ſubſcriptus contra ſeculi illius morem. Non attinet immorari aliis falſi indiciis commemorandis: quandoquidem jam tum eſt manifeſtum, non minùs

hoc

hoc Vttenburanum quam Lindaugienſe Diploma ſuppoſitium eſſe. Et verò quandoquidem Magerus tantùm duo illa adducere in medium potuit hujus de Advocatis argumenti, facile collectu eſt alia non reperiri. Vt proinde liceat tutò Diploma noſtrum etiam hujus rei cauſsâ explodere & falſi condemnare.

Quid, quod hoc ipſum *de Advocatis* non falſi tantùm poſſit Diploma arguere, ſed etiam confirmare id quod jam tum ſæpe diximus, ſeculo illud duodecimo aut initio tertii decimi confictum eſſe? Illa nimirum tempeſtate reperire eſt graves de Advocatorem injuria quærelas fuſas: quarum in vetuſtioribus monumentis nihil obſervaveris. Per igitur eſt veriſimile, quo injuriam illam averterent, nonnullos à commentitiis diplomatibus remedium quæſiviſſe: & hoc exemplum ſecutum etiam Cœnobium Lindavienſe. Sanè Vttenburanum & Lindavienſe ea parte ejusdem eſſe indolis, collatione inſtitutâ facile eſt deprehenſu. Et verò obſervare eſt, iſthoc tempore paſſim magno fuiſſe ſtudio laboratum per Germaniam, non tantùm de frenandus Advocatis, ſed de omni illo onere à cervicibus Clericorum & Monachorum planè abjiciendis; claſſicum canentibus ipſiſmet Romanis Pontificibus; quorum ſacræ monarchiæ intereſt, exſtingui omnem ſecularem à Cæſare dependentem auctoritatem, qualis eſt Advocatorum circa bona Clericorum & Cœnobiorum, quò ſoli ſuæ ſedi omnia obediant. Id quod nonnullis in locis feliciter Papis ſucceſſit atque adeò & Clero ſimul monachisque: non omnibus tamen, prævalentibus alibi vel ipſis Advocatis vel etiam Cæſaribus. Spectavit huc Vrbani III Papæ acre ſtudium, de facultate eligendi Advocati Epiſcopis & Monachis vindicanda: qua de re legere eſt Baronius ad annum 1186. Secuti aliquot Pontifices in idem laborave-runt magno cum applauſu cleri & Cœnobialium. Recitat

Ægidius

Ægidius Gelenius in *Hiſtoria vitæ Engelberti* Colonienſis Epiſcopi tres Bullas Honorii Papæ tertii, omnes uno eodemque Pontificatus quinto anno, qui fuit Chriſti 1221, ad Colonienſes perſcriptas: quas ille ait in Archivo Epiſcopali integras ſupereſſe. Prima vehementer inſectatur inſolentias id temporis Advocatorum. Altera vacantes Advocatias prohibet cuiquam conferre. Tertia vetat, ne quæ oppignorationes fiant ab Advocatis. Omnis dignæ ſunt lectu. Nos hoc loco primam adferemus; quandoquidem & nos profeſſi ſumus, illa circiter tempora ſolito inſolentius geſſiſſe ſeſe Advocatos: atq; ea propter illis injuriis avertendis excogitata fuiſſe per fas & nefas varia remedia, interq; alia in nonnullis Cœnobiis falſas tabulas conditas quibus perſuaderent, jam olim frenatam Advocatorũ vim: horumq; exemplo ſuum Lindavienſes Cœnobitas tum fabricaſſe. Verba Bullæ Papalis ita ſeſe habent. *HONORIVS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Colonienſi & ejus ſuffraganeis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Si Eccleſiarum Advocati ſignificatum ſui nominis attenderent ut deberent, ſtuderent eas ob reverentiam Advocati cœleſtis, cui ſpeciali titulo ſunt adſcriptæ, fovere beneficiis & viribus defenſare: ſed quod dolentes referimus, nonnulli eorum habentes velamen malitiæ libertatem, in bonis Eccleſiaſticis in quibus advocationis jus obtinent, non ſolum prodigaliter debacchantur, verum etiam ea diripiunt ut prædones. Quod Eccleſiæ Coloniſis provinciæ jugiter experiri coguntur, ſicut earum nobis tranſmiſſa conqueſtio patefacit. Quia igitur zelus nos comedit domus Dei, Fraternitati Veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus: quatenus ſinguli proſequentes proprium*

intereſſe, & quaſi collo uno & humero uno Eccleſiarum onera comportantes, Advocatos ipſos ut contenti juſtis & ab antiquo ſtatutis ſtipendiis ab Eccleſiarum moleſtiis conquieſcant, moneatis prudenter & efficaciter inducatis. Quod ſi forſan veſtris monitis non acquieverint, ne medicinalis Petri gladius in manu veſtra torpere rubigine videatur, in eos juxta quantitatem & qualitatem culparum, intendatis & remittatis appellatione poſtpoſitâ rigorem Eccleſiaſticæ diſciplinæ: ita quod Eccleſiæ ab hujusmodi oppreſſione reſpirent & Vos exinde mereamini apud Deum & homines commendari. Datum Lateranen. Kalen. Martii Pontificatus noſtri anno quinto. Hactenus Bulla. Cui quidquam addere nullum nunc quidem fuerit operæ pretium.

CAPUT XVII.

Et formas literarum, & Ziphras in ſcribendo adhibitas, & ſubjectum æræ Chriſti annum, indicare, Diploma longe eſſe ſeculo Nono recentius.

Tædet immorari ampliùs Impoſtoris figmentis, quibus voluit ſuo Diplomati faciem antiquam conciliare, aptus ad rem illam ut ad lyram aſinus. Etſi ſanè & leoninam induerit prolixas tamen aures tegere non potuit. Hoc proinde capite paucis nos abſolvemus, non minùs tamen tria itidem falſi indicia in lucem provocaturi.

I. PRIMVM eſt in literarum formis commiſſum. Citra controverſiam videlicet, ſi Diploma in Cancellariâ Ludovici Germanici Regis fuerit conſcriptum, adhibiti ſunt literarum characteres, illo tempore Cancellariæ familiares. Jam verò qui-

quinam fuerint tunc in usu, abunde docent tot superstites illius ævi Regiæ Tabulæ. Præ omnibus idoneum est id ostendere illud Tigurinum Diploma, quod quinto die ante Lindavienſe nostrum confectum in autographo possidetur hodieque Tiguri, & potest in apographo vidimato ut vocant, à nobis, si opus, cuivis monstrari. Autographum suum Cœnobiales hactenus studiosè occultant. Solam subscriptionem ære curavit Hyperaspista exprimi, ad formam authenticam: quemadmodum reliqua sese habeant sedulò fecit ignorari. Ne vel illi quod ære est expressum securè credamus, nulla hactenus facta cum ipso autographo collatione, jubet Cœnobii in Diplomate toto confingendo veteratoria audacia. Et profecto illius officinæ eriam tutissima quæque prudens meritò timeat. Non sane licet cum ejusmodi hominibus in tenebris micare. Producant igitur Cœnobiales Diplomatis sui authenticum exemplar. Exponant illud oculis eorum qui veterum characterum, veterum membranarum, veteris atramenti scriptorii sunt gnari, iisque examinandum exhibeant. Notarii alicujus talium imperiti, & ære conducti, testimonio non licet fidere. Ipse Hyperaspista multum suspecta omnia fecit: quandoquidem ære expressa subscriptio ut & Signum Regium non convenit omni ex parte cum ea quæ habetur in Transumpto Friderico III Imperante conscripto. In quam sententiam cum & Heiderus quædam objecisset, Hyperaspista *pag. 102* nihil regerere potuit præter superbum contemptum. Cumprimis in Signo Cæsareo ingens est diversitas. Hyperaspistica porro editio Diplomatis ipsiusmet differt ab altera etiam illa quæ in grandi opere exhibetur *pag. 724*. Vbi sane illa *duodecim*, hæc habet *12 equos*. Heiderus legit *AEcclisia* & perstringit. Hyperaspista non contradixit ast dedit *AEcclesia*.

Quomodo autem cunque habeat sese ipsum authenticum

Diplomatis exemplum, volumus nos (quandoquidem securos nos esse jussit de ultima sua editione Hyperaspista, appellans eam treulich *copirten* und *vidimiten Text*) contenti nunc esse eo, quem jam tum expressimus fide Hyperaspistæ. Ac proinde ut ad rem aggrediamur, non dubitamus profiteri, neutiquam Diploma nono Christi seculo sed longo demum pòst tempore scriptum esse, freti indicio unius diphtongi Æ aliquoties adhibiti. Enimvero legas ibi *AEcclesiæ*, *AEcclesiæ*, *AEcclesias*, *AEstate*. Minor ejusdem diphtongi forma *æ* adeo frequenter in Diplomate occurrit, ut pigeat numerare. Illa scilicet diphtongi figura neutiquam ævo Ludovici Germanici fuit in usu, sed multo pòst demum cæpit. Testantur id liquidò illius tempestatis quæ superant & Tabulæ & libri scripti quamplures. Etenim perfrequenter quidem à scribis & librariis omissa est diphtongi nota, & simplex vocalis E illius loco adhibita, quandocunque tamen diphtongi habita inscribendo fuit ratio, solet illa exprimi per divisas literas *ae*, nunquam autem per *æ* aut Æ, literis in unum quasi conflatis.

Observaverat illud ex parte jam tum doctissimus Heiderus, & pro decimo falsi indicio annotârat: addito ex Menochio, *falsam Latinitatem suspicionem falsi rescripto affricare*. Hyperaspista *capite X* objectionem hanc conatus rejicere perquam inepte sese gessit; certè significat, vim argumenti à sese non perceptam. Summa Responsi est. Vitia Orthographica ad Latinitatem non pertinere: nec *Latinitatem* falsam censendam esse quando illa non omnino rectè sese habet, alioquin omnia vetera diplomata rejicienda esse: in Rudolphino etiam Urbis privilegio nonnulla minùs probata inveniri. At verò Orthographia utique prima Grammaticæ pars numeratur, quidni itaque illius vitia ad Latinitatem pertineant? Non porrò sive Menochius sivè Heiderus hoc

volue-

voluerunt, Latinitatem quamlibet inemendatam falsi suspicionem parere idoneam; sed loquuntur de ea Latinitate quæ pro cujuslibet temporis usu est recepta. Ab ea nimirum si enormiter fuerit deflexum, argumento id esse potest latentis falsi. Eoque nihil ad rem faciunt quæ de vitiis Diplomatum tum Rudolphini cum aliorum receptis usu ab Hyperaspista adferuntur. Hoc verò firmum manet, & Orthographicam & reliquam Latinitatem quæ à more temporis aut Cancellariæ plane dissidet, significare commissam falsitatem.

Jam verò plane est, ceu diximus, alienum, à Ludovici ævo, & Regiarum quæ tum fuerunt Cancellariarum consuetudine, diphtongum pingere connexis literis Æ aut æ. Quade re si quis dubitet, provoco ad illius tempestatis scripta, sive diplomata fuerint sive volumina & libri. In certissimam fidem adducam testem omni exceptione majorem, ejusmodi scilicet rei longe peritissimum & philologicæ omnis antiquitatis principem Claudium Salmasium. Sunt enim hujus in Epistola ad Claudium Sarravium amplissimum Senatorem virum itidem in hac literaturâ magnum hæc verba. *Addo nonnulla quibus dignosci possit antiquitas exemplarium manuscriptorum. Si quibus in libris MSS. diphtongus reperiatur AE duabus literis non in unam coalitis sed separatis, expressa ad hunc modum A E aut a e, scias codices illos vetustos esse inprimis & fideli manu confectos. Si aliter efficta occurrat, aut per unam literam ex duabus conflatam, aut per unicam e, cui nota supposita sit hoc modo ę: qui primo modo scripti sunt paulò majorem vetustatem redolent; qui secundo ad infimum seculum relegari debent.* Hæc Salmasius. Si in authentico igitur Diplomatis pingitur diphtongus Æ aut æ, consequens profecto est, ultra quadringentos circiter annos ætatem ejus non excurrere, mentirique adeo seculum nonum.

Produnt recentem illam Diplomatis ætatē SECVNDO etiam binæ ZIPHRÆ *12*, numerum duodenarium significantes. II.

Fassi jam tum sumus non reperiri illas zifras in exemplari Diplomatis, quod grandi opere inclytæ Urbis exhibetur *pag. 723:* quandoquidem tamen Hyperaspistica editio zifras illas exhibet, etsi de earum novitate jam nonnulla doctissimus Heiderus monuisset *objectione quinta* eaque Hyperaspista repetiisset *pag. 95:* nobis non licet dubitare, zifras illas in ipso Diplomate contineri, Sed illos characteres numerales in nullis antiquis Diplomatibus reperiri, certo est certius. In ipso Diplomate Lindavienſi nostro anni regiminis Ludovici Imperatoris ut & Christi characteribus Romanis more antiquo signantur. Idem fit in omnibus priscis Diplomatibus quæ quidem in manus meas hactenus inciderunt. Et vero zifrarum usus aliquot seculis est recentior ævo Ludovici Germanici. Nolo hac in parte tam mihi credi quàm Josepho Scaligero, rei literariæ omnis ante Salmasium itidem principi incomparabili. Cujus hæc sunt verba in *Commentatione de nummo Constantini Imperatoris* quam Marquardus Freherus suæ præmisit editæ anno 1604, pòst Opusculis Scaligeri inseruit Casaubonus. NVMMVS, ait Scaliger *ingens argenteus clarissimi viri Marquardi Freheri, quam recens sit argumento sunt characteres arithmetici 234 235. qui ante trecentos aut paulò plures annos ab Arabibus ad nos transierunt, ac primo quidem dissimiles his nostris hodiernis, postea memoriâ proavorum hac forma interpolati quæ hodie nobis in usu est. Itaq; nummus hic cusus aut conflatus est non illo sæculo, quo ij à Christianis recepti sunt, sed illo, quo interpolati: hoc est memoria proavorum. Præterea an unquam à Græcis usurpati sint, meritò ut dubitem faciunt libri multi Astronomici, Logistici, & Computorum Ecclesiasticorum paulò ante aut post eversionem Imperii Constantinopolitani conscripti, quorum omnium numeri non his peregrinis characteribus concepti sunt, sed literis Græcis. Denig; illos characteres primi omnium Christianorum Hispani à Mauris, ab Hispanis reliqui Latini Christiani, ab illis*

Græci

Græci acceperunt, si modo acceperunt. Et quidem concedamus accepisse, ij tamen apud Græcos nunquam vulgò noti fuerunt: ut non opus fuerit eos in hoc nummo cudere ut à paucis tantum intelligerentur. Nobis igitur constat, recentissimam quidem nummi constaturam esse.

Multo recentiorem zifrarum in Europa usum facit Petrus Opmerius chronographus, quando ad annũ 1470 ita loquitur: *Cum Leonardus Pisanus Indiam atq; AEthiopiam perlustrasset, ex illa Cifras, quæ retrogrado gradu & numerando excrescunt atq; etiam multiplicando, præter morem posterorum Iaphet, ex hac Cossicas reportavit.* Vt autem hæc à Scaligero ita pariter & à vero diversa sunt. Nec juvat meditata nobilissimi Mallincrothii inter Scaligerum & hunc concordia, in libro de *Natura & Vsu literar. cap. 25 p. 127. Verum*, ait ille, *conciliationem subministras Scaliger ubi addit: Proavorum memoriâ hac (id est hodierna) forma fuisse cifras interpolatas: respexit enim ad dictum Leonardum. Supersunt autem etiam nunc passim ejusmodi antiquiores zifræ, à posterioribus quibus hodiè utimur in pleris q. discrepantes.* Non juvat inquam hæc conciliatio. Quæ enim nunc usu recepta est zifrarum figura jam quadringentos annos cœpit, atq; non debetur Leonardo Pisano. Sed & ineptum est quod vult Opmerius, à zifris esse illam qua Arithmetici utuntur, multiplicandi dividendique numeros retrogrado gradu rationem. Non enim hæc à zifris est, sed fluit ex ipsa natura commodioris multiplicationis & divisionis numerorum, quacunque etiam figura numeros signaveris.

Cæterùm quicquid sit, zifræ aliquot seculis Ludoviciano ævo posteriores sunt, ac proinde & Diploma cui insertæ sunt zifræ aliquot pòst seculis denique est conscriptum. Quod si zifræ illæ non essent insertæ contextui Diplomatis, non adeo urgerem hoc argumentum: scio enim etiam per antiquis Diplomatibus optimæq; notæ, à recentiore nunc ludibunda nunc & seria

seria manu zifras esse appictas. Insertæ autem illæ contextui nunquam olim fuerunt.

III. Non æque noviter cœpit mos ANNO DOMINICO subscripto notare Diplomata, recentior tamen & ille est ævo Ludovici Germanici. Ac proinde, quandoquidem Diplomati Lindavienſi Annus ille Christianus est subscriptus, TERTIVM hinc petere licet documentum falsi in Diplomate isthoc conscribendo commissum. Jam tum eruditissimus Heiderus hoc argumenti genere Diplomatis fidem multis oppugnavit & quidem quinto loco: eoque Hyperaspista *capite V pag. 96* conatus est iis nonnulla sua regerere. Verissimum autem est: Ludovicum Germanicum non solere Diplomata sua signare numero Dominicæ æræ. Idque adeo jam pridem & ab aliis est animadversum, ut non dubitaverit Mallinckrothus, harum rerum peritia nemini secundus, hæc in verba *l. de Archicancellariis & Cancellariis Imperii pag. 24.* scribere, agens de Diplomate quod ille judicavit non Senioris sive Germanici nostri sed ejus filii esse Ludovici junioris qui decessit anno 882. *Accedit & alia*, ait, *conjectura cur seniori Ludovico Diploma adscribi non debeat: eò quod annos nati Christi subscriptos habeat, quod in illius Regis literis, quarum data non nisi annis Regni ubiq; insignitur, insolens est, ac nullibi, quod hactenus compererim, reperitur. Qua in re stilum Cancellariæ paternæ secutus fuit: nam & ab imperatoris Ludovici Pii Diplomatibus AEra Christiana regulariter & communiter abest.* Hanc Mallencrothi observationem vel illa sola quæ à nobis sunt adducta *cap. IV* docere plusquam satis sufficiunt. Nec enim ibi Æræ Christi videas factam ullam mentionem. Versantur imò jam tum in manibus ejusdem Ludovici nostri Diplomata tria adhuc alia: in quibus itidem soli Regni anni memorantur Christi nullus.

Par est ratio (ut recte dixit Mallincrothus) Diplomatum Ludovici Pii patris. Nec enim est, quod quem moveat

Diploma

Diploma ejus adductum *pag.16.* de fundatione Archiepiscopatus Hamburgensis. Dedimus enim ibi illud quale editum est ab Erpoldo Lindenbrogio; easdem verò tabulas haud paulò passim meliores referens Philippus Cæsar in suo quem appellavit *Triapostolatu Septentrionali*, verba hæc: *Anno Domini Jesu Christi DCCCXXXIV*; non habet. Quo apparet assumentum fuisse exemplaris Lindenbrogiani, ut multa alia.

Quid? quod non temerè protuleris Caroli etiam Magni Diploma aliquod, saltim confectum ex quo Imperatoriæ fuit dignitatis, cum subscriptis annis Dominicis? Quæ vidi & legi id generis omnia consonant. Ante ejus dignitatis exordium, atque adeo ante annum 800, num semper antehac idipsum fuerit in usu, non equidem certò dixerim, quia Adamus Bremensis in *Historiæ Ecclesiasticæ cap. X* adfert Diploma Carolinum de fundatione Episcopatus Bremensis datum anno Regni Caroli XXI cum præmisso *anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXVIII.* Non enim illius Tabulæ fidem omnem ausim in dubium vocare. Hoc tamen certò possum asseverare: neque illam, neq; quâ Verdensem Episcopatum instituit Carolus ille Magnus, Tabulam authenticam in archivis superare, ac proinde fortassis ab alia manu id esse additum. *Fortassis* dico. Non enim vel Adamus authenticum vidit, sed ex copiali, ut appellant, libro suum illud desumpsit: ceu non diffitetur *cap. IX*: itaque additum ibi forte fuit manu alienâ. Toti Diplomati eam unam ob causam fidem derogare cum nonnullis, nolim equidem. Fortassis enim quo tempore Carolus nondum fuit consecutus Imperatorium honorem aliud obtinuit in Cancellaria; pòst autem mutavit, juxta morem Romanorum qui Constantinopoli sedebant Cæsarum; quippe qui Æram Dominicam, quamvis Dionysii Exigui calculo jam Justin ani tempestate probatam, non fuerunt soliti subscribere suis Chrysobullis. Ea tamen vis est eorum quæ *cap. 33 libri*

de VVeichbildis Saxonicis attulit Gryphiander vir talia doctus, ut omninò sit asserendum, aut illud ab Adamo adductum Carolinum Diploma suppositititium esse, aut verò annos illos Dominicos ab imperita manu longè pòst (& verò floruit Adamus seculo undecimo effluente) accessisse. Non enim Gryphiander vel ab Heidero fuit scriptor suâ duntaxat auctoritate infallibilis habitus, quod calumniantur Hyperaspistæ, sed ejus argumenta sunt æstimata: quæ pro suo supercilio videntur ne legisse quidem superbi illi vindices Cœnobiales.

Vtcunque autem res sese habeat de Caroli Magni Diplomatibus ante Imperatorium consecutum ἀξίωμα conditis, id certissimum est, quod Mallinckrotum asserentem audivimus; nec Ludovicum Pium nec nostrum Germanicum annos Christianæ æræ suis Diplomatibus subscripsisse.

Quid, quod præclaris auctoribus doceatur, imperante demum Carolo Crasso institutum esse, annis Christianæ æræ Diplomata subsignare? Diserte sane id testatus est Bavarus Aventinus *l. 4. Annalium Bojor. fol. 461* & Gallus Nicolaus Vignierius in *Chronico Burgundiæ ad annum 885.* Stumphius *l. 7. cap. 6. fol. 197* ita loquitur de primâ origine ejus rei. Es ist bey den alten Keysern/Königen/ Fürsten und Herrn nit bräuchig gewesen/ die Instrument mit der Jahrzahl Christi / als hernach bey K. Othonis Tagen und fürter / sondern allein nach den Jahren des Regiments eines jeden Königs zebezeugen und zebeschliessen / also: *Acta sunt hæc &c. anno N. Regis N. Indict. &c.* Ita ille: falsi arguens diploma quoddam argumento illo quod æram Christi haberet subscriptum, etsi antiquius voluerit haberi. Joannes Gulerus initia ejus instituti Caroli Crassi mandatis adscribit *l. 7. Rhætiæ fol. 98.* hisce verbis Caroli istius res narrans. Er ließ durch öffentliche Brieffe und Mandaten befehlen / das man vorhin die Jahr von der Gebuhrt Christi an zehlen und rechnen solte: da man sonsten bißhero nach den Jahren der Kayserm und Königen Regierungen die

die Zeit gerechnet: unangesehen daß umb das Jahr deß HErren DXXXII Dionysius Exiguus, ein Römischer Abbt/ (als oben in unserem II Buch auch meldung geschehen) den gebrauch der Jahrzahl Christi albereit eingeführt hatte: Da er die Historien und derselbigen Ordnung nicht auff die Zeit der Stadt Rom erbauwung/ oder der Bürgermeister zu Rom/ noch von anfang der Regierung der Römischen Kayserm/ sondern auff die Menschwerdung JEsu Christi zu richten und daselbst naher die Jahrzahl zunehmen gelehrt hat: Damit er die Gedechtnis des Kayserś und Wütrichs Diocletiani, von welches angehebter Regierung an man schon damahls in die zweyhundert acht und vierzig Jahr die Zeitordnung geführt hat/ gantz und gar außlöschen könte. Hæc illi. Veterum tamen & coævorum id qui narraverit nemo mihi nunc ad manum est. Jam tum verò ante Crassi tempora, ipsoque adeo Ludovici nostri ævo, alibi Instrumentis publicis à Notariis additos annos Dominicæ incarnationis alibi non, liquidò ostendunt chartæ antiquæ & Fuldenses à Pistorio editæ quæ habent annos illos adscriptos, & Alemannicæ S. Gallenses cùm quas Vadianus tùm quas Goldastus collegit iis plærumque carentes. Priorum verò similes etiam alibi reperire est. Fortè igitur Crassus jussit ubivis observari, quod paucis in locis jam tum observabatur. Ex eo sanè Diplomatibus etiam Regiis solito frequentius æra Christiana fuit adscripta: quanquam nihilominus & sæpiùs neglectum esse, doceant superstites tabulæ integræ. Quod ne miremur, facit exemplum ipsorum met Romanorum Pontificum: qui licet debuissent ea in re antevertere Reges Cæsaresque, eosque ad sui sacram imitationem invitare, etiam ipsi tamen in Bullis suis annos Dominicos serò denique cœperunt numerare.

Verum hæc propriè ad rem nostram haud faciunt, quandoquidem liquidum est, saltim Germanici nostri Ludovici Diplomatibus olim æram Christianam non fuisse appositam;

atque adeo Cœnobiale hoc ex Cancellariâ illius Regis profectum non esse sed aliâ tempestate conditum, vel unica illa annotatio Christianæ incarnationis possit evincere.

Vsq; hæc adeò sanè clarent, ut ipsimet Hyperaspistæ vim argumenti haud ausi sint dissimulare. Eoque *pag. 97* effugium conantur petere à prætextu, quasi annus Dominicæ incarnationis longè pòst demum ab aliquo fuerit adscriptus: non enim characteres esse eosdem cum aliis, nec ita concinnos. Verum enimverò antehac agnoverant utique Cœnobiales hanc æram adscriptam non minus genuinam atque totum diploma. Hinc sanè in Curia Cæsaris Friderici III & aliâs semper, fidem illi æræ subscriptæ indubitatam attribuerunt. Hinc & alii Cœnobialem hanc traditionem sunt secuti. Saltim igitur novum ἕυρημα est Hyperaspisticum hoc effugium. Neutiquam porrò ex literarum ductu colligere est, quod alia manus accesserit. Varia enim characterum genera reperiuntur in illâ ære expressa tabula. Si quælibet diversitas igitur characterum arguit manum aliam recentiorem, dixeris omnia diversis temporibus esse scripta: quod ineptum fuerit. Quid autem notius & frequentius, quàm uno eodemq; momento, invitante negocio, alios atq; alios characteres efformari? Certè nec hactenus probaverunt Hyperaspistæ, recentiore scripturâ æræ Dominicæ annos adjectos, nec probare poterunt imposterum. Eoque manet id quod diximus, etiam æram illam Dominicam Diplomatis falsitatem liquidò ostendere.

CAPUT XIIX.

Diploma perpetuis notis confossum denuò producitur, orco imposterum tradendum.

NUllum fuerit pretium operæ, si pergamus singula falsi documenta cum aliqua curâ protrahere in lucem. Ad hoc

hoc haud equidem dubito, Lectorem industrium quemvis meliùs velle tempus otiumque impendere, quàm excutiendis quasi cum pulviſculo omnibus Diplomatis falſi criminibus. Pridem quoque, ne quid diffitear, etiam me tædet huic camarinæ immorari. Quandoquidem tamen intereſt, planè confodere ſuppoſititium illum fædæ impoſturæ fœtum, omnemque adeo illi ſpem caput aliquando rurſum inter imperitos erigendi eripere, integrum illud Diploma ſemel adhuc producemus ſed perpetuis confoſſum notis. Quo tandem aliquando redeat in orcum, unde decipiendis mortalibus, ante quatuor circiter ſecula, auſum fuit in lucem improbo fuco illitum prorepere.

Igitur prodita jam impoſtura, indubiè initiò ſtatim mecum deteſtabitur bonus quisque impietatem nequiſſimi bipedum, quia non dubitaverit illis verbis ſcelus aggredi: *In nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti.*

Hludovicus Imperator Auguſtus) Nullum Ludovicum Imperatorem condidiſſe hoc Diploma: nec Ludovicum Germanicum cui impoſtor & Hyperaſpiſta Diploma tribuerunt, aut fuiſſe reapſe aut audiiſſe Imperatorem, demonſtravimus capite quinto ſexto & ſeptimo.

Collegium omnium fidelium) Phraſis hæc plane inſolens eſt veteri ævo. Mos tum fuit ſcribere, *Noverit induſtria.* Docent hoc ejus temporis diplomata.

Adalbertus) Conditorum Cœnobii neminem dictum Adalbertum, liquidò probavimus capite nono. Qui porro anno Ludovici viceſimo ſexto egit Comitem Palatii, non Adalbertum ſed Ansfridum eſſe dictum, docuimus capite octavo. Omnem denique narrationem de Adalberto Cœnobii conditore natam eſſe ex fabulis Diplomatis & contra Hiſtoriæ fidem, prolixè oſtendimus capite decimo.

Vaſallus noſter) Non ero gravis Diplomati *vaſalli* vocabulo: quoniam fateor ita dictos tunc temporis etiam inſignis loci homines, ſi beneficio feudali minus lauto fuerant affecti. Mirùm vero, non petiiſſe hominem gratia Regia pollentem, etiam poſſeſſiones feudales conſecratas in ſacros uſus conferri. Quod tamen illi tempeſtati fuit perfamiliare: ceu liquet ex plurimis tabulis Regiis, ut & ex illa quam attulimus cap. IIX p. 125. Sed vafro impoſtori non venit hoc in mentem.

Sacri Palatii Comes) Neminem iſthac Francorum Regum ætate dictum eſſe *Sacri* Palatii Comitem: & appellationem illam Juſtiniani quidem ævo fuiſſe familiarem, ſerò autem demum aliquem in uſum rediiſſe, probavimus capite undecimo.

Fidelium noſtrorum Principibus) Ævo illi mos fuit ſcribere: *Fidelibus noſtris Principibus.*

Obtulit obtutibus noſtris quoddam Cœnobium) Simile quid in aliis Tabulis haud temerè legas de ipſo Cœnobio aliquo, ſed de chartis priſcis productis.

Nomine Lindaugia) Hoc nomine ſeculo nono non potuiſſe appellari Cœnobium, nec proprie illi convenire, latè probavimus capite decimo quarto.

Situm intra lacum VVitſehe) Lacum Podamicum ſive Acronium audiiſſe olim *VVitſehe*, nullo exemplo temerè oſtenderis. Extra inſulam porro illius lacus & ad oram ejus, ſeculo Chriſti nono Cœnobium fuiſſe ſitum, oſtendimus itidem capite tertio decimo.

Regulares diſciplinæ) Vox *Regularis* indubiè hic accipienda eſt de Diſciplina illâ Regulari, quam obſervare tenebantur ſanctimoniales virgines. Et verò ſuperat etiamnum illa Regula quam Ludovicus Pius Imperator condidit: etſi non

multa

multò post pravi mores etiam illius sexus Regulam pene omnem excusserint.

Illustrium) Hac appellatione Episcopos olim non fuisse cognominatos; demonstravimus capite duodecimo.

Rabanum) Ad Rabani intercessionem Ludovicum sive Imperatorem sive Regem non potuisse Cœnobio dare bona quædam anno DCCCLXVI, eodem duodecimo capite probavimus.

Moguntinæ Æccleſiæ) Cancellariæ cùm Imperatorum tum Regum Francorum moribus repugnat *Eccleſiæ* vocem diphtongo ordiri. Cum enim vocabulum illud fuerit frequentissimi & sacri usus, hac in re non solent impingere scriptores. Figuram porrò illam diphtongi Æ, esse recentem & noviſſimorum temporum, demonstravimus capite decimo septimo.

Constantienſis Æccleſiæ) Iterum impingitur in eundem lapidem, ut etiam alibi sæpius diphtongo æ: quod semel munuisse satis est.

Pro redemtione animæ noſtræ nec non parentum noſtrorum) Tali prætextu petiisse Palatii Comitem beneficia Cœnobio conferri, falsi reddidimus suspectum capite decimo quinto.

In omni Regulari jure) Eadem significatione quâ paulò ante *Disciplina Regularis*, accipi meritò debere hoc loco *Regulare Ius*, quis non prudens & rectè loquendi gnarus dixerit? Hyperaspista tamen contendit, *Regulare* hîc idem esse atque legitimum. Nolo cum illo litigare super hac re. Quod si verò ille sensus est verbi, manifestum etiam hinc est, scriptorem Diplomatis fuisse hominem rectè loquendi planè imperitum atque non versatum in Cancellaria Regiâ. Fortassis tamen non tam ipse scriptor quam interpretes peccant. Et verò de *omni jure* ἁπλῶς hæc verba accepit jam ante quadringentos annos Constantiensis quidam Episcopus. Sed non attento vocabulo *Regulari*. Sive illud tum lectum non fuerit, sive insuper habitum.

Afferi-

Afferemus hoc loco ipsa Episcopi verba: præsertim quoniam iis vetustissima Diplomatis memoria continetur. *Universis Christi fidelibus hanc paginam inspecturis H. Dei gratiâ Constantiensis: Episcopus salutem in omnium Salvatore. Cum satis constet providis & benignis, quid sanctorum Patrum privilegia & Imperialia scripta pro expediendis necessariis negotiis in ipsis contentis non sit tutum, propter malum statum temporis, undiq; deportare: quia nobis ex inspectione privilegiorum sanctæ memoriæ Ludovici quondam Imperatoris piissimi constitit evidenter, quod ipse ad petitionem Alberti quondam Sacri Palatii Comitis, Lindaugiensis monasterii fundatoris & intercessionem piæ recordationis quondam Salomonis antecessoris nostri, omnem libertatem & justitiam, quæ Constantiensis Ecclesia in omni jure habere dignoscitur, eidem Monasterio contulit & concessit: Nos hoc solum, quod sæpius in quæstionem deducitur, ad instantiam Abbatissæ dicti monasterii & conventus duximus exprimendum, videlicet, quod in jure capitali, mortuariis hæreditatibus suorum hominum percipiendis & hominibus collocandis, dictæ Ecclesiæ debet in omnibus concordare. Hanc Schedulam, ipsis in testimonium hujusmodi conditionum æqualium conferentes, Sigilli nostri munimine roboratam. Datum Constantiæ Anno Domini MCC XL secundo, VII Kalendas Septembris, indictione quinta decima.*

Divinitùs illi instinctæ) Non temerè reperias tale quid in Diplomatibus Francorum Regum. Est itaque figmentum impostoris longè recentius. Nihil etiam adferas, quo potuerit videri inductus Ludovicus divinum istud *credere*.

Dei

Dei judicationem) *Divini judicii* ne minimum quidem obſervaveris ſignum. Finxit itaque etiam hoc impoſtor, & quidem contra morem priſci ævi.

Ita præceptum juſſimus) Duo petierat Adalbertus, quantum ex antecedentibus liquet: primò *aliquid muneris*, ſecundò *eandem libertatem & juſtitiam quam Conſtantienſis habet Eccleſia in omni regulari jure.* Jam verò perpetuus eſt Cancellariæ mos ſi petitis deferatur, illa iterum recenſere & ſingulatim indicare inquantum ſint conceſſa. Hoc ipſum quia in hoc Diplomate non eſt obſervatum indicio eſt, non in Cancellaria Regia conditum ſed ab impoſtore aliquo eſſe confictum.

Quatenus prænominatus ſacer locus habeat) Hoc videtur eſſe illud *munus*; quod voluit impoſtor datum eſſe Cœnobio.

In monetis) *Moneta* nulla eſſe potuit in *hæreditaria poſſeſſione Adalberti.* Itaque ineptè & impudenter proventum fiſci monetalem impoſtor reliquis adjecit. Falſi crimen iſthac in re eſſe commiſſum, probavimus capite decimo ſexto loco ſtatim primo.

Statuimus quoq;) Fortè voluit impoſtor Conſtantienſis Eccleſiæ libertates hiſce verbis ſignificare. At verò hîc nulla fit mentio ejus quod Conſtantienſis Epiſcopus attigit in ſuo reſponſo. Itaq; reapſe modum exceſſiſſe Epiſcopum, manifeſtum eſt. Fortaſſis imò defuit tum in Diplomate vox *regulari.*

Neq; Dux) *Ducem* non potuiſſe ſeculo nono memorari inter eos quos penes fuit ordinaria jurisdictio: ac proinde etiam eâ in re crimen falſi commiſſum eſſe, demonſtravimus capite decimo ſexto loco ſecundo.

Coram nullo Comite regant) Vox *regant* quid ſibi velit, non facilè intelligas. Nec enim in ullo Diplomate ævi Francici ejuſmodi phraſis occurrit. Quod indicat, Diploma hoc non in Cancellaria Regni Francici eſſe confectum. An τὸ *Regant* Ger-

maniſmus eſt, infeliciter natus ex vocabulo noſtrate Regen? Quaſi ſcilicet prohibitum ſit, *movere* quidquam coràm Comite. Dignum eſt exploſione Diploma vel unum hunc ob barbariſmum.

Idem autem Advocatus) Quæ hîc ſequuntur leges Advocatis præſcriptæ planè ſunt alienæ à moribus Regni Francorum, quale etiam illud fuit ſeculo nono. Eoque cap. XVI loco tertio hinc accipimus certum indicium commiſſi falſi criminis.

12) Zifras intra quingentos demum annos cæpiſſe in uſum recipi: ac proinde zifram hanc numeri duodenarii, eſſe ſignum impoſturæ, & quidem aliquot poſt Ludovicum ſeculis demum inſtitutæ, probavimus loco ſecundo capitis decimi ſeptimi.

Sin autem, firmiſſimam licentiam) Hanc libertatem non fuiſſe conceſſam Cœnobio jam tum ſeculo nono, colligere eſt ex eo, quod Hermannus Contractus ſcriptor σύγχρονος annotavit de Henrico id nominis Tertio Imperatore ad annum MLI. *Ipſis diebus, defunctis uno pene in tempore Lindaugienſe & Buchaugienſe Abbatiſſis, Juota, nobilis prudens & religioſa vidua, utrique loco recuperando ab Imperatore præficitur.* Hoc profectò Imperatoris factum indicat, tum temporis jus conſtituendi Abbatiſſam Regi aut Imperatori non Cœnobio competiiſſe. Fuit enim Henricus Tertius religioſus & recti juſtique tenax Princeps: ac proinde ſuſpicari nefas fuerit, violata ab illo Cœnobii priſca privilegia. Jam verò etſi Cœnobium tunc temporis corruptis adeo fuiſſet moribus, ut illius conventus nulla fuerit digna quæ Abbatiſſa eligeretur: licuit tamen conventui, ſi Diploma audimus, impetrato Regio conſenſu alibi ſibi Dominam quærere. Juota autē neutiquam à Conventu electa, ſed ſolo Cæſaris arbitrio eſt conſtituta.

Neq;

Neq; est cur meritò suspicetur quis, notatum à Contracto hoc Cæsaris factum tanquam juri Cæsario non consentaneum. Annotatum enim potius est, quoniam duo perquam rara tum contigere: primum quod duobus diversis Cœnobiis una data fuerit Abbatissa; Alterum quod vidua non virgo fuerit constituta Cœnobiorum illorum rectrix. Quibus & Tertium fortè accessit; quia nempe in duobus inclytis Sanctimonialium collegiis nulla fuerat inventa idonea regimini. Multo minùs fas est arbitrari, jam tum seculo nono, Ludovico Germanico Rege, commune fuisse Conventuum jus, eligendi Abbatissas. Paucis enim id tum quidem concessum fuit, perinde ut & paucis Monachorum Cœnobiis, imò & Episcopatibus: jure eligendi solis Regibus passim manente. Id quod probatu non difficile, si non intempestivum esset agere. In universum igitur præsumendum hactenus est, Lindaviensibus Sanctimonialibus itidem jus tunc nullum fuisse Abbatissam eligendi, donec aliud fuerit demonstratum. Interea licet hanc diplomatis partem annumerare impostoris novitiis commentis.

Præfatum venerabile ministerium, vel aliquas pertinentias ejus, beneficiali causa cuiquam homini concedere tentaverit, nisi resipuerit & his nostris institutis adquieverit, nomen & memoriale ejus de libro vitæ subtractum maneat in æternum maledictum) Seculo Christiano nono, cui fabricator voluit adscribi hoc Diploma, frequens & Regii juris fuit creditum, integra Cœnobia pro Regum prudente arbitrio in beneficium Episcopis, Abbatibus alienis, interdum & Laicis benè de republica meritis, concedere. Id quod complura exempla docent. Et verò etiam sequentibus seculis Cæsares Regesque fecerunt idem quàm sæpissimè. Multò frequentiùs bona nonnulla Cœnobialia in beneficium militibus data sunt

à Regibus. Ipſimet porrò Cœnobiales talium beneficiorum collatione ſibi *miniſteriales* quos vocabant, nunquam pene non quaſi conduxerunt. Idque ſine omni conſcientiæ ſcrupulo paſſim factum eſt. A Cœnobio ipſo Lindavienſi feuda ejuſmodi ſic ſatis multa ſunt inſtituta. Cui fiat igitur veriſimile, æternæ damnationis pœnâ propoſitâ omnem infeudationem ab ipſomet Imperatore aut Rege Ludovico vetitam eſſe? Quis credat peccato leviori, ſi quod ea in re fuerit commiſſum, conſciis Rhabano Archiepiſcopo, doctiſſimo omnium illius tempeſtatis viro, & Salomone Epiſcopo Conſtantienſi viro itidem magno, longè graviſſimam pœnam dictam? Cui probabitur, id factum conſenſu Principum aliorumque Regni fidelium, qui ſolebant jam tum temporis Cœnobialia bona in beneficium conſequi?

Pro emolumento animæ noſtræ) Solius ſuæ animæ habuiſſe rationem Ludovicum, non autem ſimul etiam *parentum*, cum tamen Adalbertus id petiiſſet, ac petitio fuiſſet laudata quaſi ab *inſtinctu divino* promanans, & illius ſeculi moribus & pietati repugnat. Impoſtoris itaque antecedentium immemoris imprudentiæ hoc debetur indubiè. Monuimus hoc jam tum capite decimo quinto *pag. 285.*

Pro nobis) Fundi illâ tempeſtate ſolitas preces ſolemnes in Cœnobiis, non pro ſolis Regibus, ſed ſi quæ ſupereſſet etiam pro Uxore & Prole Regia, ſalute item totius Regni, liquidum fecimus capite decimo quinto. Quia in Diplomate igitur pro ſolo Rege jubetur Cœnobium orare, argumento id eſt, fabricatum Diploma non in Cancellaria Imperatoria, nec florente Francorum Regum republica, nec ab aliquo veteris ævi morum exactè perito.

Signum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [356] - 332

Signum POS EIL *Hludovici Sereniſſimi Imperatoris)* Signum illud eſſe Ludovici Pii Imperatoris, non autem filii Ludovici Germanici, Imperatorem tamen Pium non condidiſſe hoc Diploma, demonſtravimus *capite V:* & hoc argumento criminis falſi fabricatorem Diplomatis convicimus.



XPE Protege Hludovicum Imperatorem) Imaginem hanc eſſe Ludovici Pii, non autem Ludovici Germanici, quem impoſtor voluit eſſe Diplomatis auctorem, itidem probavimus jam tum *capite V.* Producemus autem infra veram Ludovici Germanici effigiem. Vt vel ex hoc uno poſſit certò colligi, Diploma eſſe ὑποβολιμαῖον: falſo ſcilicet non ſigno duntaxat manus ſed etiam vultu conditoris ornatum.

Hirminritus (ſive *Hirminmarus) Notarius ad vicem Hugonis recognovi)* Hirminmarum notarium Imperante Ludovico Pio vicariâ operâ functum eſſe Archicapellanorum, & anno viceſimo ſexto imperii Pii Druogonem fuiſſe Archicapellanum, viderique veriſimile, hanc ſubſcriptionem deſumptam ex aliquo Diplomate Pii Imperatoris, cui manum addiderit ad vicem Druogonis Hirminmarus, monuimus capite quinto *pag. 74 & 75.* Capite porro octavo demonſtravimus, anno viceſimo ſexto regiminis Ludovici Germanici, in Sacro Palatio non Hugonem aliquem ſed Wigarium fuiſſe Archicapellanum, item Hirminmarum aliquem aut Hirminritum vices Archicapellani non obiiſſe. Perquam elegante nuperrima altera editione *Monumentorum Paderbornenſium*

sium incomparabilis eorum auctor Episcopus ac Princeps *pag. 132* exhibuit Pii Imperatoris hanc Diplomatis alicujus subscriptionem: *Signum Hludovici Serenissimi Imperatoris. Hirminmarus Notarius ad vicem Theogonis recognovi. Data Kal Januar. Anno Christo propitio XX Imperii domni Hludovici piissimi Augusti. Indictione XI Actum VVormatia civitate in Dei nomine feliciter Amen.* Non illud diploma scriptum quidem est vicesimo sexto sed vicesimo Imperii anno: *Hirminmari* tamen *Notarii* & *Theogonis* (seu fortè Druogonis) nomina, ut & reliqua hic apparentia, quandoquidem usque adeo conveniunt cum Diplomate Cœnobii Lindaviensis, non obscure profectò etiam hinc patet, veram esse conjecturam nostram, veteratorium illius Diplomatis confictorem eam subscriptionem ex aliquo Pii diplomate per scelus mutuatum esse.

Anno Incarnationis Dom. DCCCLXVI) Neque Pii neque Germanici Ludovici ætate solere adscribi æræ Christianæ annos, nec alienâ manu hosce annos additos: ac proinde argui isthac subscriptione falsi crimen: liquidò probavimus capite septimo decimo loco tertio.

Data XI Kal. Majas anno Christo propitio XXV Imperii Domini Hludovici piissimi Augusti Indictione II Actum Bodamo Palatio) Omnia hæc attemperata satis esse rebus Ludovici Pii Imperatoris (qui tamen Diplomatis conditor non est) probavimus *capite V pag. 36*, & seorsim de Indictione secunda monuimus capite octavo *pag. 132*. Anno autem vicesimo sexto Ludovici Germanici, cui Hyperaspistæ Cœnobiales & quidem ex mente ipsiusmet impostoris, attribuunt hoc diploma, nihil horum ut nec alia quammulta hujus Diplomatis quadrare, prolixè docuimus integro capite illo octavo. Confirmabitur idem paulò pòst in Appendice altera

terâ adhùc clarius, producto diplomate Germanici noſtri Ludovici, dato Francofurti anno XXVI Regis illius, XVI Kal. Maii, Indictione VI.

HISCE notis confoſſum Diploma jam dimittimus, atq; ad orcum unde infeliciter prodiit remeare jubemus. Et verò confidimus, neminem quenquam ſanum aut bonum impoſterum (hiſce quidem noſtris lectis atque expenſis) auſurum ad illud usque adeo nequam ſcriptum provocare; contrà verò omnes omnino pios & intelligentes, improbitatem nebulonis, in confingendis falſis tabulis, iisque utendis ad inclutæ urbis detrimentum & ſacri Cœnobii iniquam πλεονεξίαν adhibitam, unà nobiſcum execraturos.

CAPUT XIX.

Quæ generatim pro Diplomatis fide poſſint videri facere proponuntur & diluuntur.

QUæ falſi indicia allata à nobis ſunt, illorum ſingula firmis adeo ſunt rationibus munita, ut certus ſim nihil eorum poſſe confutari. Meritò igitur jam tum damnavimus Diploma & in orcum juſſimus redire. Non deſunt tamen quæ in univerſum haberi forte queant nonnihil idonea colorem aliquem Diplomati addere, ſaltim apud imperitos & tenero quodam zelo imbutos. Haud patiemur tamen vel hoc modo veritati impoſterum moleſtiam creari. Itaque producemus primùm illa etiam ſpecioſa & deinde diluemus. I.

Primùm igitur iniquum videatur, ſuſpicari de hominibus regularem quam vocant ſanctimoniam profeſſis, quaſi illi confinxerint Diploma, idque in uſum reapſe ſecularem; quo nempe amplioribus bonis inſtructi mollem vitam & dominatum in alios poſſint exercere, quale quid appetere vetat priſca & ſancta vivendi regula. Multo

II. Multo magis *Secundò* nefas videtur, tam gravi ſuſpicione onerare ſexum fœmininum, ineptum ad ejuſmodi fictiones: præſertim ſi ſingularem vitæ ſanctimoniam ille fuerit profeſſus. De Lindavienſibus igitur dominabus neutiquam id genus fraudis eſſe præſumendum. Hoc argumentum viſum eſt etiam Hyperaſpiſtis, quantivis eſſe pretii eoque urgetur *pag. 8. n. 6.*

III. Quantumvis *Tertiò* Diploma hoc non conveniat omni ex parte cum aliis Ludovicianis diplomatibus, durum tamen imò iniquum videtur, propter aliquam diſcrepantiam toti Diplomati falſi crimen intendere, imò illud falſi damnare. Non ſolere alios prudentes æquosque cenſores ita ſeſe gerere, ſed notare ſi quæ inveniantur diverſitates, & referre eas inter rara exempla, ſalvâ de reliquo Diplomatum ipſorum diſcrepantium exiſtimatione, cauſatus Hyperaſpiſta provocavit, *pag. 5.* ad exemplum Aventini, Hundii, Goldaſti & aliorum.

IV. Octingentorum *Quartò* annorum ſpacio nemo de integritate Diplomatis dubitavit. Primum autem Heiderum omnibus aliis, quos inter fuerunt utique viri præclari & docti, perſpicaciorem fuiſſe, non eſt veriſimile. Præſertim quia fuit ille in omnes Cœnobii res iniquus; atque adeo merito ſuſpicandum ſit illum hac in cenſura itidem indulſiſſe affectibus.

V. Neutiquam *Quintò* eſſe veroſimile id quod nos ſæpius affirmavimus, circa confinia demum ſeculi duodecimi & decimitertii præter propter natum Diploma, doceat Conſtantienſis Epiſcopi reſcriptum anno 1242 exaratum, id quod præcedente capite attulimus. Utiq; enim ille Epiſcopus Diploma illud agnovit genuinum: quod fieri haud potuiſſet, ſi à recente adeo manu fuiſſet confictum.

VI. Quæ Regum Principumque nomine edita ſunt Diplomata, illa *Sextò* vel ob ſolam Conditorum auctoritatem fidem

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [360] - 336

dem merentur. Nec verò rejicere illa licet citra aliquod crimen læsæ majestatis. Perinde atque monetam reprobare vultu Cæsaris expressam, nequaquam fas est. Idem autem valet etiam circa hoc Diploma Ludovicianum.

Diploma hoc *septimò* confirmatum est ab aliquot Imperatoribus: atque adeo, etsi etiam fortassis aliquâ laboraret parte à confirmatione Cæsarea vim accepisset. Ut taceam, in Aula Cæsarea indubie ante confirmationem præcessisse rigidum Diplomatis examen: cujus jure major esse auctoritas debeat quàm unius Heideri & nunc mei.

Deniq; conciliare Diplomati integram vim potest longi temporis præscriptio. Fuit enim jam aliquot seculis in possessione fidei & integritatis. Omni itaque dubitationi pridem est præscriptum. Summaque fuerit injuria, nunc demum velle eripere, quod tempus longissimum Cœnobio ejusque Diplomati vindicavit.

QUANTUMVIS autem hæc satis speciosa possint cui videri, reapse tamen nihil horum est idoneum causlam malam Diplomatis vel leviter adjuvare. Quod primum sanè attinet, vellem equidem ita hactenus Monachos cunctosque Clericos instituisse res suas, ut de imposturis & figmentis eorum haud liceat suspicari. Verùm & sacra & profana scripta quamplurima fraudulenter ab iis esse, saltim proximis aliquot seculis antecedentibus, supposita, omnibus est notissimum. Et verò si licet id quod res est profiteri, hactenus sic satis diu nulli generi hominum perindè familiares illæ falsi artes fuerunt. Reperiuntur enim quidem Tabulæ suppositiciæ etiam de profanis civilibus negotiis, sed illas quoque non aliis esse auctoribus fabricatas, argumento illud est certissimo, quod ea fuerit olim temporum ruditas, ut soli monachi & clerici literarum aliquam peritiam habuerint, eoq; reliqui ad comminiscenda vel scribenda talia I.

fuerint inepti. Qua de re ne quis dubitet, in promptu sunt sententiæ ipsorummet Romanorum Pontificum, Imperatorum nostrorum, imo in universum virorum quorumvis doctissimorum, in dignotione falsarum & verarum omnis generis chartarum exercitatorum. Non attingam nunc quæ de suppositiis Ecclesiasticis scriptis fusæ ab illis sunt querelas. Non enim hujus loci est eas adducere; nec grandi volumine eas comprehendam. Tantùm quæ de falsis Diplomatibus illi sunt conquesti, attendi peto. Pro exemplo judicii Papalis satis est observare id quod legitur Innocentii III nomine l. 2. Decretal. cap. XVI. *Inter dilectos.* Loco querelarum Cæsarearum adducemus nunc illa quæ habentur in *Reformatione* der Geistlichen *cap. XV* Sigismundi Imperatoris, inserta operi der Reichssatzungen à Goldasto edito. Verba ita sese habent. Nun sind die Kayserlichen Schreiber auch nicht also gantz und also recht / als sie schweren. Das empfindet man wol an den Instrumenten die von den Klöstern gen Hoff geschicket werden / da sie die Kirchen incorporiren. Do schreiben sie in den Instrumenten jhre Klag und jhre Gebresten / das eitel Lügen seind / vnd man glaubt den Instrumenten, vnd damit so haben die Klöster einen fürgang gehabt / und ist Gott und die Welt betrogen worden mannig Jahr ꝛc. Jam pridem verò ante in scelus illud quorundam Monachorum animadversum esse, indicat rescriptum Friderici I Imperatoris ad Abbatem quendam, quod idem Goldastus *Tomo secundo Recessuum & Constitutionum Imperialium fol. 57* recitavit. *Nuper in Regno nostro quidam circumvagus inventus est Monachus, qui falsas Sigilli nostri formas adulterans, non absq; honoris nostri injuriâ, & tuæ honestatis infamia discurrebat. Vt igitur de Sigillo ipso ulterius flagitiosa figmenta non procedant, ipsum tibi sub annuli nostri clausura transmittimus, & falsarium monachum &c. carceris nostri compedibus mandavimus detineri.* Eruditorum querelæ imo diræ in Monachos ejusmodi nequam adeo multæ sunt,

ut charta deficeret illas omnes adferrentem. Unius proinde Joannis de Launoy Theologi Parisiensis Sorbonici, scriptis quammultis celeberrimi viri, verba quædam nunc adferemus. Is enim libro cui titulus *Discussio cap. 10. p. 127* quasdam Pipini nomine è Sandionysiano Benedictinorum monachorum celebri armario productas literas, sibi oppositas confutans, non dubitavit in hæc erumpere. *Tabularium unde prodierunt, spuriarum chartarum & privilegiorum officina quondam fuit, ut constat legentibus Antiquitates S. Dionysii quas Jacobus Dubletius in lucem emisit.* Non adeo pridem Gabriel Naudæus, Vir multiplici lectione planè incomparabilis & verè ἔμψυχος βιβλιοθήκη, eâque de caussa non olim Galliæ duntaxat sed Italiæ etiam ipsiusque adeo Romæ imo universi orbis eruditi in admiratione, de Benedictinis Monachis ausus fuit libro publico profiteri, *eorum proprium esse quarto modo, ut falsis, adulteratis ac interpolatis documentis in plerisq; suis negotiis utantur ac nitantur.* Vellem equidem, non soli aut toti Ordini crimen, quamvis multorum ejus sodalium, (id quod denique *quarti modi proprium* audit Logicis) imputatum: reapse enim & in aliis Ordinibus sive Societatibus malæ animæ, & in Benedictinis boni complures reperiuntur: quandoquidem tamen lectu per quam digna sunt Viginti ab eruditissimo Naudæo tradita libro, Gallicè *Raisons peremptoires* nuncupato, illustria falsi exempla, quo omne præjudicium de Monachali candore ac fide è medio tollatur, nosque liberemur hactenus omni malignâ suspicione circa Lindavienses Cœnobitas falsi & figmentorum accusatos, dabimus seorsim Naudæanam illam dissertationem è Gallico Latinè versam.

Fuit porro jam tum ab Amplissimo Heidero in falsi argumentis, & Innocentii III Papæ & Friderici I pariter ac Sigismundi illa quorum meminimus allata *magni operis p. 869 & 870:*

nihil autem Hyperaſpiſta vel contra Innocentii vel adverſum Friderici verba, etſi indubie ægris illa oculis viderit, auſus fuit muſſitare. Sola Sigiſmundina *pag. 120* arroſit. Prætexens, anno 1440, quo Reformationem illam ſcripſerat inſtitutam Heiderus, Sigiſmundum jam fuiſſe defunctum: fuiſſe eundem mitiſſimi animi ac proinde illa Sacro Ordini inhoneſta ab ipſo haud profecta: denique nec auctorem der Reichſatzungen eſſe ab Heidero indicatum. Cæterùm autorem illius operis Goldaſtum eſſe jam diximus, & mireris meritò id ignoratum Sociis Hyperaſpiſticis. Fatemur etiam, lapſum memoriâ optimum Heiderum, & pridem ante fuiſſe Reformationem illam conſcriptam: exhibitam nempe Conſtantienſi Concilio anno decimo ſexto ſeculi illius quarti decimi; diverſam longe ab ea quæ anno 41 Friderico Imperante Imperii Ordinum conventui propoſita eſt. Laudamus præterea & nos mitem ac pium Sigiſmundi animum: ſimul verò novimus, vitia Cleri ipſi ſummè fuiſſe inviſa, eorumq; emendationem illum anhelaſſe. Tritthemius *Tomo II Chronici Hirſaugienſis* (ut verba ejus ex MSS. in *Rationali* citat Goldaſtus) cum acriter perſtrinxiſſet illam quâ de agimus *Reformationem*, addit: *Sigiſmundi intentio fuit, Summo Pontifici, Cardinalibus, Epiſcopis, Abbatibus, Monachis & Clericis, legem ad neceſſaria hujus vitæ poſſidenda reſtrictam conſtituere, & unicuiq; pro conditione ſui ſtatus certam pecuniarum ſummam in annuos ſumptus aſſignare: quicquid autem ſupereſſet Eccleſiæ redituum fiſco importaretur communi, & in uſus conſervaretur bellicos contra Turcas Chriſti adverſarios pugnandi.* Dudum porrò monuit Goldaſtus, Germanicam Reformatorii illius libelli verſionem deberi Friderico von Landskron / qui Sigismundo Imperatori fuit à conſiliis.

Quin igitur illa Sigiſmundica genuina habeantur, non ſanè Hyperaſpiſticæ objectiones queunt impedire. Ac proinde

inde, quandoquidem illa aliquamdiu fuit monachorum quammultorum & Cleri quidvis in ſuos uſus fingendi libido, noſtris quæ attulimus multiplicis falſi in Diplomate commiſſi documentis, fruſtra opponitur ex Regulæ præſcriptis inſtituenda quidem, non autem inſtituta, vitæ ſanctimonia.

Agnoſcimus porrò nos quoq; illud quod *Secundum* argu- II.
mentum cauſſatur: ſexum fœminarum Diplomati ejuſmodi confingendo ineptum fuiſſe: neq; illud ſcelus ipſis imputare ſacris Virginibus vel in mentem venit nobis. Hinc verò minimè ſequitur, Diploma non eſſe confictum. Habuerunt ſcilicet ſemper Sanctimoniales illæ ſuos Canonicos & miniſtros alterius ſexus: quorum fraudulentiâ facilè potuit effici quod ſupra ipſarummet Sanctimonialium eſt vires. Conſenſum quondam eſſe in doloſam illam fabricam ab ipſis Sanctimonialibus, niſi fallor licet ſuſpicari. *Quondam* ajo; omnes enim à quadringentis ampliùs annis ſceleris ejus fuiſſe conſcias, neutiquam dixerim. Quo tempore autem primùm confictum eſt Diploma, defuiſſe conſenſum, ſaltim illarum quæ tunc temporis Cœnobii res adminiſtraverunt, vix perſuaderi intelligens aliquis ſibi patietur. Quidni autem ſenſim arcana illa ſcientia fuerit extincta, & tandem bonâ fide creditum verum, quod commentitium eſſe ante non ignorabatur? Fortaſſis quoque ea fuit verſutiâ impoſtor, ut imperitæ fraudum Abbatiſſæ perſuaſerit, non novum à ſeſe fabricatum Diploma, ſed vetus reſtitutum. Non refragabor cuiquam hoc malenti exiſtimare. Quid? quod jam illo tempore quo confictum eſt diploma, Regulam vitæ Sanctimonialis excuſſerat Cœnobium, factum ſeculare: quod nomen hodieque affectat palàm. Nihil igitur facit pro Virginum integra fide Regularis vitæ prætextus.

Cæterùm ſive conſciis ſive deceptis virginibus, in Cœnobio Lindavienſi ſolere interdum ſceleratè nonnulla fin-

gi, prodit utique vel unicum illud quod hujus quoque seculi anno vicesimo & pòst contigit, in ipsa sacra æde Cœnobiali publicatis tabulis & inscriptionibus commentitiis. Persecuti sumus jam tum rem hanc latiùs *cap. 9. pag. 133. 34. 35. & 37.* Vt parcatur pudori & famæ Virginum, nolo nunc illa odiosa repetere. Ratum interim esto: neque sexum fœmininum, neque sanctius aliquod Virginum vitæ institutum, Diploma falsi convictum ab illâ inhonesti famâ posse liberare.

III. Quamlibet *Tertiò* ab aliis Diplomatibus discrepantiam non esse falsi argumentum, fatemur & nos. At verò si ipsa quæ vocantur substantialia ab iis planè dissonent; ut &, si neque loco neque tempori illa conveniant, tunc longè alia est ratio. Impossibile sane est, talia Diplomata rectè sese habere: idque ideo, quandoquidem duo contradictoria simul vera esse nequeunt. Hanc proinde ab ipsa recta ratione præscriptam veri in talibus constituendi regulam, omnes intelligentes hactenus observaverunt. Fecerunt idem Aventinus Hundius & Goldastus, hisce argumentis falsi damnantes haud paucas quæ circumferuntur tabulas. Leviores discrepantias non soli illi sed omnes solent contemnere. Quorum exemplum itaque etiam ipsemet laudo atque imitor. At verò in Diplomate Cœnobiali quævis etiam maximè substantialia, non ab aliis duntaxat Diplomatibus sed à cunctis veteris ævi monumentis plurimùm dissident. Idque nos liquidò demonstravimus. Etiam ergo Tertium hoc non relevat Diplomatis factam condemnationem.

IV. In *Quarto* argumento ineptè jactitatur octingentorum annorum auctoritas & existimatio: cum Diploma circa seculi duodecimi & sequentis confinia denique esse suppositum, vicerimus compluribus documentis. Primum Heiderum observasse commissum scelus, vacat admiratione; quoniam multis de causis licuit illi esse aliis omnibus perspicaciori.

Etenim

Etenim *primò* Diploma in paucorum antehac venerat manus. Non enim observare est, ad seculum usque decimum quintum lectum illud esse, quàm semel Constantiæ seculi decimi tertii anno quadragesimo secundo (etsi merito dubites an omni ex parte tum responderit illi exemplari quod hodie habetur authenticum) semel in aula Friderici III Imperatoris. Qui seculo decimo sexto & nostro attigerunt res Cœnobii, Bruschius, Munsterus, Stumphius, Crusius, Gulerus, Bucelinus, aliiq;, merentur sanè laudem doctrinæ & diligentiæ: sed nemini illorum vel apographum diplomatis esse visum, ostendimus parte secundâ capitis decimi. Vnus eorum vidit ipsum authenticum fortassis Hyperaspista. Posterioribus igitur saltim oculatiorem fuisse Heiderum non est mirum, ut qui apographum Diplomatis habuerit in manibus frequentissime, atque adeo vitia diplomatis potuerit observare quod alii non potuerunt. Nemo *secundò* eâ curâ Diploma examinare potuit quâ id factum est ab Heidero; quia nemini hoc agere usque adeo fuit in officio ut huic viro; nemo etiam fortassis illa examinandi adminicula potuit afferre, utpote cum rari soleant jurium & consuetudinum veterum peritiam sibi comparare, quod Heideri fuit studium maximum. Quàm soleant porrò oscitanter multa passim tractari ab iis quibus talia cordi non sunt, aut quorum non interest curam in illa conferre, aut ab iis qui in illis versati non sunt, notissimum in ipsum est vulgus. Constantiensem Episcopum ea qua par est industria examen diplomatis instituere, vetuit ruditas seculi, ne quid dicam aliud. Mores quoq; aulæ Friderici III, optimi sane Imperatoris, neminem temerè fugiunt.

Igitur primum Heiderum observasse Diplomatis vanitatem neutiquam est cur negetur. Sed illum iniquum fuisse Cœnobio, fœda est calumnia: cui confutando plusquam satis est Opus grande in defensionem Urbis ab illo confectum.

Si

Si quædam ejus argumenta non juſti forte fuerint roboris, erraſſe in nonnullis virum inſignem docet hoc quidem: maligni tamen aut iniqui animi error ille non præbet indicium. Humana enim eſt communis conditio, interdum errare: ſed bonis error invitis obrepit non per malitiam. Hyperaſpiſta quàm inepte ſeſe paſſim geſſerit in vindicando Diplomate, demonſtratum à nobis eſt ſæpius. Plærumq; tamen invitum etiam illum aberraſſe à vero, non de induſtriâ, arbitrabor. Quin igitur nec de Heidero, viro optimo & doctiſſimo, adverſarii ſequius ſuſpicentur.

V. Quod *Argumento Quinto* adfertur de Reſponſo Conſtantienſi, quaſi ex eo, quoniam illud eſt ſcriptum anno MCCXLII, liceat colligere vetuſtatem Diplomatis ſaltim majorem quàm eſt illa à nobis ſignificata, nihili eſt. Enimvero ſpeciem antiquitatis dare rebus recentibus veteratoriæ artis multi ſunt modi. Notum eſt, quid noſtra ætate de Antiquitatibus Volaterranis à Curtio Ingirhamo, quid de Hetruſcis à Bernardino Baldo ſit actum. Vna illarum artium, conſtans aquoſiore encauſto ſive atramento, proditur in ipſomet Innocentii III reſcripto antè à nobis laudato. Quam vafrè jam olim Gabaonitæ impoſuerunt Joſuæ & toti populo Iſraëlitico! Qui ad omnia accurate attendunt ſuntq; gnari malarum impoſturæ artium, illis non ſolet quidem imponi facilè ab illis veteratoribus. Epiſcopum autem Conſtantienſem ejusque homines rudi ſeculo debitâ quælibet curâ examinaſſe, nemini temere probabitur.

VI. *Sextum Argumentum* nullius eſt ponderis. Ponit enim, certum illud eſſe, in quo confutando Heiderus primùm & mox ego multùm laboravimus. Heiderus ſcilicet liquidum fecit, vero Imperatori Ludovico ſecundo non deberi Diploma, & ad confeſſionem adegit Hyperaſpiſtam. Oſtendi ego non uno capite, nec Ludovicum Germanicum, quem voluit ſubſti-

ſubſtituere Hyperaſpiſta, hoc Diploma condidiſſe. Certiſſimus quoque ſum, à Cœnobio mea confutari non poſſe. Cum Diploma itaque mentiatur autorem Imperatorem aliquem, non ſane illi debetur reverentia, quam veris Diplomatibus ſivè Imperatoriis ſive Regiis exhibendam fatemur, & devoto animo exhibemus. Læditur Majeſtas falſis ejus nomine & tabulis & monetis confictis. In ejuſmodi ſtelliones leges acerrimè animadvertunt: inquirere in veritatem tabularum & monetarum, nusquam eſt vetitum. Nec quisquam habitus eſt hactenus peccaſſe, ſi vel monetam vel chartam falſi convictam, etſi Cæſareo aut Regio vultu inſignem, non pari cum bonis & probis cultu acceptaverit.

Ad *Septimum* Argumentum non eſt opus uti addamus quidquam iis, quæ conſultiſſimus Juris omnis Heiderus jam tum reſpondit ad Argumentum ſuum Tertium, quod idem eſt cùm noſtro Septimo. Vi enim veritatis adactus eſt Hyperaſpiſta omnia iſthæc confiteri, in eo uno quærens effugium, quod Diploma Lindavienſe eſſe integræ probitatis à ſeſe ſit demonſtratum. Oſtenſum verò à nobis ex adverſo eſt, Diploma illud omni ex parte commentitium eſſe fœtum nequiſſimi impoſtoris, idq; cùm Heidericis argumentis plærisque vindicatis ab Hyperaſpiſtæ criminatione, tùm noſtris novis falſi clariſſimis documentis in medium productis. Vt proindè jam amplius de vitio Diplomatis nequeat dubitari. Quæ porrò Heiderus docuit de Confirmationis invalido robore, ſi ipſum illud quod confirmatur nequam ſit: illa tanti ab ipſomet Hyperaſpiſta ſunt facta, ut non dubitaverit illis ipſis impugnare auctoritatem eorum Privilegiorum quæ Rudolphus primus & Sigiſmundus laudatiſſimi Imperatores inclutæ Urbi conceſſerunt. Si hic locus pateretur extra inſtitutam Diplomatis cenſuram vagari, ad Hyperaſpiſtæ modum, facilè poſſit à nobis, quàm inepta ſit illa retorſio, de-

VII.

monſtrari. Verum ut hactenus ita etiam nunc continebimus nos intra limites propoſitos. Alterius fortè temporis altera illa cura eſſe poteſt. Quandoquidem autem jam certum denuò eſt redditum, Diploma ipſum eſſe malæ notæ, probabimus duntaxat Heiderianis adductis, proprio noſtro labori parcentes, nihil morbido per ſe Diplomati Confirmationes, quæ vel à Friderico III vel à ſecutis Auguſtis Imperatoribus ſunt factæ, remedii ſive auxilii conferre eſſe aptas. *Notiſſimi juris eſt* (ait Heiderus pag. 870) *quod confirmans nihil novi det, ſed vetus confirmet, & ita quidem confirmet ut in antiquo ſtatu relinquat. c. 1. de confirmat. util. vel inutil. c. cum dilecta §. nuper autem eod. tit. & c. quia intentionis. de privilegiis. Cumprimis verò Confirmatio Principis in præjudicium tertii, ſive ad ea, in quibus agitur de præjudicio alterius, non extenditur. c. ſi Apoſtolicæ 22. ubi gloſſ. in verb. confirmamus de præbend. in 6. Joan. à Borck conſ. 25. n. 338. §. idem etiam probat. in tom. V. varior conſilior. German. Et multò magis, ſi Privilegium Confirmationis ſit obreptitium, puta quia ſit confirmatorium alicujus falſi inſtrumenti aut ſimulati contractus, & horum non ſit facta mentio Principi confirmanti: talis confirmatio nullius momenti eſt, etiamſi adjectæ ſint clauſulæ: Quatenus actus valet, confirmamus, ſin minus de novo concedimus.* Item: *ſupplentes de plenitudine poteſtatis omnes defectus tam juris quam facti, Gail. (poſt Panormit.) lib. 2. Obſerv. 1. num. 17. circa fin. Etenim, ubi non valet conceſſio, ibi nec valet confirmatio; etiamſi clauſula ex certâ ſcientiâ, vel ex plenitudine poteſtatis, apponatur. Panorm c. inter dilectos. 6. num. 8. de fide inſtr. Cumprimis ubi cauſæ cognitio omiſſa eſt, Zaſi. lib. 2. conſ. 16. num. 30. Deinde, etiam erronea Impp. narratio*

ratio (& sic etiam confirmatio) nemini nocere debet, cum habeatur pro non scriptâ. Menoch. cons. 91 num. 38. cons. 147. num. 27. cum duob. seqq. Et error eo ipso detegitur, ut supra dictum, ex quo constat, rem aliter se habere, l. de ætate 12. §. ult. De interrog. & l si post divisionem. 4. C. de jur. & fact. ign. ubi Iason copiosè col. 1. Cravett cons. 157. num. 8. Denique etiam diserta Principis Confirmatio & ex certâ scientiâ facta, nihil operatur in his quæ sunt facti; sed tantum in his quæ juris sunt, quippe quorum Princeps præsumitur habere notitiam. Meichsner. tom. 3. decis. 14. num. 64. Hactenus Heiderus omnigeni Juris non minùs atque Germaniæ Antiquitatum peritissimus.

Quandoquidem verò Confirmatio adeo parum valet constituere in rebus iis quæ aliàs sunt humani arbitrii, quanto minus poterit Confirmatio id quod falsum est verum facere! Nostri autem nunc instituti est, non tam disputare, utrum ea quæ fictum Diploma invalidè scisicit, Confirmatione Imperatoria possit ratum fieri; ex nova scilicet liberalitate Cæsareâ novo possidendi jure enato: quàm utrum possit Cæsarea Confirmatio fictum Diploma facere non fictum. Et verò in Jurisconsultorum scholâ de priore non omnes idem sentiunt, etsi præponderent illa fortè quæ disseruit Heiderus: posterius tamen (quo de nos hîc agimus quàm maximè) omnes in universum fatentur esse impossibile. Utut igitur Confirmatio aliquot Cæsarum prosit improbis Cœnobii possessionibus illis quas fortassis hactenus obtentu Diplomatis est consecutum, non tamen ipsam Diplomatis auctoritatem vel tantillùm poterit adjuvare.

Quod præterea in Argumento dictum est, de præsumendo fideli Diplomatis examine Confirmationes Cæsareas antegresso,

greſſo, non eſt quod nos multum nunc moretur. Nemi-nem enim præterit quanta negotiorum multitudo habeat au-lam occupatam, & caveri non poſſe quin multa ſubinde ſub & obreptitie impetrentur. Agnoſcunt ſanè ultrò & publice confitentur hoc ipſum omnia Palatia: ac proinde ſæ-piùs quamplura eadem auctoritate rejiciunt quâ ante con-ſtituerant. Jam tum olim Friderico I impoſuiſſe Aquis-granenſes & Sigiſmundo Friſios, commentitiis iisq; perquam ineptis Caroli Magni nomine exhibitis privilegiis, pridem viri doctiſſimi complures docuerunt.

Id cumprimis meretur in Diplomatis hac cauſſa etiam atque etiam attendi: quod primò omnium à Friderico III Imperatore Confirmatio aliqua Diplomatis facta ſit. Cum objeciſſet hoc ipſum Ampliſſimus Heiderus, & olfeciſſet ob-jectionis vim Hyperaſpiſta, non erubuit ille *pag. 121* affirmare, factum eſſe idem jam tum ante â Sigiſmundo Carolo IV & Rudolpho primo Cæſaribus. Vsque adeo autem impudens hæc eſt aſſertio, ut ne jota quidem productum ſit hactenus o-mnium illarum Diplomatis hujus Confirmationum. Quod in-dubie magno ſtrepitu egiſſent Hyperaſpiſtæ ſi quæ earum re-periretur. Non negamus, generalem aliquam impetraſſe Con-firmationem ſuorum privilegiorum à Carolo & Sigiſmundo. Sed illæ nihil ad hanc rem facit. Imo indicant illæ, tunc temporis Cœnobiales non fuiſſe auſas Diploma hoc ſuum in aulis producere, voluiſſe autem Cæſaribus imponere, quaſi nempe habeant multa veterum Cæſarum privilegia. Nunc enim non diffitetur Cœnobium, ſibi hoc unicum eſſe. Atq; ita jactantia ſua Cæſares illos decepit. Veritum præterea eſt Cœno-bium eâ tempeſtate rigidius aliquod malè ſarti ſui Diploma-tis examen: callideque igitur ab hominum ſemovit conſpectu ſuum iniquitatis myſterium. Saltim porrò Rudolphinam nullam dari Confirmationem, haud obſcure fateri coacti ſunt

Hyper-

Hyperaſpiſtæ, dum provocarunt duntaxat ad revocatoriam illam tabulam qua Cæſar iſte irrita reddidit Vrbibus inique & in præjudicium Cleri conceſſa privilegia. Illa autem Tabula tantùm in communè aliquid ſciſcit; nullum ſeorſim Clerici Ordinis jus aliquod attingens, multò minus Cœnobiale hoc nequam Diploma.

Quamvis autem vera ab illis Imperatoribus inſtituta fuiſſet Diplomatis Confirmatio, nihil tamen aliud illa doceret, quàm à temporibus usque Rudolphi Diploma aulis Cæſarum aliquot ſe probaſſe. Sed eo ipſo augeretur ſuſpicio, circa illam demum tempeſtatem natum eſſe adulterinum iſtum fœtum. Utique enim à Ludovico Germanico usque tantùm non perpetuæ fuiſſent factæ confirmationes, ſi Diploma ejus eſſet antiquitatis. Enimvero concidente cum Friderico ſecundo Imperatore priſtinâ Cæſarum auctoritate, & à diuturno atque infauſto interregno usque, longè rariùs ſolito fuerunt petitæ Confirmationes: at vero ſeculo nono, decimo, undecimo, duodecimo, nullum privilegium creditum eſt valere niſi accedente novâ ejus Confirmatione, ſecùs ac poſtea perſuaſum plærisque fuit. Eoque in tabulariis paſſim ſuperſunt ex illis ſeculis frequentiſſimæ Confirmationes. Si Diplomatis utique Cœnobialis nullæ factæ ſint Confirmationes per tam multa ſecula, contra receptum & omnibus notum Imperii morem, indicio illud fuerit certiſſimo, Diploma illud omnibus illis ſeculis eſſe recentius. Meritò ſanè ab Ampliſſimo Heiderò defectus ille Confirmationum Notis falſi eſt nono loco annumeratus: etſi non urgeas illud quod idem adduxit de Exſpectativis. Hyperaſpiſta *pag. III. n.2.* vim objectionis vix tangit, multò minùs frangit eam. Ignorari, ſcribit, utrum Confirmationes fuerint impetratæ nec ne, quoniam incendiis monaſterium deſtructum fuerit.

fuerit. Nec necessarias fuisse Confirmationes, quia nemo fuerit qui Cœnobii privilegium hoc impugnaverit, prius quam id ausi fuerunt Lindaugienses. At vero jam tum dictum, priscis illis ante infelix interregnum seculis fuisse creditum, nullum privilegium valere defuncto concedente, eòque opus semper esse iterata Confirmatione. Neq; potuerunt Cœnobiales commune hoc jus Cæsareum passim receptum ignorare. Ac proinde si hujus Diplomatis omni illo longo temporis intervallo nec petita à Cœnobio, nec data à Cæsaribus fuit Confirmatio, aut non extitit illud aut nullius fuit momenti existimatum. Quod si reapse validum fuerit Diploma citra Confirmationem, nec, si quid Lindavia Urbs forte sibi voluit, Diplomati hoc potuit nocere: falsòque adeò hoc quidem obtenditur petitæ demum à Friderico III Confirmationi: præsertim quia tunc temporis Inclytæ Urbi plane fuit ignotum. Quin potius caussa tam serò petitæ Confirmationis videtur esse, quod olim quidem Diploma illud nondum fuerit natum, Friderico autem tertio Cæsare demum, speciosò illo Diplomate quasi munitum, Cœnobium cœperit res novas moliri. Quæ de incendiis Hyperaspista caussatur, bonis testimoniis carent. Oppidum sanè non Cœnobium fuisse anno 948 crematum, probavimus *pag. 233*, & *seq. pag.* adduximus idem asserentes Cœnobiales ipsos. Ideoque Munstero asserenti, das Kloster ist offt verbrunnen fürnemlich im Jahr 948/ derhalben es in abfal kommen/ & hujus unius hoc dicto subnixo Hyperaspistæ, hactenus non debet aut potest credi. Quod nomina Abbatissarum perierint, non tam incendio videtur adscribendum quàm negligenti rerum sacrarum curationi. Cui porrò fiat probabile, omnia flammis periisse præter unum illud Diploma? Sed non est cur huic loco ampliùs immoremur: ac proinde non etiam est quur quid-

quam

quam regeramus ad Hyperaſpiſtæ ineptias *pag. 121. n. 2.* in medium adductas. Indicaſſe eas perinde eſt ac refutaſſe.

Vltimum Argumentum fallit duntaxat ſpecioſis vocibus *poſſeſſionis* & *præſcriptionis*: reapſe autem itidem nullius eſt roboris. Obſervandum enim eſt, *præſcriptionis immemorialis* vim quidem magnam eſſe, ſed non niſi circa veras & propriè non autem μεταφορικῶς dictas poſſeſſiones: verè autem & propriè poſſideri demum illa poſſe quæcunque ſubjacent humano dominio aut arbitrio. In quæ ſanè hominibus dominium vel arbitrium non competit, illa nec verè poſſideri nec uſucapi ab hominibus poſſunt. Jam autem veritas aut falſitas enunciationum non obnoxia eſt dominio aut arbitrio humano; nec ergo poterit quisquam ſuo arbitrio quod falſum eſt verum quod verum eſt falſum reddere. Nullus circa veritatem & falſitatem uſucapioni, nullus proinde etiam præſcriptioni eſt locus. Per aliquot mille annos licet habitum fuerit verum id quod falſum, eſt nihilominus & in æternum manebit falſum. Jampridem hoc ipſum oſtendi Vito Erbermanno Jeſuitæ, more quorundam Sociorum ineptè jactitanti Præſcriptionem immemorialem ſuorum dogmatum. Nulla igitur eſſe etiam poteſt vera poſſeſſio humana creditæ alicujus exiſtimationis Diplomatis Cœnobialis. In veritatem aut falſitatem ejus nullum competit hominibus dominium vel arbitrium. Nec veritas nec falſitas ejus poteſt uſucapi. Ac proinde, etſi aliquot centenis millibus annorum habitum fuiſſet Diploma illud verum, reapſe tamen adhuc eſt falſum & erit perpetuò. Ineptè jactatam exiſtimationis illius antiquitatem, nunc non moramur: non ſanè illa eſt magna. XIX.

Alia autem eſt ratio ipſarum rerum de quibus agit Diploma. Illæ enim in dominio ſunt hominum: adeoque circa illorum

illarum poſſeſſionem locus eſt præſcriptioni immemoriali. Et vero Præſcriptionis vim ab ipſo eſſe Naturali, non autem à ſolo dependere Civili jure; valere quoque in iis etiam quorum primus poſſidendi titulus iniquus fuit: demonſtravi *cap. XIX Operis de Finibus Imperii Germanici n. V.* Quæ autem ſit ratio poſſeſſionum Cœnobii, non eſt hujus inſtituti inquirere, quippe qui non niſi in Cenſura Diplomatis ſimus occupati.

Quandoquidem verò nec Præſcriptio Diplomati conciliare apta eſt vim aliquam contra ea falſi crimina quæ in eo commiſſa eſſe prolixe hactenus demonſtravimus, non etiam eſt cur amplius huic negotio immoremur. Maneat itaque Diploma falſi damnatum, & in orcum revertatur.


F I N I S.

APPEN-

APPENDIX
CONTINENS PRIORIS OPERIS ALIQVOT SVPPLEMENTA.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [377] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [378] - -

I.

DIploma sequens exhibetur in Supplementum duntaxat Capitis quarti, quo producta sunt varia Ludovici Germanici Diplomata. Ex iis autem primo loco Capitis VI demonstravimus, Ludovicum Germanicum in nullo Diplomate usum esse titulo Imperatorio. Id quod hoc Diplomate confirmatur. Esse illud quoad plærasque saltim partes integrum, nihil est causſæ quare negemus. Epilogus tamen omninò est corruptus. Nec enim convenit cum quoquam reliquorum Ludovici illius Diplomatum. Etiam nulla autem facta cum iis collatione manifestum est, mendosum esse saltim illud: *Ludovici Serenissimi Regis*, nullo Regni anno adscripto. Constat porrò ex Bulla Nicolai primi Papæ inter Lindenbrogii Hamburgensia Privilegia superstite, Papæ illius auctoritate compositum esse negotium de Ramsola: & indubiè respiciunt huc illa Diplomatis *de Romanæ Sedis auctoritate*. Jam verò Nicolaus ille sedit ab anno 858 usq; 868: & Bulla ejus scripta anno Pontificatus quinto, qui est Christi post octingentesimum sexagesimus tertius. Supra modum itaq; aberratum est in annis Incarnationis. Imo illorum nulla debuisset fieri mentio. Sed nos damus illud Diploma quale in *Historia Ludovici Pii cap. 32. fol. 72.* dedit Letznerus, & G. Fabricius *l. 1. Saxon.* nisi quod Trevirensi nomen suum Hetti reddiderimus. Possunt vero de negotio illa legi nonnulla etiam apud Adamum Bremensem *l. 1. c. 23.* & Albertum Stadensem ad annum 41 & 58. Cæterum à nobis in eum duntaxat finem Diploma est allatum, ut corroboretur illud quod asseruimus, Ludovicum Pii filium Regem non autem Imperatorem audiisse.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE Trinitatis, Ludovicus divina favente gratia REX. Notum esse volumus omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus nostrisque, præsentibus & futuris, qualiter beatæ memoriæ præcellentissimus Rex avus noster Carolus, tempore prædecessorum nostrorum, divino afflatus Spiritu gentem Saxonum sacro cultui subdidit, jugumque Christi, quod suave ac leve est, usque ad terminos Danorum sive Slavorum corda ferocia ferro perdomans, docuit: ultimamque regni ipsius partem trans Albeam, inter mortifera paganorum pericula constitutam, videlicet ne ad ritum relaberetur Gentilicium, vel quia lucrandis adhuc gentibus aptissima videbatur, proprio Episcopali vigore fundare decreverat. Sed quia effectum mors prohibuerat, succedente ejus filio Ludovico Imperatore Augusto, pium studium sacri genitoris sui efficaciter implevit. Cujus etiam auctoritate in Nordalbingorum populo sedes constituta est Archiepiscopalis in Castello Hammaburg nuncupato. In eadem sede Archiepiscopus, accepto à sede Apostolica pallio, primus est nominatus Ansgarius. Cui delegatâ curâ seminandi verbi Dei & animas lucrandi Deo, delegavit etiam Genitor noster eidem Archiepiscopo quandam Cellam Turholt vocatam, quatenus eidem loco periculis undique circumdato fieret supplementum. Cumque ego, quem divina clementia in sedem regni ejus ad sciverat, in multis regni disponendis negotiis insisterem, hoc quoque prædictum patris mei studium velut REGNI in

finibus

finibus peractum minus cautè attendi. Vnde contigit, ut peccatis populi exigentibus, Deique permittente occulto judicio, ipsa Metropolis Hammaburg penitus devastaretur. Cumque prædictus Archiepiscopus in multis esset pressuris & calamitatibus, & fratres Congregationis ejus una cum Sanctis pignoribus per varia loca circumeundo, huc illucq; vagarentur, & nusquam sedem haberent quietam: matrona quædam nomine Ikia divino amore tacta, ex sua hæreditate possessiunculam tradidit, in sylva Ramesola nominata, in pago Bardengoa, in Episcopatu VValdagari Verdensis Ecclesiæ Episcopi, ubi & Cellam construxit, & Reliquias Sanctorum unà cum Fratribus qui supererant collocavit. Quamobrem adiit Celsitudinem nostram, miseriarum suarum ordinem lacrymabiliter exponens: unicum namq; refugium, Monasterium videlicet Turholt nuncupatum, quod illi Genitor noster ad supplementum & victum sibi suisq; Clericis dederat, ex parte fratris nostri Caroli Regis ablatum non sine magno dolore conquestus est. Vnde & nos paterna simul & REGALI pietate commoti, quærere cepimus quomodo ei solatium subsistendi faceremus, quo Legationis sui mandatum perficere posset. Et quia in eadem provincia Cellam nullam huic Legationi habebamus congruam, suggerere studuimus prædicto VValdagario Verdensis Ecclesiæ Episcopo, ut ejus permissione ei liceret in supradicto loco Ramesloa monasterium ex suis impensis construere. Vbi & Fratres, qui tantæ cladi superfuerant, nostro cæterumque Dei fidelium auxilio

Juſtentarentur; & ipſe locum reſpirandi, & ſi unquam facultas ſuppeteret, propter vicinitatem ejusdem loci, Hammaburgenſem Eccleſiam reſtaurandi haberet, ſub ſuo ſucceſſorumque ejus regimine manſurum. Cui quidem rei ipſe admodum contrarius extitit. Poſtmodum verò VVormatiæ habito generali Conventu, in noſtra noſtrique fratris Lotharii Regis præſentia, præſentibus Archiepiſcopis Ebone Remenſi, Hetti Trevirenſi, & Otgario Moguntinenſi, cum pluribus aliis utriusque Regni Præſulibus, hæc eadem res noſtro juſſu diligentiſſimè ventilata eſt. Quæ cùm ab omnibus licita & concedenda probaretur, ut prædictus Pontifex VValdagarius hoc ipſum ſua autoritate concederet & confirmaret, cuncti rogavimus. Qui primo quidem fortiter reniti cepit; non eſſe juſtum multipliciter aſſerens, ut honorem ſuæ Sedis in aliquo minueret. Poſtremò tamen & nobis ipſis & cunctis Epiſcopis ibi aggregatis, pro hoc ipſo eum rogantibus, & omnino cauſſa neceſſitatis id licitum fore dicentibus, evictus conceſſit & conſcripſit.

Quapropter conſulto fidelium noſtrorum, tàm noſtra quàm ſanctæ Romanæ Sedis authoritate, per hoc noſtræ REGIÆ dignitatis præceptum, præcipimus firmiter atque jubemus, ut prædicta Cellula Ramesloa nuncupata ſub poteſtate ac regimine Ansgarii Hammaburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi ejusque ſucceſſorum absque omni contradictione perpetuàliter maneat.

Homines

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [382] - 358

Homines quoque qui eidem Cellulæ ſervire videntur, ob amorem Dei & S. Sixti Confeſſoris ejus, ad noſtram noſtræque Sobolis perpetuam mercedem, ab omni expeditione vel militia, ſeu qualibet occupatione, abſolvimus. Vt idem Venerabilis Archiepiſcopus ad hanc dignam Deo peragendam in proviſis temporibus Legationem, nullum in hoc patiatur impedimentum. Res quoque Sedis ac præſcripti Monaſterii, ſub pleniſſima defenſione & munitatis tuitione, volumus ut conſiſtant ac tueantur: ita ut nullus Iudex publicus aut alia quælibet poteſtate publica prædita perſona, de eorum rebus, freda, tributa, manſionaticos, vel paratas, aut theloneum vel fidejuſſores tollere, aut homines ipſorum, tàm litos quam & ingenuos, ſuper terram eorum commorantes, diſtringere, nec ullas publicas functiones aut redibitiones vel illicitas occaſiones requirere vel exigere præſumat. Sed liceat Venerabili Archiepiſcopo ſuisque ſucceſſoribus ac omni Clero, ſub eodem regimine conſtituto, quietè in Dei ſervitio degere, ac Nobis Prolique noſtræ atque ſtatui totius Regni noſtri divinam miſericordiam exorare. Et ut hæc authoritas ſui vigoris perpetuam habeat firmitatem, manu noſtra propria ſubter eam firmavimus & annuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus.

Data 6 Idus Iunii, Anno Dominicæ incarnationis DCCC XII. *Indict. VI. Ludovici Sereniſſimi Regis, in Francofurdt Palatio Regio. In Dei nomine feliciter Amen.*

II.

Quarto Capite *pag. 55* edidimus ex Magero Diploma Ludovici Germanici illud, quod anno vicesimo Regni Orientalis Franciæ dedit Tigurino Cœnobio: *pag. 59* addidimus ex Bartholomæo Schobinbergero subscriptum illi Diplomati Monogrammum quod olim appellaverunt. Ex eo nacti sumus illius Diplomatis non integrum duntaxat ex ipso Autographo descriptum, sed etiam ab Illustris Tigurinæ reipublicæ ministro vidimatum, ut loquuntur, & Sigillo Urbis publico munitum Apographum. Cum nunquam tanti momenti Diploma integrè sit publicatum, & in ipso ejus contextu Mageriana editio interdum sit lapsa: adhoc nunc demum vultu, Ludovici Germanici & subscriptio Diplomatis plena possit exhiberi: operæ fore pretium arbitror, si quale nactus sum Diploma illud nunc in lucem proferam. Et verò apparebit nunc, facta collatione ad oculum, id quod diximus, Sigillum Diplomatis Cœnobialis Lindaviani non referre effigiem Ludovici Germanici sed Patris Pii: non Monogrammum porro esse illius sed hujus Pii; & denique non Imperatorem sed *Regem* sese nuncupasse Ludovicum Germanicum, etiamsi filiæ suæ Hildegardæ & suo Monasterio isthoc Diplomate voluerit consulere.

Characteres literarum Diplomatis hujus plurimùm sunt ab iis diversi qui nobis in usu, eòque typis exprimi non poterunt. Quoniam verò diphtongus AE more antiquo duabus literis distinctis non autem in unam Æ coalitis semper scripta est, etiam nos illud heic observabimus.

In Nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis. HLVDOVICVS, divina favente clementia Rex. Si de rebus terrenis quas divina sumus largitate consecuti ad loca sanctorum ob divinum amorem regium morem decen-

decenter implentes aliquid conferimus, hoc nobis esse profuturum ad aeternae remunerationis praemia capessenda liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium sanctae dei ecclesiae nostrorumque praesentium scilicet & futurorum industria qualiter nos pro serenissimi Imperatoris avi nostri Karoli & praestantissimi Hludowici Augusti domni ac genitoris nostri nec non & nostra sempiterna remuneratione ac pro conjugis prolisque nostrae charissimae perpetua mercede curtim nostram turegum in ducatu alamannico in pago durgaugense cum omnibus adjacentiis vel aspicientiis ejus seu in diversis functionibus. Id est, pagellum uroniae, cum ecclesiis domibus ceterisque aedificiis desuper positis mancipiis utriusque sexus & aetatis terris cultis & incultis, sylvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, adjacentiis, perviis, exitibus & regressibus, quaesitis & inquirendis, cum universis censibus & diversis redibitionibus. Insuper etiam forestem nostrum albis nomine, & quicquid in eisdem locis nostri juris atque possessionis jure proprietatis est, & ad nostrum opus instanti tempore pertinere videtur, totum & integrum ad monasterium nostrum tradimus quod situm est in eodem vico turegum, ubi sanctus felix & regula martyres Christi corpore quiescunt. quod nobis videlicet eo rationis tenore complacuit agendum, ut deinceps inposterum ibidem omni tempore sanctimonialium feminarum sub regulari norma degentium vita conservatioque monasterialis monastico cultu instituta caelebretur,

bretur, & libentius propter hujus loci supplementum à nobis jam praedictis martyribus dediti dei famulatus illic exhibeatur, ac pro nostra debitorumque nostrorum omnium mercedis augmento diligentius ac uberius domini misericordia exoretur. Volumus etiam ut fidelium nostrorum noverit benevolentia, quod paterna pietate commoniti supradictum monasterium cum omni integritate una cum nostra traditione in locis praefatis dilectissimae filiae nostrae hildegardae in proprietatem concessimus, ut quantum domino permittente valeat, familiam in eodem monasterio domino militante suoq; dominatui subjectam disciplinis regularibus & observantiae monasterialis institutione corrigat & nutriat, locaque ipsa sibimet concessa quantum vires suppeditent profectibus & emendationibus augmentando provehat ac emendet. Denique jubentes praecipimus ut nullus judex publicus nec comes nec quislibet ex judiciaria potestate in locis praefatis vel in cunctis rebus ad eadem loca respicientibus seu homines tam liberos quam & servos qui illic commanere videntur distringere aut infestare nec fidejussores tollendos aut ullas redhibitiones vel fredas aut bannos exigendo, aut alicujus injuriae vim ullo unquam tempore inferre praesumat, sed sub nostra defensione & munitatis tuitione cum advocatis ibi constitutis res illae secure per diuturna tempora permaneant. Et ut haec auctoritas donationis atque confirmationis nostrae firmior habeatur, & per futura tempora à cunctis fidelibus sanctae dei ecclesiae nostrisq; praesentibus

bus & futuris verius credatur atque diligentius conſervetur, manu propria noſtra ſubter eam firmavimus & annuli noſtri impreßione adſignari jußimus.

Signum  *domni hludovici glorioſiſſimi regis.*

Comeatus Notarius ad vicem Radleici recognovi.



Data XII Kal. Aug. Anno Chriſto propitio XX regni domni hludovici ſereniſſimi regis in Orientali Francia Indictione primâ Actum Keganesburg. In dei nomine feliciter amen.

III.

Dabimus jam Diploma hactenus nunquam editum; & quidem non minùs atq; prius ex ipſo Autographo fide publica Illuſtris Tigurini Senatus deſcriptum. Apographum ſigillo Inclytæ illius reipublicæ roboratum penes me nunc eſt: exhibens etiam characteres ipſos literarum quales in Autographa membrana reperiuntur, multùm differente à noſtris figurâ

gurâ. Quapropter nec illos possum nunc typis reddere. Dabo tamen omnia fide bonâ pro nostri temporis ratione: cumprimis circa usum diphtongi illius AE, cujus forma illi ævo insolens Æ prodidit falsariam in Lindaviensi Diplomate adhibitam manum.

Plura autem quàm ex quoquam alio Diplomate hinc discere est. Imo unicum hoc par est convincendæ Lindaviensis Diplomatis falsitati: atq; adeo pro compendio potest esse confutationis. Quandoquidem quinque duntaxat diebus vetustius est illo altero Impostoris, eodem anno & mense conditum.

I. *Primò* autem hinc confirmatur id quod *capite VI* asseruimus, Ludovicum Pii filium nec fuisse nec audiisse Imperatorem, idque constare ex omnibus adhuc superstitibus ejus Diplomatibus. Etenim heic quoque Ludovicus ille, & in ipso Diplomate, & in Sigillo vultum ejus referente, & in reliqua subscriptione, non *Imperator* sed *Rex*, & quidem *In Orientali Francia regnans:* avus contra Carolus *Serenissimus Imperator*, & Pius pater *Præstantissimus Augustus* appellantur. Id quod indicio est, in Cancellariâ Regia, ut aliàs ita etiam tunc temporis fuisse recepti moris, non Imperatorem sed Regem vocare Pii filium Ludovicum. Idque cum fuerit sanctè observatum *XVI Kal. Maii:* contra Cancellariæ illam pristinam consuetudinem intra dies quinque, *XI* nempe *Kal. Maii*, Regium Ludovici titulum in eadem Cancellaria quisnam in Imperatorium commutaverit? Et verò omnia etiam pòst secuta Diplomata solum Regium cognomentum habent. Quæ inter Hervordiense cum scriptum sit XVI Junii sequentis mensis, argumento est certissimo, Cancellariam illa ipsa tempestate solum Regium titulum sollicitè sanctèque recepto hactenus more expressisse.

II. Confirmatur hinc *Secundò* id quod *quinto capite* adstruximus

ſtruximus, Sigillum & Monogrammum quibus munivit impoſtor ſuum Lindavienſe Diploma, non eſſe Ludovici Germanici. Enimvero vultus Lindavienſis ille non convenit ſive hujus ſive antecedentis Diplomatis Regiæ imagini, ſed ceu jam tum oſtendimus *pag. 7* alibique, Pii eſt patris. Non fateor hujus etiam Diplomatis Sigillum idem eſt cum prioris. Verùm indubie diverſitas illa inde eſt, quoniam vergens in ſenectutem Ludovici ætas multis tunc fuit morbis obnoxia; atque ita inta ſexennium ſucculentia faciei in maciem mutavit. Utraque ſane imago ab illa Diplomatis Lindaugienſis multùm differt. De Signi diverſitate non opus eſt verbum addere.

Confirmatur *Tertio* illud quod *cap. IIX pag. 129* oſtendimus, anno illo quem Diploma ipſum Lindavienſe natalem ſuum eſſe refert, non *Hugonem* ſed *VViegarium* dignitate Archicapellani in Palatio Ludovici Germanici functum eſſe. Etiam heic ſcilicet *VViegarius* non aliquis *Hugo* comparet. Nec eſt quod dicas, Wiegario Hugonem datum ſucceſſorem; nam hoc Diploma quinto die ſcriptum eſt ante diem natalem Lindavienſis: & tamen in Hervordienſi menſe Junio exarato Diplomate idem ille Wiegarius laudatus eſt Archicapellanus non Hugo. III.

Confirmatur hinc *Quarto* etiam illud, quod probavimus ejusdem *Capitis Octavi pag. 131.* Ludovicum anno 26 Regni menſe Aprili, non vixiſſe in Alemannia: atque adeo XI Kal. Maii Bodami non conditum eſſe Diploma Lindavienſe. Et verò manifeſtum eſt ex hoc Diplomate, jam tum die XVI Aprilis (is enim eſt XVI Kal. Maii) Francofurti degiſſe Ludovicum. Si Diploma autem Lindaugienſe audimus, vixerit ille in Alemannia Bodami die Aprilis XXI; nam & ille eſt XI Kal. Maii. At verò diſertè Annales Francici referunt, ex quo Francofurtum advenit Ludovicus, in menſem Novembrem usque ibi componendarum turbarum ergò permanſiſſe. IV.

ſiſſe. Sed & impoſſibile eſt, ſpacio quinque dierum Francofurto Bodamum cum aulico comitatu potuiſſe Regem ſenem migrare.

Cum in foro Cæſareo oppoſitum hoc fuiſſet, Cauſſidicus Cœnobialis non dubitavit illam objectionem contumeliosè inceſſere: quaſi ſcilicet patronus Urbis ignoraverit, Ludovico plures una fuiſſe diverſis in locis Regias curias, atq; ita uno eodemque tempore & Francofurti & Bodami literas Regias potuiſſe expediri. Verumenimvero juſtiùs accuſaveris inſcitiæ & ἀβλεψίας, illum virulenti ſtili Cauſſidicum. Privilegia enim aut Diplomata Regia eſſe condita Regibus abſentibus, nemo quisquam fortaſſis ante illum Causſidicum affirmavit. Cancellariam verò Regiam non niſi unicam tunc fuiſſe, eamque Regem ipſum comitari ſolere, perinde atque Comes Palatii & Archicapellanus tantùm præſente Rege officiis ſuis ſunt functi, ex monumentis Francici ævi compertiſſimum eſt legentibus. Hinc omnibus genuinis Diplomatibus ſolet addi illud: *manu propria noſtra ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.* Quale quid Regibus abſentibus adſcribere, fuiſſet contra bonam fidem. Et verò *Signum* non eſſe Diplomatibus manu Regum propria adſcriptum, nefas fuerit affirmare: hactenus ſanè nemo affirmavit. Quum illud itaque fuerit olim perpetui moris, ſi non inſcitiam ſaltim malitiam arguit Causſidici aſſertio. In Diplomate Lindaugienſi Impoſtor neglexit quidem adſcribere illud: *manu propria noſtra ſubter eam firmavimus*, addidit tamen illud manus Regiæ *Signum*: atque ita etiam ille voluit exiſtimari, eſſe illud manu Ludovici propria adſcriptum. Adhoc ſtatim initio Diplomatis illud loquentem fecit Ludovicum de Adalberto: *obtulit obtutibus noſtris quoddam Cœnobium ſanctimonialium nomine Lindaugia:* igiturque præſentem dediſſe

disse illud Privilegium Ludovicum etiam ipse voluit. Si Caussidicus hæc observavit, malus: sin, cœcus fuit.

Quoniam omnia autem illa quæ diximus confirmentur hoc Diplomate, consequens omnino est etiam illud quod professi paulò ante sumus, unicum hoc falsi convincendo Lindaugiensi Diplomati, etsi nec verbum addas, satis esse.

In duobus tamen fateor dissentit hoc Diploma ab iis quæ *Capite* isthoc *octavo* memoravimus, in nomine scilicet Subdiaconi & anno Indictionis. At verò cum Hervordiense Diploma mense integro sit recentius isthoc Tigurino, quidni interea temporis Hadedeo Subdiacono potuerit substitui Albertus Subdiaconus? Hirminritum tamen Lindaugiensem in Cancellaria tunc nullum fuisse, etiam hinc liquet. Indubie etiam Cancellaria Ludovici numeravit tunc temporis Indictionem sextam; & fallit forte calculus Helvicianus, quem nos secuti eramus.

Cæterùm exhibebimus jam ipsum illud Diploma: quale quidem nostris typis potest exprimi; bonâ nihilominus fide, & ne quidem dissimulatis ævi illius scriptorum vitiis.


In Nomine Sanctae et Individuae Trinitatis Hludovicus divina favente gratia rex. Si de rebus terrenis quas divina sumus largitate consecuti ad loca sacra ob divinum amorem aliquid conferimus profuturum nobis esse ad aeternae remunerationis premia capessenda hoc liquido credimus. Quapropter comperiat omnium fidelium sanctae dei ecclesiae nostrorumque, praesentium scilicet & futurorum, industria, qualiter nos juxta postulationem dilectissimae filiae nostrae hildagardae pro serenissimi Imperatoris avi nostri Caroli animae remedio, & praestantissimi Hludowvici augusti domni & genitoris nostri,

nec

nec non & noſtra ſempiterna remuneratione ac conjugis proliſq; noſtrae perpetua mercede, curtim noſtram quae vocatur chama conſiſtens in ducatu alamannico in pago turgaugenſi cum omnibus adjacentiis vel appendiciis ejus ſeu in diverſis functionibus. Id eſt curtem indominicatam cum eccleſiis domibus ceterisq; aedificiis deſuper poſitis mancipiis utriusq; ſexus & aetatis terrisque cultis & incultis ſilvis pratis paſcuis aquis piſcationibus vel piſcatoribus aquarumq; decurſibus vel adjacentiis perviis exitibus & egreſſibus quaeſitis & inquirendis cum univerſis cenſibus qui ad ipſam curtem pertinent & diverſis redibitionibus vel quicquid in eisdem locis noſtri juris atque poſſeſſionis jure proprietatis eſt & ad noſtrum opus inſtanti tempore pertinere videtur, totum & integrum ad monaſterium noſtrum tradimus, quod ſitum eſt in vico noſtro turegum ubi ſanctus felix & ſancta regula martyres Xriſti corpore quieſcunt, quod videlicet rationis tenore placuit nobis hoc agendum, ut ab hac die & deinceps inpoſterum ibidem omni tempore ſanctimonialium feminarum ſub regulari forma digentium vita converſatioque monaſterialis monachico cultu inſtituere delectetur & libentius propter hujus loci ſupplementum à nobis jam predictis martiribus dedita dei famulatus illic exhibeatur ac pro noſtrae debitorumque noſtrorum omnium mercedis augmento diligentius domini miſericordia uberiusque exoretur. Et ut haec auctoritas noſtrae largitionis atque confirmationis firmior habeatur,

& per

& per futura tempora à cunctis fidelibus sanctae dei ecclesiae nostrisq; praesentibus & futuris verius credatur seu diligentius observetur manu propria nostra subter eam firmavimus & anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Signum  *Hludovvici Serenissimi regis*

Hadedeus subdiaconus ad vicem VViegarii Cancellarii recognovi.



Data XVI Kal. Maj. anno XXVI regni Hludovvici Serenissimi Regis in Orientali Francia regnantis. Ind. VI. Actum in villa Franckonofurt Palatio regio. In dei nomine feliciter Amen.

IV.

Capite VI quinque invictis argumentis probavimus, Ludovicum Germanicum titulo Imperatorio isthac ipsa tempestate non audivisse. Quartum desumpsimus ex o-

mnium illius ævi monumentorum communi voce, Regio duntaxat cognomento illum ornantium. Brevitatis caussâ fuimus ibi contenti testimonio diserto altero Reginonis, altero Ludovici, Germanici nostri ex Arnulpho Pronepotis cognominis. Addemus nunc heic alterum Caroli Crassi Imperatoris, filii Ludovici Senioris. Saltim enim hic non nescivit, qua Pater reapse fuerit aut haberi voluerit dignitate: non etiam Patri honorem quâ ille polluit vivens eripuit. Vtique enim fuit pius, etsi parum prudens, ille Crassus filius. Accepimus autem illud Diploma ex Illustris Viri Marquardi Freheri *Originum Palatinarum Parte prima pag. 46* editionis majoris.

In Nomine Sanctae et Individuae Trinitatis Karolus divina favente clementia Imperator Augustus. Si locis Deo dicatis ex nostris rebus pro Dei amore & remedio animæ nostræ & parentum nostrorum aliquid conferimus, & necessitates servorum Dei assiduè sibi famulantium nostro sublevamus juvamine, id procul dubio & nobis ad æternam vitam feliciter obtinendam, & parentum nostrorum animabus ad veniam consequendam profuturum liquidò credimus. Qua de causa omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumque, præsentium scilicet & futurorum, comperiat mansuetudo, qualiter nos ob amorem Dei, & remissionem peccatorum nostrorum, atque pro remedio animarum piæ recordationis genitoris nostri Hludovvici, nec non & carissimi fratris nostri Hludovvici, gloriossimorum REGVM, ad monasterium quod vocatur Lauresham, ubi S. Nazarius corpore requiescit, & præfati REGES humati habentur, exspectantes diem resurrectionis, ubi Gerhar-

dus

dus Abba, & rector ejusdem monasterii esse videtur, quasdam res juris nostri in jus & proprietatem perpetuò possidendum concessimus, videlicet in Comitatu VVormatiensi, ad villam quæ dicitur Alesheim, curtem indominicatam, sicut ad Imperatorem pertinet, cum mansis, ædificiis, utriusque sexus mancipiis, terris, pratis, vineis, sylvis, cultis & incultis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, viis & inviis, & adjacentiis, finibus, & omnia ad se jure legitimo pertinentia. Eo scilicet rationis tenore, ut perpetuo monachis ibidem Deo famulantibus in usibus deputentur, atque indeficiens luminaria exinde in Ecclesia ubi præfati viri requiescunt, habeatur, & nulli præfatæ res in beneficium tradantur, sed ita auxiliante Deo permaneant, ad usus fratrum & luminariam inextinctam, veluti prælibando statuimus. Vnde & hoc nostræ auctoritatis præceptum fieri jussimus, per quod decernimus atque jubemus, ut nec nostris, nec successorum nostrorum temporibus, ullus habeat potestatem, ex suprascriptis rebus aliquid minuere, subtrahere, vel immutare: sed ita inviolabiliter permaneant, veluti prælibavimus. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, & per futura tempora verius à cunctis credatur, & diligentius observetur, manu propria subter eam firmavimus, & annulo nostræ impressionis jussimus sigillari. Karolus Imperator Augustus. Segoinus notarius ad vicem Luitvvardi Archicancellarii recognovi & subscripsi. Data III Id. Iunii, Anno ab incarnatione Domini DCCCLXXXIV. Indicti-

Indictione II. anno verò regni domini Karoli Augusti VIII Imperii autem IIII. Actum VVormatiæ, in Dei nomine feliciter, Amen.

V.

Polliciti sumus *pag. 339*, daturos nos Viginti illa argumenta, quibus falsarii criminis nonnullos Benedictini Ordinis convicit Gabriel Naudæus, Vir Clarissimi nominis. Nunc idipsum præstabimus: ubi priùs narraverimus, quî ista agere ille fuerit adactus. Res igitur ita sese habet. *Cum Patres Benedictini* (verba sunt ex Naudæi Relatione sumpta) *rescivissent, Lutetiæ typis & sumptibus regiis in augusta Lupara excudi librum de Imitatione Christi, in folio extenso literis majoribus vere regiis; Eminentissimum Cardinalem de Richelieu convenerunt, rogaruntque, ne in tam eximio opere cudendo permitteret communi huic errori locum esse, quo Thomæ à Kempis vulgò tribuitur, cum sit potius Joannis Gersen Abbatis Vercellensis S. Benedicti: quemadmodum sole clarius appareat, cum ex libris de hac re ab Abbate Constantino editis, tum ex fide multorum Codicum manuscriptorum quorum maxima pars Romæ asservaretur apud eundem Abbatem Constantinum Cajetanum, cum titulo vero & genuino Joannis Gersen, non autem Thomæ à Kempis. Neque renuit illis morem gerere Eminentissimus Cardinalis, modò Benedictini Romani libros illos exhiberent viro alicui, conspicuæ dignitatis aut doctrinæ fama commendato, qui fidem postea faceret, libros ejusmodi visos à se & diligenter observatos fuisse, talesque judicatos ut illis fides certissima adhiberi posset.* Hinc à Benedictinis Romæ appellatus Cardinalis à Balneo, curavit coram se quatuor codicum examen institui, à duobus ad id delectis judicibus, altero Gabriele Naudæo familiari tunc & perpetuo commensali illius Cardinalis, altero Floravante Martinello. Vterque autem, tres illorum codicum circa nomen autoris falsariam manum Cajetani esse passos, liquido

liquidò demonſtrarunt, inque aſſenſum non Cardinalem duntaxat ſed etiam ipſos duos qui aderant Benedictinos Monachos traxerunt. Cum hæc acta eſſent ultimo Januarii die anno 1641, Naudæus arbitratus rem tantam dignam cujus memoria ſervaretur, Relationem ſuam Puteanis fratribus, longe Ampliſſimis viris, Lutetiam miſit, in locupletiſſima eorum Bibliotheca conſervandam. Cæterum novennio pòſt Joannes Fronto Canonicus Regularis S. Genovefæ Ordinis S. Auguſtini libros illos de Imitatione Chriſti à ſe recenſitos, Thomæ à Kempis Canonici Regularis Ordinis S. Auguſtini nomine addito, Pariſiis publicavit, *cum* (verba ejus ſunt) *evictione fraudis quâ nonnulli uſi id operis cuidam Ioanni Gerſen adſcripſere.* Atque ita vulgavit ſimul ex Puteana Bibliotheca depromptam illam Naudæi Relationem. Hac autem visâ incredibile dictu eſt quantum Lutetiæ Benedictini exarſerint odio Naudæi: qui tum Pariſiis in patria curabat Bibliothecam Eminentiſſimi Cardinalis Mazarini. Non enim dubitaverunt libellis publicis virum adeo foedis & procacibus calumniis proſcindere, ut famæ tuendæ ergò ille coactus fuerit jure apud Prætorem agere, imo deferre ad ipſammet Romanam Curiam, ubi omnes docti favebant Naudæo, rem omnem, libris itidem Latinâ Gallicaque lingua publicatis ſeſe defendere. Igitur acerrimè contentio hinc inde eſt agitata annis aliquot, quinquageſimo cumprimis & duobus ſequentibus. Pro ea qua me proſequebatur amica benevolentia incomparabilis Naudæus, donavit me tunc temporis ſuis libellis. Atque ſic inter alia nactus ſum illum oppidò elegantem ac doctum, cui titulus: *Raiſons Peremptoires de maiſtre Gabriel Naudè, Demandeur en ſuppreſſion de injures & calumnies, & defendeur en main levée* &c. Hoc autem opuſculo non ſuos tantum adverſarios, ſed omnem

mnem quoque Ordinem Benedictinorum Monachorum inceſſere non dubitavit. Verùm ea quidem in re indubie exceſſit modum iniquitate adverſæ partis accenſus calamus. Non enim paucorum crimen univerſos attinet: infiniti præterea illius Ordinis ſanctimoniâ vitæ olim eminuerunt, nec hodie non plurimi ſuperſunt. Quæ tamen in libello iſthoc allata ſunt viginti argumenta, multiplicis falſi à nonnullis illius Ordinis variis locis ac temporibus commiſſi, digna ſunt quæ hic etiam legantur. Ne ſcilicet nos gravemur præjudicio aliquo, dum Cœnobiales Lindavienſes (quæ itidem olim ad Regulam Benedicti fuerunt obſtrictæ, priùs quàm in hunc ſecularem ſtatum devenerunt) ſuppoſiti & conficti Diplomatis audemus accuſare. Quapropter ex Gallico Latine verti illum quidem locum Naudæi curavimus: & jam exhibebimus: non dubitantes, omni veritatem amanti lectionem eorum futuram non jucundam duntaxat ſed etiam perutilem.

EXCER-

EXCERPTA
Ex V. C. GABRIELIS NAVDÆI
PRIORIS ARTIGII
Actoris
Libro cui titulus RAISONS PEREMPTOIRES
à pag. 23. usque 41.

SEd quid juvat amplius insistere his probationibus, & per partes eas exhibere? cum firmissimam regulam ponere liceat, *proprium in quarto modo Benedictinorum esse, in negotiis suis plerisque recurrere ad similia monumenta, ficta nimirum corrupta & non unius manum passa.* Cujus assertionis cum æquum sit ut rationes reddat Actor alias, quàm viginti illa quatuor mendacia, quæ reperit & damnavit in uno solo hymno, quem in honorem Divi Benedicti canebant Fratres suo ævo, Petrus Abbas Cluniacensis; alias itidem quàm viginti duas sycophantias, quarum Actor convicit Cajetanum: cum Didone IV Æneidos dicente

Testor cara Deos & te germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artes:

& ipse testatur, fieri hoc à se cum summâ animi molestiâ, & post tentata omnia media licita, quibus commoveri potuerint Benedictini quâcunque honestâ ratione Actori facere satis. Ita quidem, ut cum ipsiusmet Nuncii Apostolici auctoritatem frustra apud ipsorum Præfectum Generalem, aliorumq

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [399] - 375

rumq; & Domini R. P. G. opera non minus infeliciter apud Procuratores Congregationis D. Mauri impenderit, contra eos iam uti cogatur illo Ezechielis: *Nudabo ignominiam tuam coram eis, & videbunt omnes turpitudinem tuam*; & usque adeò regulam modò positam astruere, ut quivis cognoscere possit *perjuram ab origine gentem.*

I. Privilegium quod Divi Medardi Clero & Conventui apud Suessionenses concessisse dicunt Gregorium Magnum, falsi convictum est à Cardinale Baronio ad annum DXC §. 85. à Perronio itidem in Oratione ad Tertii Ordinis Proceres, & nuper à Blondello in Pseudo-Isidoro pag. 647.

II. Cui non constat de suppositiis literis, privilegiis, indultis, concessionibus &c. in medium productis à duobus Benedictinis *Constantino Bellotto & Constantino Cajetano*; quorum hic ipse plagium commisit Gersenio suo Thomæ Kempensis fœtum asserendo? Quid, inquam, non egit hoc fratrum par, tàm in libris publicè editis quam manuscriptis, ut persuaderent orbi, S. Gregorium è grege ipsorum fuisse & socium Benedictinum? Fraudem primus detexit Cardinalis Baronius, & magis post eum nudavit Antonius Gallonius Oratorii quod Romæ est presbyter, doctissimus sui ævi, libro peculiariter conscripto *pro assertis in Annalibus Ecclesiasticis de Monachatu Gregorii Papæ adversus Constantinum Bellottum Casinatem & alium ejusdem Ordinis Monachum* (est autem ille Cajetanus) *Romæ in typographiâ Vaticanâ MDCIV in 4to.* Et quia maxima pars horum monumentorum quibus nituntur modò

nominat

nominati duumviri, sunt Privilegia antiqua à diversis Principibus concessa sociis Benedictinis, quæ collegit & post finem Chronici Montis Cassinensis Venetiis imprimi curavit Laurentius Vicentinus Anno 1513, laudatus Gallonius cum aperte demonstrasset pag. 32, 54, 57, 62, 68, 92, 94, 99, suæ Apologiæ, falsa esse omnia illa quibus nixi Gregorium sanctum Ordini suo vendicarent Bellottus & Cajetanus; tandem concludit, reliqua Privilegia omnia, collecta ab eodem Vicentino itidem spuria esse. Verba ejus pag. 99 dabimus: *A nobis rursus extorques* (idem jam tum asseruerat pag. 54) *cogisque pandere quæ perpetuò erant relinquenda involuta silentio, siquidem ejusdem quoque generis esse Diplomata reliqua ibidem post finem IV librorum Chronici Cassinensis posita, & affectatam antiquitatem præ se ferentia, liberè asserere non dubitamus.* Et ne temere judicare videatur, quinque vel sex horum Diplomatum seqq pagg. confutat, & adhuc aliud pag. 101. ubi ex verâ donatione, quam nobis exhibet Leo Ostiensis, quâ Tertullus aliquis dedit Monti Cassinensi decem & octo curtes, (jugera aut villas dixeris) Benedictini aliam confecerunt, ubi, ut de plurimis aliis fraudibus & absurdis commentis nihil dicam, substituerunt decem & octo civitates. Id quod Gallonio ringenti licet extorsit pertinacia Benedictinorum, quibus respondere cogebatur; ceu ipse non minus sanctè testatur quàm Actor. Paginâ 110 ejusdem libri sic loquitur. *Sed quando tu illud* (Privilegium scilicet) *velut aliquid pretiosum è Cassinensi Codice prodis, ac tanquam purum aurum profers, non nobis sed tibi imputetur, si nos cogis invitos tantam impostu*ram detegere,

detegere, palàmque cunctis intuendam exponere. Vnde tui erubescant, qui illud citant, retinent, fovent, atq; defendunt. Quod Gallonii judicium eò magis attendi meretur, quia lumen illud historiæ Ecclesiasticæ Baronius testantibus Gallonio pag. 48 & 101, & de ipsomet Constantino Bellotto pag. 210 sic concludit; *hæc à tantis Imperatoribus emanata privilegia esse monachi otiosi opus.*

III. Actor in eundem finem producit Benedicti IIX Alexandri II Vrbani II & Zachariæ Bullas, quibus ut & ejusdem farinæ monumentis aliis Benedictini in Italiâ utuntur, ut probent, corpus S. Benedicti asservari adhuc in Monte Cassinensi, neque ex illo loco translatum esse in Monasterium Floriacense, prout acerrimè contendunt Fratres in Franciâ, probantes contra socios Italicos, Bullas & quicquid hujus generis aliud in medium afferunt, ementitum omne esse & longè falsissimum. Testem juvat adducere R. P. Simonem Milletum Ordinis Benedicti & S. Germani à Pratis Monachum operis sui de hac translatione peculiariter conscripti pag. 856, 869, 879 qui tandem p. 881. ita concludit. *Sufficienter respondi ad argumenta omnia & rationes adversariorum nostrorum; tactis omnibus illis monumentis quæ allegari aut in contrarium adduci possint; & ostendi nihil eorum quicquam roboris habere, sed falsa omnia esse & commenta, ut malæ causæ præsidium quæreretur, plena non tolerandarum contradictionum & absurditatum.* Idem jam tum ante dixerant & probaverant Abbas Iohannes à Bosio in Bibliothecâ Floriacensi pag. 265 & 286 ubi testimonium Baronii pro se affert; & Dominus de Saliceto libro IV Annalium Aurelianensium.

IV. Re-

IV. Referri huc debet integra congeries literarum suppositarum Papalium Isidori Hispalensis Monachi Benedictini, sub nomine mercatoris, rectius Peccatoris, falsi convictæ à Baronio non uno in loco suorum Annalium, à Possevino in Apparatu sacro, ab Espencæo, Perronio & aliis Doctoribus Catholicis; imò planè eversæ à Blondello in Examine dictarum literarum adversus Isidori mercatoris figmenta.

V. Faciunt pro Actore omnia illa quæ in suo de Areopagiticis Hilduini judicio Lutetiæ Parisiorum impresso Anno MDCXLI in octavo, Doctor Iohannes de Launoy disputat contra numerosas fraudes, quas Hildevinus San-Dionysianus sub Ludovico Pio Imperatore Abbas commisit in Areopagiticis suis sive in historia vitæ & martyrii S. Dionysii Areopagitæ, quam videre licet apud Surium tomo 5, ad diem nonum Octobris, & seorsim editam Coloniæ cum præfatione Matthæi Galeni in octavo. Ex hoc modò nominato Iudicio plurima loca allegare posset Actor; sed ut rem paucis comprehendat, vel duo adduxisse sufficiat. Alterum quod legitur pag. 48, ut clarum fiat, quàm non hodie demum Benedictini cœnobii S. Germani fratres commodi sui ergò cancellaverint quædam in membranis. Factum enim id esse dudum in manuscripto quodam Vsuardi codice asserit, qui inter plures asservatur in bibliothecâ S. Germani à Pratis, ubi ERASVM est id omne quod ad asserendum utriusque Dionysii discrimen pertinebat. Alterum habetur pag. 93, ubi compendium quasi exhibet fraudum quas observavit in Hilduini libro. En verba ipsa.

ba ipsa. Caterum quæ in hoc de Areopagiticis Hilduini iudicio examinavimus ad duo generalia capita revocanda sunt; in uno cui duplicem partem fecimus, FALSI dicam scripsimus Hilduino; atq; illum in Autoribus, cum iis quos laudat, & qui legi possunt, tum in aliis proinde quos laudat & qui legi non possunt, hominem esse profligatæ fidei convicimus.

VI. Præterire non vult Actor querelas Monachorum S. Germani à Pratis de perfidia & malâ fide fratrum S. Audœni aut crucis S. Leufredi, prout res narratur in vitâ S. Leufredi Abbatis, quæ prodiit in lucem Lutetiæ Parisiorum Anno 1598 in octavo. Pagina 30. hæc merentur probe expendi. Temporibus Caroli simplicis monachi Crucis S. Audœni (quæ nunc est Sancti Leufredi) Abbatiam suam à Normannis expilatam peneque totam dirutam deseruerunt, & cum sacris corporibus Audœni Archiepiscopi ad Cœnobium S. Germani à Pratis venerunt, se suaque omnia eis dedentes, ut in consortium aliorum adsumti; bonorum quoque hujus loci ex æquo participes fierent. Quod quidem humanissime illis aliquot annis præstitum est. Prævidens autem Robertus &c. Leufredianos Monachos feliciore aurâ aspirante, posse à proposito desciscere, & bona data PERFIDE repetere (quod eventus docuit) hanc Abbatiam sanctæ Crucis &c.

VII. Non incommode huc trahuntur duo Canones, quos Decreto suo inseruit Gratianus & falsariâ suâ manu corrupit Sigebertus Monachus Benedictinus in monasterio Gemblacensi, testibus Baronio & Bellarmino, quemadmodum videre est in hujus de Scriptoribus Ecclesiasticis libro, ubi sic loquitur: Distinctione LXIII Can. Adrianus & can. in synodo, ponuntur duo canones ex Historiâ Ecclesiasticâ Sigeberti. Quibus affirmantur investituræ Episcoporum concessæ ab Imperatoribus ab

Hadria-

Hadriano I & à Leone IIX summis Pontificibus. Quos Canones conflictos fuisse à Sigeberto schismatico Historico probat multis argumentis Cardinalis Baronius Tomo IX Annalium ad annum III Hadriani I Pontificis. Neque obstat quod iidem Canones habeantur etiam apud Ivonem in Pannomia lib. 8. cap. 135. & 136. cum tamen Ivo Sigebertum ætate præcesserit. Hoc inquam non obstat: quoniam Pannomia non dicitur Ivonis, quia sit ab Ivone composita, sed quia sit ex Decreto Ivonis maximâ ex parte decerpta. Quod autem auctor Pannomiæ sit recentior Ivone, perspicuum est ex libr. 8. ubi multa sunt decreta Innocentii Pontificis qui fuit Ivone posterior. Et vero qui excusaverint Sigebertum eâdem ratione quâ Bellarminus, neque illis grave esse debet legere responsionem quâ telum illud eludi potest.

IIX. Testimonium aliud suppeditant literæ Arnolphi Lexoviensis, qui in suis ad Alexandrum Papam literis conqueritur, de simili fraudulentiâ commissâ. Sic legitur pag. 110. editionis Richerianæ: De privilegio quoque à vobis per subreptionem elicito idem Abbas vobis & Ecclesiæ nostræ tenetur obnoxius, super quo jam tertio ipsum ad vos cum privilegio mitti, inventâ nimirum FALSITATE, jussistis.

IX. Mitius sentiri non potest de S. VVallerici historiâ, quæ autores agnoscit Benedictinos. Neque enim erubuêrunt in celebri conventu Remensi certa quædam producere privilegia, quibus nonnisi Pontifici Romano subjectos se esse, volebant evincere. Quam impostura in Notis suis ad XLV Epistolam Ivonis Carthusiani non potuit dissimulare doctissimus Iurisconsultus Franciscus Iuretus. Extat, inquit, insignis & memoratu digna historia super contentione monachorum B. VValerici, qui COMMENTITIA finxêrunt privilegia

vilegia cujusdam Romani Pontificis, quæ non puduit illos palàm exhibere, & jactare in celebri conventu Remensi, ut scilicet comprobarent, nullis se subjectos nisi Romano Pontifici. Quorum fraudem detexit Godefridus Episcopus Ambianensis, cum veste absterssisset atramentum scripturæ recentis.

X. Hujus loci omnino est cap. sextum Tit. 10. de fide instrum. lib. 11. Decretal. Vbi Papa Innocentius III rescribit Archiepiscopo, aut, ceu rectius sentire videtur Bosquetus magni nominis Episcopus Lodevensis, Archidiacono & Presbytero & Canonicis Mediolanensibus quorum verborum tenor omnino hîc meretur inseri. Inter dilectos filios G. Abbatem S. Donati de Scozulâ, & R. Procuratorem tuum super subjectis articulis diu fuit in nostro auditorio litigatum. Petebat siquidem Abbas nomine Monasterii sui à præfato Procuratore tuo nomine Mediolanensis Ecclesiæ, restitui Monasterio memorato portum Scozulæ, cum honore districtu & jurisdictione loci præfati, dicens ad Monasterium hæc omnia pertinere &c. Hæc omnia petebat cum omnibus fructibus &c. Primò per Privilegium Luitardi Comitis quondam Episcopi Lucani &c. Secundo per instrumentum sententiæ Asperti quondam Mediolanensis Archiepiscopi &c. Tertio per privilegia Romanorum Imperatorum & præsertim Henrici, qui præmissa omnia Monasterio confirmabat vel etiam conferebat. Quarto per instrumenta locationum quas fecerant diversis personis Abbates Monasterii memorati. Testes quoque produxerat per quos nitebatur probare &c. Sed contra privilegium donationis à Procuratore tuo multa fuerunt objecta. Primo quia tibi maximè apparebat consumtum (videlicet in annotatione Indictionis) ubi potuisset FALSITAS facilius deprehendi. Secundo quia cum charta vetustissima videretur, recentior apparebat scriptura, tanquam non illo tempore facta fuisset. Tertiò quia FALSVM sigillum vitiosè videbatur appositum: eo quod à mediâ parte sigilli apparebat quædam imago, non cum mitra in capite, sed

sed cum Pileo, nec induta Pontificalibus, sed regalibus indumentis, tenens in manu non baculum pastoralem sed quasi scepirum regale, cujus facies non apparebat integra sed dimidia &c. Vnde non Episcopi sed Imperatoris videbatur fuisse sigillum, quia in una medietate Cæsaris imaginem exprimebat, & in altera medietate &c. Sed cum nomen proprium ipsius Episcopi fuerit Luitardus, in nomine proprio quod exprimebat sigillum, deletæ fuerant duæ literæ, secunda quæ erat inter L & T & sexta quæ fuerat inter R & V: ita quod si secunda O & sexta fuisset I, procul dubio non Luitardus sed Lotharius legeretur. Quod etiam inde convinci poterat, quod secundum dispositionem aliarum literarum inter L & T non erat spatium nisi quod potuisset unam literam continere &c. Præterea inter R & V tam modicum erat spatium, ut in eo nec hæc litera A, quæ majus occupat spacium, sed hæc litera I, quæ minimum occupat, videretur formata fuisse. Rursus cum cera de sigilli interiori parte vetustissima esset, cera quæ posita erat de exteriori parte quasi ad conservationem sigilli recens erat & mollis. Quod cum diligentius investigatum fuisset, certo certius est compertum, quod sub vetusto sigillo charta fuerat perforata &c. Eâdem FALSITATIS specie per vitiosam scilicet appositionem sigilli, cætera fere privilegia Romanorum Imperatorum, præter privilegium Henrici vel FALSA reperta sunt, vel falsata. Sed & ipsum Henrici Privilegium ad fidem instruendam non videbatur sufficere, quia nec erat publica manu confectum nec sigillum habebat authenticum, eo quod erat ex media fere parte consumtum, nec plus de nomine proprio nisi ultima medietas videlicet ICVS, nec de cæteris literis nisi hæc adjectio DEI GRATIA apparebat, ita quod ex literis ipsis non magis poterat comprobari, fuisse sigillum Henrici quam Ludovici. Instrumentum quoq; sententiæ multis modis inveniebatur suspectum, tum quia in ipso quædam apparebant literæ, tum quia subscriptio Notarii videbatur manu alterius fuisse, quam subscriptio instrumenti, cum tamen Notarius in subscriptione profiteretur, se instrumentum manu propria conscripsisse;

scripsisse; litera quoque recentior videbatur quam charta; & aqua videbatur encaustum infectum, ut antiquius appareret; in omnibus autem imperialibus privilegiis &c. Cum autem super his fuisset diutius litigatum, quia legitimè probata non fuerant, quæ petebantur ad Monasterium pertinere &c. Iam ante laudatus Bosquetus Lodevienſis Epiſcopus in Notis ſuis ad Regiſtrum Innocentii III lib. II p. 155. *partem hujus Epiſtolæ refert, & ex geſtis ejusdem Papæ obſervationes ſuas addit, quæ magnam huic rei afferunt lucem.* Neque Cujacius in commentario ſuo ad Decretales Gregorii Noni Tit. XX ad Cap. *inter dilectos* ſicco pede rem præterire voluit, quamvis minus recte hauſiſſe videatur ſenſum verborum Innocentii III, *& aqua videbatur encaustum infectum ut antiquius appareret*; de ſigillo enim cereo aquâ abluto & corrupto, ut antiquius appareret quam revera erat hæc explicat; cum indicent potius, aquam atramento admixtum fuiſſe, ut candidior eſſet ſcriptura, & minus craſſa. Quemadmodum ut plurimum in antiquis codicibus ſcriptis fieri videmus, qui vix legi poſſunt. Et hoc ipſo ſenſu Perſius Satyr. III negligentem Studioſum perſtringit

Tunc queritur, craſſus calamo quod pendeat humor
Nigra quod infusâ vaneſcat ſepia lymphâ.

Sed quod Encauſtum, qui priſcis temporibus erat liquor *ex cocto muricæ & trito conchylio confectus*, quo præter Imperatorem nemo alius uti poterat teſte Pancirollo *lib. I. Variar. lection. cap. 19 & 28.* hodie ſignificet atramentum ſive ad ſcribendum ſive ad imprimendum, præter Cœlium Rhodiginum *lib. VII Antiquar.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [408] - 384

quar. lect. cap. 31. asserit Calepinus, cujus quidem verba; hinc ortum, ut vulgus atramentum librarium appellare cæperit encaustum, quæ in prioribus editionibus legebantur, in posterioribus omissa sunt; & doctissimus Grammaticus Hispanus Antonius Nebrissensis in Dictionario suo, ubi enchaustum scriptorium Hispanice reddit tinta para escrevir. Clariùs rem omnem persequitur Petrus Maria Caneparius libro suo de Atramentis cap. 3. descriptionis quartæ pag. 166. Inter alia atramenti nomina hoc unum est, quod vulgus nominat enchaustum. Quamvis non adeò proprium sit, cum enchaustum significet materiam adustam ad picturam tantùm aptam. Nihilominus metaphoricè vocatur enchaustum, quod primi autores dixerunt: magisque propriè atramentum scriptorium. At eo magis hodierno tempore abutuntur hoc nomine enchausti, ita ut vulgari idiomate dicatur inchiostro. Repetit idem cap. 6. Vt dici omnino possit, Cujacium supra citata Innocentii III Papæ verba non accuratè explicasse, sed alienam & minus veram significationem iis affinxisse. Id quod obiter monuisse sufficiat.

XI. Descripta exhibet Actor verba Iohannis Tomci Marnavitii, in Sacrâ Columbâ Venerabilis Capituli AA. RR. DD. Canonicorum S. Petri Romaricensis ab IMPOSTVRIS vindicata suæq; origini restituta: ut FRAVDEM ostendat duorum diplomatum, quibus nixi Benedictini in Lotharingiâ nuper arctioris disciplinæ studio insignes, sibi asserere voluerunt Prioratum Montis Sancti. Liber prodiit Romæ Anno MDCXXIX & verba Autoris pag. 5. 6 & 7 hæc sunt. Speciosò sane titulo: & quo nihil validius excogitari poterat, si quod nobis Illyricis est vulgari tritum proverbio, impostoram larva veritatis obducere scivissent,

vissent, rem moliuntur. (Benedictini scilicet.) *Diplomate siquidem ab iisdem in judiciali processu exhibito Confirmationis & Donationis, verius neque confirmationis nec donationis, à sancto Romarico Avendi Comite sacrarum puellarum Collegio in suo fundo sub regulâ S. Benedicti factæ, tenoris ejusmodi prolato.* Quoniam mundus in maligno positus legitimas fidelium donationes impiè conatur infringere &c. *Hactenus tenor Diplomatis &c. qui an subsistat, re ad lapidem Lidium admotâ, jam videamus. Et quoad primum, quatenus Romaricus, adhuc agens in seculo Comes Avendi, cum desiderio inserviendi Deo, apparet Monasterii puellarum fundator, merâ imposturâ probatur ex verbis Johannis Pontificis in alio Diplomate, suo loco examinando.* Nimis prolixum foret omnia exscribere, quibus sociorum fraudulentiam perstrinxit Marnavitius: nec enim diploma alio nomine appellat quam Chimericam impostruram & vani hominis commentum Tandem pag. 8 alterum addit Diploma, nimirum Iohannis Papæ, cum ita præfatus esset. *Sed ut peccatum rarò vel nunquam infœcundum, quin semper gradum struit ad aliud; priori diplomati fulciendo aliud subnectunt, cujus tenoris texturam, impostruram ipsam Christianâ lance perpendamus. Dilectissimis Fratribus universis Episcopis per Galliam constitutis Ioannes Episcopus servus servorum Dei &c.* Post recitata supposiiti diplomatis verba, fraudes & Bullæ illius impudentiam notat; cumq; argumentum rei moveret justam bilem, temperare sibi non potuit quin inveheretur in perfrictam Benedictinorum frontem, quod eos non pudeat inter suos numerare, quicquid pietate & doctrinâ resplenduit in aliis Ordinibus. Quidni ergò idem faciat Actor aliorum exempla sequens, & quare non circa ementitum Gersenium indignabundus

bundus erumpat cum laudato Autore? Non sine dolore admiramur, sacrosanctam magni Patris Benedicti sobolem, quam verè Benedictorum semen, sicut stellas cœli arenamque maris adaugeri perpetuò Christianus orbis lætatur, instar sterilissimæ matris alienis suppositisque partubus inhiare, ut quoscunque ferme Monasticæ perfectionis illustriores viros cognoscit, eosdem pro suis fœtibus agnoscat & prædicet. Nec eos etiam qui sancti Patris Patriarchatum præcessêre omittendo, nec sacro Basiliano Orientalinido aliarumque religiosarum familiarum plebeculis parcendo, omnes indistinctè, stipiti suo nullatenus inhærentes licet, agglutinent. Cujus rei indecentiam, cum Illustrissimus Cardinalis Baronius in Ecclesiasticis annalibus seriò perstrinxerit, nos &c. Adnectit itidem censuram laudati Cardinalis in Tertulli donationem, quam supra § 2. tetigimus. Cujus impostruram (Tomci verba sunt) postquam vir magnus explosit, dolet demum talia esse conficta ab aliquo otioso, non illustrante res Patris sanctissimi Benedicti, sed obscurante potius istiusmodi mendaciis &c.

XII. Nec sicco pede præterire voluit locum Petri Blesensis illum, quo in fraudes Bullæ productæ per Abbatem Malmesburiensem in lite, qua se ab Episcopi Salisburiensis jurisdictione immunem asserebat, animadvertit. Verba Epistolæ LXIIX ad Papam Alexandrum III pag. 119 ita habent. Partibus itaque in nostrâ præsentiâ constitutis, & Ecclesiarum privilegiis productis in medium, nihil invenimus, quare Malmesburiense Monasterium a Episcopo Sarisberiensi subesse non debeat, & humiliter obedire: eo solo accepto, quod Abbas quasdam exemtionis suæ literas prætendebat, quæ in folio & bullâ videbantur vitiosæ, stylumque Romanæ Curiæ minime redolebant, ideoque & eas FALSITATIS Episcopus arguebat. Abbas testibus nitebatur. &c.

XIII. *In ejusdem rei testimonium non unus locus exhibetur ex Comitum Pictavienſium & Guyennenſium hiſtoriâ, conſcriptâ olim â Iohanne de Besly Conſiliario & Advocato Regis honorario in Regio Tribunali Fonteniacenſi, & impreſſâ Lutetiæ Pariſiorum apud Gervaſium Alliottum Anno* M DC XL VII. *Vnde judicium ferri poteſt, ſi ſuppoſitus ille Gerſenius prima impoſtura eſt à Benedictinis commiſſa in commodum Ordinis ſui. Opportune cap.* XIX *pag.* 63 *de capite S. Iohannis Angeriaci reperto ſic loquitur. Dux more ſuo ibat in Italiam, preces ſuas Romæ facturus anno* M X I I X. *Abſente ipſo Alduinus S. Iohannis apud Angeriacenſes Abbas, caput hominis in ciſta lapideâ fabricatâ ad inſtar pyramidis reperit. Caput erat S. Iohannis Baptiſtæ, ceu ipſe putabat. Sed quomodo illud huc venerit, etſi omnino fuiſſet præcurſoris Meſſiæ, incertum tamen omninò eſt, teſte Aimaro, qui eâdem ætate ſuam compoſuit Hiſtoriam. Ita ut Abbas Alduinus non extra omnem ſit ſuſpicionem; & ævum illud ſimplex & rude magis quam hodiernum ſapiùs ſibi indulſit ita agere. Obſervat itidem pag.* 92, *Eudem ſive Othonem fundaſſe monaſterium S. Leonardi à Stipulis in provinciâ Ayrenſi: quamobrem lite motâ & devoluta non ita pridem ad Parlamentum Pariſienſe, cum tabulas producerent quæ de Comite & Duce Othone loquerentur, falſitatis arguebantur eo nomine quod Boucheti Annales nullius Othonis Guyennæ Ducis mentionem facerent. Tandem addit. Sic hiſtoriæ non ſolum magnum uſum habet in vitâ civili, ſed & ad lites decidendas. Idem pag.* 193 *dicit. Nec hodie demum, nec in ſola Italiâ, inter Sanctos numerant eos quorum beneficiis inſignibus ſunt affecti. Et hinc habemus S. Vilhelmum Miſericordem Guyennæ Ducem & Provinciæ Comitem, Cluniaci fundatorem Anno* D CCC LXXIX, *quamvis & titulus Provinciæ Comitis & annus FALSI ſint.*

XIV. Non

XIV. Non indigna hoc loco sunt excerpta quædam ex oratione Monterii: qui dignitate, eloquentiâ, studio, & diligentiâ nulli unquam Universitatis Parisiensis Rectorum secundus fuit. Is obtentâ lite du Pre aux Clercs (de Prædio Clericorum Latinè dixeris) quam ipsi moverant Monachi S. Germani à Pratis, III Non. Quintilis coram illustri totius Universitatis consessu apud Mathurinos, de omnibus quæ in hoc negotio apud judicem acta erant, rationem reddidit, Oratione nondum impressâ, tantæ tamen elegantiæ verborum pariter & rerum, ut ab omnibus summâ cum jucunditate legantur. En quædam ex illâ depromta. Iveramus ante paucos dies ad S. Germani Cœnobitas, examinaturi tabulas suas, & recognituri illas ad Archetyporum fidem; quemadmodùm ad id nobis dies dictus fuerat à judice. Ingressi Cœnobium, admissiq; in cubiculum vacuum à Fraterculo; postquam illic horas solidas expectavimus otiosi & soli, tandem apparet ecce ad portam cubiculi, grande aliquid, Monacho simile. Hominem an elephantem habitu tegens dubitare licuit. Erat enim immani mole corporis. Et illud erat mutum. Subiit insalutatis hospitibus, admotusq; arculis, clavesq; grandes multiplicibus seris inserens, rotat ter quater stridore magno, donec agre (quemadmodum perfectissime simulabat) revocatis pessulis, membranas depromit. Quas utroque suppositio brachio feretri instar lentè gestans, defert in mensam. Tum sic garriens, aut barriens verius, aut verius anhelans, verba hæc, nec enim poterat satis liberè, spiritu propter pinguedinem intercepto. Hem inquit, quod secula undecim non viderunt quater, Childeberti tabulas: non jam in exemplaribus sed in archetypis: ne tam lateret fides juris nostri. Sequebatur interim post illius terga brevius, nec illud cucullatum, nec propterea magis urbanum animal. Et vos, inquiunt, qui hæc legitis tenete animum

animam; ne si exspiratis in tabulas caracteres jam propter vetustatem parum tenaces avolent. Cogitate viri Academici, quàm adhæc ridebamus in sinu. Nos qui de tabularum FALSITATE jam probè eruditi ab exemplaribus, deprehendebamus etiam certiùs in Archetypo, quibus illi artibus IMPOSTVRAS suas tegere conabantur. Erant enim membranæ grandes, ad speciem vetustatis longo fumo dibaphæ, ceu pernæ solent Moguntiacæ, exterius: interius tegumento multiplici circumvestitæ adversus injurias aëris. Interius jacebat velum laneum & tenue, literis totis incubans: laneum, ne asperitate suâ tereret caracteres, tenue (quid divinamus?) ne quid noceret suâ gravitate. Hoc autem velum non totum semel tollendum erat, sed sensim, sed per rugas singulas, sed non nisi parcente manu & extremo digitulo, ne quid læderet. Tum apparebant in ipsâ fronte caracteres primùm immanes, aut veriùs simulachra caracterum immanium; erant enim cubitales planè, sed jejuni & exsangues admodum, & penè unius figuræ omnes: reliqui erant brevioris formæ, sed ita detriti, sed ita concinnati ad imaginem vetustissimæ scriptionis, ut Saturni pene tempora redolere viderentur. Iam verò ubi oculi descenderant infra lineam ultimam, eminebat ad dextram aliquid tumulo simile, probè tectum, & assutum probè. Illic ajebant requiescere sigilli manes, sed quos ne oculis quidem licebat attingere propter reverentiam impressi Principis. Et sanè nostrum aliquis admovebat curiosam manum, contrectaturus FRAVDEM; cum isti, Ah dii, exclamant. Nec plura locuti, subtractas violentius tabulas suas restituunt arculis, recludunt q; penitus diligentissimè. Quid hoc historiæ est, Auditores, aut histrioniæ verius? Sed quid hoc Monachorum est, qui tabulas, & tabulas Regias, FALSARE audent, & scelerare calamos eâ improbitate, quæ non leviori supplicio quam præcisæ dexteræ coërcetur? Et miramur vicina prædia decrescere, augerique Monachorum possessiones: apud quos tam facilis est officina FALSITATVM? Sed quid interim non periculi invehebatur in Prædium nostrum Clericorum ab instrumentis ejusmodi, nisi oculatissimi

Iudices

Iudices istorum FRAVDEM *agnovissent, tam facilè quam eorundem soliti sunt agnoscere?*

XV. *Testimonium Benedictini contra Anglicanos Benedictinos suum facit Actor, illudque mutuatur ex pluribus locis libri supra nominati.* Examen Trophæorum Congregationis Anglicanæ &c. *vocatur. Vbi pag.* 8 *immitis admodum in Fratres suos sic loquitur.* Sed silere nequeo, cum animadvertam imponi urbi & orbi per tot mendacia colorata, idque in detrimentum animarum, excussionē jugi regularis &c. Quos domibus bonis & juribus excludere conantur per subreptitiam Bullam subdole impetratam, & fundatam in fictâ & FALSA narratione nunc confutandâ. *Pag.* 164 *hæc addit.* Nam turpe & scandalosum factum modo approbatis: ac propterea Bullæ quas circumfertis in hanc rem, sunt meræ nugæ & impostura subreptitiè obtentæ. Et ut constet Trophæarium tanquam soricem suo strepitu sese prodere, summumque harum impostura rum esse architectum, sciat lector &c.

XVI. *Nititur idem libro, cui titulus est:* Synopsis libelli R. P. Rudesindi Præsidis Benedictinorum Congregationis (*ut vocant*) Anglicanæ, scripti contra Episcopum Chalcedonensem & Clerum Anglicanum, qui incipit, Mandatum. Qui primùm sine omni approbatione aut privilegio, nunc verò cum approbationibus & privilegio Regio SVPPOSITITIIS editus est, collectore E. R. In fine autem præfationis uberiùs persequitur, quod in fine tituli nonnisi obiter attigerat. Cumque impressus, inquit, fuerit hic libellus sine omni approbatione, aut nomine impressoris vel loci, nuper hæc omnia, itemque privilegium Principis (SVPPOSITITIA tamen atque alieni libello debita) quibusdam illius exemplaribus præfixa sunt: ut incautus Lector sibi persuadeat, libellum hunc & à Doctoribus & à Principe ipso approbatum esse. Quæ IMPOSTVRA

tanta

tanta tamque manifesta est, ut penè pudeat eam referre. Idem Autor repetit hæc & magis adhuc exaggerat in fine dicti libri.

XVII. *Addatur & liber Lugduni in Galliâ impressus apud VVilhelmum de Vlmis Anno* MDCXXX *in octavo, cui titulus est: Apologia pro Reverendo Domno Pulchrone Lavignonio, S. Avoldi Abbate, Ordinis S. Benedicti Diœcesis Metensis & aliorum Religiosorum ejusdem Ordinis Congregationis Lotharingicæ, contra crimen* FALSI *malitiosè iis impactum. Addatur inquam hic liber; & quidem ideò, ut pateſcat ex ipso autographo Congregationis Episcoporum & Regularium, cujus jamjam exhibebit exemplum, & aliis etiam monumentis huc facientibus quæ itidem sunt penes Actorem, tantum abesse ut boni Paterculi hac Apologiâ causam suam obtinuerint, ut potius magis* FRAUDES *suas manifestârint & coràm orbe quasi denudârint.*

Quæritur ab Eminentissimis Reverendissimis DD. Cardinalibus Congregationi Episcoporum & Regularium præpositis.

Utrum Patres Congregationis sanctorum Vitonis & Hidulphi, ad instar Congregationis Montis Cassinensis in Lotharingiâ erectæ, potuerint eligere in Præsidem suæ Congregationis fratrem Hidulphum Jobart, dictæ Congregationis Monachum, inquisitum de FALSITATE *commissa, & contra quem ex indiciis prægnantibus & literis suâ manu scriptis & recognitis, formiter est relaxatum Monitorium ad comparendum personaliter coram Auditore Cameræ sub pœnâ inserviendi ad triremes, Scutorum D. auri, & Excommunicationis in subsidium: & an electio de suâ personâ facta sit valida. Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præposita, censuit secundùm ea quæ proponuntur; electionem hujusmodi esse nullam.*

Ceterum

Cæterum an res ita se habeat, Auditorem Cameræ, auditis partibus dispicere debere. Romæ die XXV Iulii 1631 Frater Antonius Cardinalis S Honophrii. Locus sigilli. Petrus Fagnanus Secretarius.

Quibus volupe est exitum hujus negotii cognovisse, adire possunt Abbatem Burlemontium Episcopum Airensem, tunc quidem adversarium Lavignonii & complicum.

XIIX. *Ne extra oleas vagetur, libellum exhibet, qui, ad instar eorum qui judicem de facti specie informant, sine loco & anno prodiens, titulum habet. Animadversiones G. M. in FALSVM aliquod BREVE quod Dom. Faron Challusius Congregationis S. Mauri monachus commentus est, & publicè editum orbi ceu verum obtrudere voluit: Additum est ipsummet Breve. Comparuit autem fœtus hic suppositus in libro cui titulus est: Abrogatio nonnullorum statutorum cum novis statutis. Vrbanus Papa IIX. Galliardus.* Tanta ibi & tam evidentia apparent fraudum vestigia, *ut exhiberi omnia nequeant nisi libro tantæ molis quantæ est ipsa Challusii farrago.*

XIX. *Planè geminum deprehendere licet in eo libello qui prodiit pro Viro Nobili Philippo Bataillio Equite, actore & accusatore unà cum Procuratore Regio magni Consilii, contra Monachos Reformatos Ordinis S. Benedicti, dictos Congregationis S. Mauri quæ est in Cœnobio S. Germani à Pratis Lutetiæ Parisiorum, & Isaacum Beum custodem Ordinis in Cœnobio Lagniacensi, reos & accusatos.* Lis hæc mota erat propter varias delationes, quibus tam in civili quam capitis judicio Batailium falsè denigrabant accusati. *Quarum sycophantiarum atrociſsima erat commissa à duobus Cœnobitis dicti Monasterii, qui tantorum*

criminum reum agebant virum nobilem apud Quitaltium, Militis Prætoriani apud Reginam Galliæ ducem, ut decem suppliciis expiare ea debuisset si quidem ab uno potuisset resuscitari. Vel saltem Quitaltii testimonium, quod hominis innocentia extorsit, adducere sufficit, ut calumniantium inveteratam malitiam & delati innocentiam agnoscere liceat.

Nos FRANCISCVS COMMINGIVS, eques, Quitaltii Dominus, dux cohortis Prætorianæ apud Galliæ Reginam. Notum sit omnibus, quod Mense Octobri anno MDCLXVI S. Germani à Pratis Monachi accusaverint philippum Bataillium, quod sago, quo Reginæ milites Prætoriani insigniuntur, indutus rapinas & multa alia indigna commiserit, Pecuniam ex ipsorum Cœnobiis extorserit, frumenta & homines extra Regnum conduxerit, & alia similia facinora perpetraverit. Quæ omnia Reginæ cum significarem in mandatis accepi, carceri mancipare dictum Bataillium: quod etiam factum est operâ Præpositi Insulæ in Franciâ. Reo jam detento in carceribus parvi Castelli, cum innocentiæ ejus manifestissimum ferrent testimonium non solum cognati, sed etiam ipsorummet Religiosorum quos Adversorios habebat confessio, facta præsente capto crimina dissimularet, rem omnem exposui Reginæ, quæ jussit carcere liberare reum innocentem; quod statim fieri curavi per Præpositum Insulæ in Franciâ. Omnia vero sic & non aliter esse acta, præsentes testentur literæ. Lutetiæ Parisiorum die sexto Septembris Anni MDCLXVII.

Quitaltius. Iam à Minori ad Majus argumento ducto, quis non concluserit? Si fronte satis perfrictâ S. Germani Monachi fraudulenter & scelestè crimina impingere audent homini innocenti quæ gravissima merentur supplicia, quanto facilius Actori imponent facinora quæ famam ejus imminuerent, si probari possent aut vera essent?

XX. Jan-

XX. Tandem pro Actore militat explicatio capitis XXXII Regulæ D. Benedicti *de ferramentis vel rebus Monasterii custodiendis* pag. 72. Quæ Regula cum declarationibus prodiit Parisiis Anno MDCIII. Non male exinde colligeret aliquis, familiare admodum esse hoc crimen Benedictinis; quia illi inusitato exemplo soli inter omnes Religiosos Ordines pœnam statuant in falsarios. Et ita quidem, ut cum reliquus Clerus expers sit delicti hujus, nec pœnam ei dictare necessum habuerit. Perinde ac Solon dicebat, *se nullas pœnas adversus eos qui patrem verberassent constituisse, quoniam nullos tales futuros existimabat.* Sed aliud hîc latet. Cum leviter castigetur hoc crimen apud Benedictinos, nec absolvere hîc possit nisi Prælatus vel Superior sui Ordinis; per ea quæ dicto libro pag. 157 *Si quis falsificaverit literas vel sigilla* constituta leguntur. Gravius sanè errari non existimant, *quam si quis acceptaverit vel miserit munuscula vel literas aut ambasciatas sine licentia Prælati*: nec enim hic facilius quàm ille absolvitur. Et verò prudenter moderati sunt pœnam. Quam si juxta rigorem legum determinare voluissent, bone Deus, quot mutilos & mancos in claustris eorum videres! Nec forte dies præteriret

Quin manibus sine nonnulli pedibusq; manerent.

Sed ut locum ipsum, vel potius explicationem Patrum, cujus paulo ante mentionem fecimus, tangamus, en ipsamet verba ex quibus argumentum neximus. *Quodlibet autem Monasterium diligenter servet sua sigilla, sive magnum; quo utantur cum quid fit nomine Prælati & Conventus; sive parvum,*

quo utitur Prælatus in privatis literis; & nullus aliorum fratrum, nisi de licentiâ ipsius Prælati uti possit ipso sigillo. Quæ sigilla tam Congregationis quam Monasteriorum, si quis suadente diabolo falsificare præsumserit, stet degradatus per menses duos posâ omnes Professos, jejunetque semel in hebdomada in pane & aquâ in Refectorio, durante ipsâ degradatione. Quæ pœna non egreditur mediam partem ejus pœnitentiæ, quæ Alchymiæ reis imponitur per easdem constitutiones pag. 535. Si quis autem huic curioso vitio, quod Deus avertat, se implicuerit: convictus stet degradatus per mensem, & qualibet hebdomadâ comedat unâ die in pane & aquâ, in terrâ, in Refectorio.

VI.

Non habet hodiè ipsamet Francicarum antiquitatum studio florentissima Gallia quemquam, peritiâ isthac majorem celebrioremque, (nec verò patiuntur tot eximii illo auctore editi libri nomen ejus ab erudito orbe ignorari) Stephano Baluzio Rhemensi Canonico, & Parisiis locupletissimæ Bibliothecæ Illustrissimi Colberti jàm curatore longe dignissimo. Ejus itaque acerrimo judicio Diploma Cœnobiticum subjicere, prius quàm ipse manum Censuræ admoverem, duxi haud absre futurum. Eoque misi exemplum Diplomatis Lutetiam mense Octobri anni præcedentis: etsi vir optimus & humanissimus, valetudine minùs benignâ impeditus, initio demum hujus veris potuerit respondere, mense tandem Majo mihi tradita; quum Censuræ plæraque jam typis essent excusa. Partem literarum Illustris Viri exhibebo: quo major fides meis accedat. Observabit autem lector, à doctissimo Baluzio non alium Ludovicum II Imperatorem agnitum quàm illum Lotharii filium, qui intra Italiam Imperii fines continuit. Et verò de Ludovico Germanico Pii filio

filio Imperatore, ne quidem in mentem ipsi quidquam venit: perinde atque nemini venire potest, in monumentis ævi Carolovingorum Principum versato.

Clarissimo & eruditissimo viro Hermanno Conringio
Stephanus Baluzius Tutelensis.
S. P. D.

Præterito mense Novembri, cum gravi & periculoso oculorum morbo affectus essem, accepi postremas literas tuas; quas cum legere per me ipse non possem, per amicum quendam doctum effeci ut mihi legerentur. Tantus erat ardor sciendi quid in eis contineretur. Respondissem autem jam diu, si mihi licuisset per malam valetudinem, cum qua conflictatus sum per totam hyemem. Nunc demum redit animus, simulq; redeunt intermissa tantisper studia doctrinæ. Itaq; nunc ad literas tuas respondeo, vir doctissime & humanissime. &c.

Multa sunt in privilegio monasterii Lindaviensis quæ illius falsitatem adstruunt. Nam præter textum diplomatis, in quo bene multa sunt aliena à stilo cancellariæ Principum illius ævi, non solebant tum apponere diplomatibus annos incarnationis dominicæ. Deinde annus imperii Ludovici II non congruit cum anno incarnationis dominicæ illic annotato, sive initia ejus referas ad annum DCCCL, *quo in consortium imperii adscitus à patre Lothario est, sive annos imperii ejus numeres ab excessu patris. Denique Indictio*

ſecunda non convenit cum anno illo Domini. Neq; Ludovicus tenuit imperium per annos viginti ſex. Itaq; omnino accedo tuæ opinioni, donec probabiliora hujus privilegii exemplaria adferantur. &c.

Vale Vir Clariſsime & eruditiſsime, & me ſemper ama tui nominis ſtudioſiſsimum cultorem. Lutetiæ Pariſiorum XI. *Kal. April.* M DC LXXII.

INSE-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [422] - 398

INSERENDA.

Pag. 86. l. 34. *demonstravimus.* De concessis porrò Essoni Curiensi Episcopo à Ludovico nostro Privilegiis alii agentes, Regem duntaxat non Cæsarem Ludovicum agnoverunt. Stumphius *l. 10. cap. 18. fol. 316.* ita loquitur. Hesso oder Esso der 22 Bischoff zur Chur. Diesem gab Künig Ludwig von Ostfranckrych etlich Freiheiten / nemlich ein bestätungsbrieff des Ussprychs seines Vaters / hinvor zwischend Graff Rodrich und dem Gestifft Chur ergangen. Des *Datum* stadt *Idus Junii* seines Franckreichischen Reichs im dritten *Indict. 12. Anno Dom. 849.* Er hat jhm noch mehr *Privilegia* geben / deren *Datum* stadt *4. Non. Junii Anno 857.* Hæc Stumphius. Quæ tamen itidem non omninò sese habent recte: quoniam annus Regni in Orientali Francia Ludovico tertius fuit Christi 843, non 49, qui Regni illius est nonus. Esso etiam Episcopus Verendario demum in Curiensi Episcopatu successit anno 844. Joannis Guleri *Rhetiæ lib. 7. fol. 96* hæc sunt verba. Wie aber *Verendarius* tods verscheiden / und *Esso* oder *Hesso*, in der Zahl der zwey und zwantzigste / an das Bistumb Chur kommen / im *DCCC XLIX* Jahr des Herrn / empfing er die bestättigung seiner Freyheiten nicht mehr von Keyser Leutharten / sondern von seinem Bruder Ludwigen / Königen zu Ostfranckreich Germanien und Bayrn / als der nunmehr / vermög obangezogner Landstheilung / Regierender Herr über Rätische Land war: durch diesen ward zu Straßburg gedachter Bischoff befreyet / das weder jhme noch seinen nachfahren in verrichtung jhres Bischöfflichen Ambts kein eintrag nicht geschehen solte / sondern daß sie / wie solches durch Käysers *Ludovici Pii* ansehen zuvor verordnet worden / und die Geistlichen Gesatz in sich halten / aus jhres Ambts volmacht / wol mögen Ordnung geben / über die Clöster in jhren Bischöfflichen Kreiß / auch gewalt haben die Priester zu ordenen / und die Zehenden nach Geist-

lichen

liche Rechten zuverwalten. Es bekräfftiget auch König Ludewig insonderheit den Spruch/ so sein Herr Vater löblicher Gedächtnüß/ außgesprochen hat zwischen Graff Rodrichen und den Gestifft Chur. Hernach im *DCCCLVII* Jahr unsers HErren/ gab er jhme noch mehr Freyheiten und bestättiget ein Testament Fraw Walthruden: darinnen sie etliche Güter und eigenthümbliche Sachen/ in Trisenterthal gelägen/ der Kirchen Chur auffgemacht hatte. Hæc omnia Gulerus: Ludovicum nostrum itidem non Cæsareo sed Regio titulo veneratus: etsi & ille indubie agat de iis Essoni concessis Privilegiis de quibus loquutus est Crusius. Videtur autem nec illi lecta esse scripta isthæc. Non enim verosimile est, Argentorati Diplomata à Ludovico esse condita, quia Urbs hæc non fuit tum in ditione Ludovici sed Lotharii fratris. Error autem fortè natus inde est, quia Ludovicus Pius concessit ea Privilegia Argentorati, quæ pòst filius Ludovicus Essoni confirmavit. Testatur id Stumphius *l.10. cap.17. fol.315* hisce verbis. Victor/ diß Nammens der 2 unter den Bischöffen/ und der 20 in der Ordnung/ hat auch bey Keyser Ludwigen des 1 Tagen regiert. Diesem Victori gab Keiser Ludwig wiederumb zehanden die Kirch zu St. Sisiny/ den Hoff zu Zizers/ den Spital S. Peters/ und die Kirche S. Columbani mit allen zugehörden/ so Graff Roderich genennt dem Gestifft Chur bißher mit gewalt vorhielt/ die doch hievor dieses Keisers Vater und äni bemeltem Gestifft geschenckt hattend ꝛc. *Actum* Straßburg/ in beywesen Bernoldi Bischoffs daselbst/ Gottfriden Abts zu S. Gregorien/ und Graff Rhotarii. *Datum 8 Kalend. August.* seines Keisersthumbs/ im *12 anno 825.* Hactenus Stumphius.

Is etiam qui novissime res Rheticas est persecutus Gabriel Bucelinus in sua *Rhetiæ Chronologia sacra & profana* hæc retulit pag. 176. *A. C 849 Hessoni Episcopo Curiensi Ludovicus Rex Franciæ Orientalis privilegia quædam dedit, & quæ concesserat Ludovicus Piu. parens suus confirmavit, atq; arbitrium*

ejusdem

ejusdem inter Episcopum & Comitem Rodericum ratum habuit, 2 Id. Julii hoc anno Indict. XI. Pag. item sequente: *A. C. 857 Iterum magnis privilegiis Curiensem Ecclesiam, ejusq; Episcopum Hessonem ornat Rex Ludovicus. Ita Sprecherus l. 3. Palladis Rhaticæ folio 64. quæ tamen non explicat.* Hæc etiam Bucelinus.

Cum itaque hi tanti scriptores, de eodem negotio quod Crusius attigit tractantes, non nisi Regem in Orientali Francia Ludovicum appellaverint, utiq; vel hinc liquidum est, Cæsareum nomen in Crusiana per scriptoris incuriam repsisse. At verò quid opus est verbis ubi adsunt rerum testimonia? Possunt etiamnum in armariis Curiensibus legi Ludovici illa Diplomata. Cumprimis Cœnobio Lindaviensi facilis illuc est aditus. Promantur itaque inde fide dignâ manu descripta Diplomata isthæc. Si fuerint sane justæ auctoritatis, non equidem dubito etiam ego ad ipsa illa provocare. Certus, ut non *Argentorati*, ita nec *Imperatoris* cognomentum ibi inventum iri.

Pag. 91. l. 22. *Proli Regali vita.* Baronius recitat alias quoque nonnullas Nicolai ad Ludovicum nostrum literas: in omnibus autem Regius non Imperatorius titulus apparet. Qui secutus proxime Nicolaum est, Hadrianum Papam itidem non honorasse Ludovicum nostrum alio quam Regio cognomento, docent abundè literæ istæ, quas ad Ludovicum nostrum misit, de Regis Lotharii defuncti hereditate, quam Pontifex credebat jure competere uni Ludovico secundo Imperatori, in Italia sola hactenus rerum potito. Refert illas Baronius in historia Anni DCCCLXX à num. XI usque ad XV.

Pag. 102. l. 29. *haud notissima* (nam & rudi adhuc tempestate Sigfridus Presbyter Misnensis id observans scripsit *l. 1.* ad annum 836: *quod iste Ludovicus post Patrem suum imperavit, non est intelligendum de Imperio, sed de Germaniæ regno*)

Pag. 171. l. 14. *scribarum incuriâ contigerunt.* Quod meri-

to tamen omnes mirentur, etiam post illam Hyperaspisticam vi veritatis expressam confessionem, anno 1646 Abbatissa curavit portali quod vocant sive atrio Sacrarii sui, pristinâ quamvis itidem novâ inscriptione deletâ, hanc adjici. Dieses des heilig. Römischen Reichs ohnmittelbahres Freystifft hat *anno 810* gestifftet *Adalbert* Pfaltzgraff und Landvogt in *Rhetien*, hernach aber *Ludovicus Germanicus* Teutscher König und Keyser / in dem zweiten Jahr seiner Regierung / mit Fürstlicher Freyheit und Herrlichkeit begabet. Nole nunc attingere, quàm perfrictâ fronte ausint Cœnobiales fingere & refingere omnia: ut nec quemadmodum solis Hyperaspistæ somniis inducti Adalbertum suum, *Advocatum provincialem Rhetiæ*, atque Ludovicum *Regem simul & Imperatorem Germanicum* constituerint: sed in hoc tantùm animadverto, quod Principalem dignitatem à Ludovico esse Abbatissæ attributam, non erubuerint asserere.

Pag. 225. l. 7. *dudum fuerat.* Quoniam tamen nomen solet interdum superstes esse re ipsâ sublatâ, nolo nunc hoc ipsum urgere.

Pag. 271. l. 31 *Ioannem Limnæum*, *Dresseri exscriptores* (quorum postremus tamen ingenuè & doctè illa quæ antehac per errorem docuerat, emendavit *Additionum Tom. IV. l. 7. cap. 29.* ad illud: *primum Abbatissa paruit*: ut & *Tomo V* ad idem *caput pag. 254.*)

Pag. 301. l. 22 *spista vindicare.* Et verò planè tales oboli, explicatam manum unâ parte referentes, circa Francofurtum ad Mœnum in frequentissimo ab aliquot usque seculis solent esse usu: in tractu Brigantino autem rari reperiuntur. Quod indicio est, monetæ illud genus ab Lacum Podamicum non esse natum; certè non deberi Cœnobio Lindaugiensi: præsertim cum clavis aut lilium non soleat esse illius Cœnobii Abbatissæ cuiquam in manibus, si sigilla & insignia Cœnobialia spectemus.

Pag.

Pag. 330. l. 9. *minùs*. Idem indicatur etiam eo documento: quia bona Cœnobii ſicut variis in locis ſunt ſita, ita ubivis fere alienæ hactenus parent jurisdictioni, & quia nunquam fuit Advocatus aliquis Cœnobii unus aut tàm ſplendidus qualem deſcribit Diploma. Cauſſa tamen figmenti hujus videtur fuiſſe, quod jam illo tempore quo conditum eſt Diploma, moliri Cœnobium cæperit aliquod in Vrbem imperium: quod ut olim ſibi eſſe conceſſum crederetur, tantus Advocatus fuit confingendus.

Pag. 325. l. 16. Ieſu Chriſti. Prodit autem hoc ipſo impoſtor non duntaxat impietatem, ſed ſimùl ſecutum ſe eſſe in concinnando ſuo aliquod Diploma Pii Imperatoris. Solent ſcilicet Pii Diplomata ita incipere, quod vel Caput tertium docuerit: *In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Ex quo autem Ludovicus Germanicus Regni Franciæ Orientalis potitus fuit poſt obitum Patris, ab anno usque quadrageſimo, exordium Diplomatum illius hoc fuit: *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.* Tantùm vivo Patre Rex adhuc Bajoariorum ita interdum exorſus eſt ſua Diplomata: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Dei omnipotentis* ceu videre eſt *pag. 34 & 38.* Ex ipſis certè primis verbis hiſce liquet, non eſſe Ludovici Germanici hoc Diploma, ſed ad formam Pii diplomatum confictum.

Pag. eod. l. 21. Sexto & ſeptimo. Manifeſtum porrò eſt ex *cap. 4.* in Cancellariâ Ludovici Germanici obtinuiſſe hanc formulam: *Divina favente clementia* aut *Divina favente gratia.* Ac proinde etiam illud: *Divina repropriciante clementia*: non eſt ex illa Cancellaria. Imo etiam illud videtur deſumptum ex aliquo Pii Diplomate: quoniam *pag. 15* aliquod ita ſeſe habet: *Divina favente & propiciante clementia.*

Pag. 332. Poſt paragraphum Pro nobis, *addendum eſt ad*

verba illa Diplomatis: Annuli noſtri impreſſione adſigniri juſſimus.) Ludovici Imperatoris & Germanici Cancellaria ſcribere ſolet *adſignari*: barbara itaque vox *adſigniri* arguit inſcitiam impoſtoris. Perpetuus præterea olim mos fuit Cancellariæ, meminiſſe *manus propriæ* ſive Imperatoriæ ſive Regiæ. Cùm itaque in Diplomate iſthoc id fuerit omiſſum, indicio itidem eſt, extra Cancellariam hoc eſſe conſcriptum.

Pag. 337. poſt lineam aut verſum quartum.) Nulla *Octavo* cauſſa eſt, quur Cœnobium voluerit quondam Diploma illud fingi. In univerſum autem homines nihil agimus, niſi rei alicujus impetrandæ gratiâ. Hæc ſi deſit nihil ſolet fieri. Ac proinde nec vero eſt ſimile, fruſtra operam eſſe in confingendo perditam.

Pag. 351. poſt lineam ſecundam) Quod *Octavo* loco eſt adductum non caret ſanè ſpecie firmi ſatis argumenti. Nec enim facilè cuivis patent arcana machinationum conſilia. Ego verò non dubito affirmare, veteratoria arte iſtud Diploma fabricatum eſſe, ſi non unice ſaltim potiſſimum in id, ut Cœnobium ſibi dominium pararet in urbem, quæ libertate ſua & ſecundis rebus jam oculos invidos urebat. Circa confinia ſanè ſeculi duodecimi & decimi tertii Diploma eſſe confictum, multis paſſim documentis adſtruximus. Probavimus autem etiam illud capite XIV: Eſchachienſes circa initia ſeculi duodecimi commigraſſe in inſulam relictâ veteri ſuburbanâ ſede; atque ita inſularem urbem ingens accepiſſe incrementum, præſertim excuſſo Brigantino domino, & Lindavia Urbe in cenſum liberarum Imperii civitatum eodem ſeculo receptâ. Hic florentior ſolito & jam invidendus urbis ſtatus, improbos animos quin uſſerit, ecquis nequitiæ humanæ gnarus dubitaverit? Ab illo vitio alienum tunc fuiſſe Cœnobium, facilius dictu quàm probatu fuerit.

Non

Non defuisse tunc illi homines nequam, plusquam satis indicat sola Diplomatis infrunita fabricatio. Commentitiis autem tabulis antiquorum Regum & Imperatorum, insidias struere justæ libertati & possessioni aliorum, illâ ipsâ tempestate Cœnobitici ordinis nonnullis passim terrarum per fuisse frequens, hodie nemo rerum veterum peritus ignorat. Idem ergo esse ausum spectare illum impostorem, qui non dubitavit falsariam manum confingendo Diplomati appellere, nihil est quod prohibeat suspicari. Affabrè autem ficta multa reperiuntur in Diplomate, apta dominatui Cœnobiali in Urbem adstruendo. Condidisse scilicet statim initiò Cœnobium in insula Adalbertum, non aliquem è multis sed ipsum Palatii Imperatorii Comitem, & quidem in fundo suo allodiali, quanti momenti est ad persuadendum, totam insulam allodiali jure in Adalberti fuisse possessione? Tantum enim Comitem non partem insulæ sed totam tenuisse, verisimile utique est. Multò magis id probat, jam tum Cœnobio datum Lindaugiæ h. e. integræ insulæ cognomentum. Omnia porrò allodialia bona sua Adalbertum donasse Cœnobio refert Diploma: quidni itaque credas, dominium totius insulæ isthac sacrâ donatione ad Cœnobium transiisse? Ergo, & qui jam tum insulam incoluerunt, sicut in fundo Cœnobii vixere, & qui pòst isthuc commigraverunt, ut in fundum Cœnobii recepti, ita in jus & potestatem Cœnobii perveniisse, quis non dixerit? Ipsam totam urbem Lindaviam cum Eschachensibus factam hac ratione Cœnobio subditam, non vanâ profectò consequentiâ colligere hinc fuerit. Præsertim quia Imperator Ludovicus non confirmaverit duntaxat illam Adalberti sacram largitionem, sed etiam fisci proventibus & immunitatibus quàm multis Cœnobium liberalissimè adauxerit. Tantæ Cœnobii po-

tentiæ ſtabiliendæ non aliquis tenuior Advocatus par ſanè eſſe potuit. Itaque & unus aliquis ſatis ſplendidus, idoneus ſcilicet Urbi ipſi compeſcendæ, ab Imperatore ſcilicet eſt conſtitutus. Absque ſanè eſſet Cœnobii in univerſam Inſulam & Vrbem imperium, non fuiſſet tam magnifico opus Advocato. Si tamen ex voto ſucceſſiſſet Cœnobio ille inſularis dominatus, novum periculum à tanto Advocato facilè potuiſſet creari. Itaque & huic rei callide itum eſt obviam, freno Advocatis injecto, ſacris ac profanis graviſſimis pœnis interminatis: idque ad exemplum Augiæ divitis & Uttenburanum, quæ Cœnobia ſimiles tunc tabulas confinxerant.

Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, ad confingendum Diploma, non defuiſſe multiplicia ſatis invitamenta; atque adeo operæ ſeſe pretium facturos, impoſtores Cœnobiales haud inſipienter ſperaviſſe. Fruſtrati quidem ſunt (fateor) exſpectatione nebulones, & irritæ factæ ſunt malæ eorum artes; at non eſt cur propterea benigniùs de illorum inſtituto exiſtimes. Non enim infelix ſucceſſus malis conſiliis excuſandis ſufficit. Sed & non omni ex parte etiam hactenus fuerunt fruſtra machinationes. Ex quo enim Diploma illud, quod hactenus in tenebris delituerat non auſum lucem aſpicere, à Friderici III Imperatoris usque ætate cœpit ſubinde oſtentari, haud ſemel dedit turbas, & tranquillè hactenus inclytæ Urbis poſſeſſis juribus non unam creavit moleſtiam; imò multos etiam doctos atque intelligentes decepit, deque Urbis juſtiſſimâ cauſſa minùs benignè fecit ſuſpicari. Proximo fervente bello Germanico, quid Cœnobium non auſum eſt tentare, unius illius Diplomatis prætextu? Quanto molimine etiamnum urget, Diploma hoc pro normâ habendum eſſe omnium ſuorum prætenſorum jurium? Enimverò

verò nec ipsemet negarem, si Diploma illud recto staret talo, per injuriam saltim ereptum Cœnobio priscum in insulam omnem adeoque Urbem imperium. Cum verò jam liquidò appareat, Diploma totum esse commentitium, simul omnis sequior de Urbis libertate suspicio est sublata, ex adverso autem fraudis & doli mali infamia Cœnobiales haud parum gravabuntur, si quidem ad Diploma illud rebus iniquis moliendis ulteriùs provocare perrexerint.

EMENDANDA.

Pag. 4. l. 2. sit except. *l. 20.* to & *p. 6. l. 28* palæstra. *p. 9. l. 20* DEI EF *p. 9. l. 9.* ejusdem *p. 11. l. 1.* famulantes *p. 15. l. 1.* suppar *l. 27.* bimus nunc *p. 16. l. 13.* signari *p. 33. l. 12.* quid xxxi, *p. 58. l. 10.* Francia numeratus. *p. 70. l. 6.* Diplomate *p. 73. l. 25.* condi. 11 Kal. *p. 90. l. 13.* luxuriare. *p. 96. l. 10.* ejus ævi. *p. 105. l. 1.* Secunda *p. 120. l. 14.* sui ævi *p. 124. l. 11.* Ansfridum *p. 135. l. 9* 1634. *p. 138. l. 12.* Rorbach adj. *p. 140. l. 8.* excœcatus. *p. 156. l. 24.* Manegoldus *p. 215. l. 10.* reg. monachalem *p. 217. l. 24.* indutus. *l. 26* Principibus *p 230. l. 14.* consuluisse. *p. 240. l. 14.* tanq. verissimam. *p. 256. l. 12.* erg. non & *p. 312. l. 11.* Advocatorum inj. querelas. *l. 19.* de frenandis *p. 315. l. 30.* leg. Æcclisia *l. 31.* ded. Æcclesia. *p. 316. l. 8.* Æccleſiæ, Æcclesia, Æccleſias, Æstate. *p. 329. l. 5.* quod sanct. *p. 334. l. 50.* Appendice adhuc *p. 335. l. 19.* des. vero quæ *p. 344. l. 18.* Baldo editis sit. *p. 348. l. 23.* faciunt. *p. 360 l. 13.* vultus Lud.

Et hæc & si quæ alia fuerint prætervisa operarum menda, Lector haud indoctus pro sua humanitate non gravabitur corrigere.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 158, [431] - 407


BIBLIOTHECA
REGIA
HANOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [432] - -

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [433] - -


GWLB Hannover 35
036 828 53X

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [434] - -


36

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

XVII. Lindau I.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [435] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 158, [436] - -


Leibn.
Mayg.
158
5
10
15
20 cm
A B C D E F G H I J K L M N Focus O Balance Q R S T U V
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 W X Y Z
Copyright 4/1999 YxyMaster GmbH www.yxymaster.com
VierFarbSelector Standard * - Euroskala Offset